3 1761 07982577 4

Presented to the
LIBRARY *of the*
UNIVERSITY OF TORONTO
by

TRINITY COLLEGE
LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/lcvalckenaeriiob00valc

97 779 I

L. C. VALCKENAERII

OBSERVATIONES ACADEMICAE, QUIBUS VIA MUNITUR AD ORIGINES GRAECAS INVESTIGANDAS, LEXICORUMQUE DEFECTUS RESARCIENDOS;

1420

ET

IO. DAN. A LENNEP

PRAELECTIONES ACADEMICAE, DE ANALOGIA LINGUAE GRAECAE, SIVE RATIONUM ANALOGICARUM LINGUAE GRAECAE EXPOSITIO.

AD EXEMPLA MSS. RECENSUIT, SUASQUE ANIMADVERSIONES ADIECIT,

EVERARDUS SCHEIDIUS.

TRAIECTI AD RHENUM APUD

G. T. A PADDENBURG ET FILIUM.

Londini apud ELMSLEY, *Oxonii* apud FLETCHER & COOKE, *Pariſiis* apud DE BURE, *Lipſiae* apud WEIDMANN & REICH, *Venetiis* apud COLETOS.

CIƆIƆCCXC.

M. F. QUINCTILIANUS

INSTIT. ORAT. L. I, 5. 3.

OMNIA TAMEN HAEC EXIGUNT ACRE JUDICIUM: ANALOGIA PRAECIPUE, QUAM, PROXIME EX GRAECO TRANSFERENTES IN LATINUM, PROPORTIONEM VOCAVERUNT. EJUS HAEC VIS EST, UT ID QUOD DUBIUM EST AD ALIQUID SIMILE, DE QUO NON QUAERITUR, REFERAT, UT INCERTA CERTIS PROBET.

LIBRARY 1971 UNIVERSITY OF TORONTO

PA
253
V34

15.7.66

In Bibliopolio G. T. VAN PADDENBURG *&* FILII, *praeter hunc librum habentur & ſeqq.*

CHRISTOPHORI SAXI Onomaſticon Literarium ſive Nomenclator Hiſtorico - Criticus Praeſtantiſſimorum omnis Aetatis, Populi, Artiumque Formulae Scriptorum; Item Monumentorum maxime Illuſtrium, ab orbe condito uſque ad Saeculi, quod vivimus, Tempora digeſtus, & Veriſimilibus, quantum fieri potuit, Annorum Notis accommodatus. 6 voll. in 8vo majori.

E. E. VAN BERGEN Criticae Obſervationes, quibus varia Scriptorum Claſſicorum loca per librarios corrupta emendantur, in priſtinam elegantiam reſtituuntur: alia tentantur, exponuntur, vindicantur. Accedit Aenigmatis Bononienſis nova explicatio.

OTTONIS, (E.) *Theſaurus Juris Romani* continens *Rariora* meliorum Interpretum *Opuscula*, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illuſtratur, itemque Claſſicis aliisque Auctoribus haud raro lumen accenditur. Ed. Nova, Traj. 1735. 5 vol. in Fol.

Obſervationes Miſcellaneae in Auctores Veteres & Recentiores Amſt. 1732. 14 voll.

MOSCHOPULI, Scholia ad Homeri Iliada *C. N. J. Scherpezeelii*, Ultr. 1719. 8vo.

PERIZONII, Origines Babylonicae & Aegyptiacae, ibid. 1736. 2 vol. Ed. nov. 8vo.

——— ——— Orationes & Diſſertationes, Lugd. Bat. 1751. 2 vol. 8vo.

WESSELINGII, (P.) Diſſertatio Herodotea, 1758. 8vo.

RHOER, (J. DE) Feriae Daventrienſes, ſive Miſcellaneorum Libri duo, Ultr. 1758. 8vo.

——————— Otium Daventrienſe, Davent. 1762.

REITZ, (J. F.) de Ambiguis, Mediis & Contrariis, cum Apologia & Supplemento, ibid. 1753. 8vo. maj.

Proximo vere, ex eorundem officina, prodibit J. D. LENNEPII *Etymologicon*, ſive *Stirpes linguae Graecae*, cum animadverſionibus EV. SCHEIDII, II Voll. 8 maj.

VIRO

ILLUSTRI ET ERUDITISSIMO

IOANNI BAPTISTAE CASPARO

D'ANSSE DE VILLOISON,

FLORENTISSIMARUM EUROPAE ACADEMIARUM SOCIO, DE LITERIS GRAECIS ET ORIENTALIBUS OPTIME MERITO, MAECENATI SUO ET AMICO SUAVISSIMO,

S. D.

EVERARDUS SCHEIDIUS.

Accipies ita tandem, VILLOISONE, vir amiciſſime, typorum noſtrorum ope deſcriptos, *L. C. Valckenaerii*, de *Originibus linguae Graecae inveſtigandis*, ac *J. D. a Lennep*, de *Analogia linguae Graecae*, libellos duo eruditiſſimos, noſtris qualibuscumque (in *Lennepii*, praeceptoris ſuaviſſimi, opus-

* culum)

culum) animadverſionibus nonnihil amplificatos. Hos ipſos libellos, meminiſti, vir humaniſſime, ante ſedecim annos & quod excurrit, Tuo juſſu, manuſcriptos ad Te, Harderovico noſtro, transmitti: litteras Tuas, omni amore atque officio pleniſſimas, id temporis, ad nos ablegante, & negotium, qua eſt ſingulari plane humanitate, urgente politiſſimo noſtro Tuoque HERMANNO TOLLIO. Ejus rei exitus tunc fuit, ut, approbata a Te quam maxime *Hemſterhuſianae* ſcholae diſciplina, digniſſimum haberes *Lennepii* opuſculum, cujus partem haud ignobilem doctiſſimis Tuis Animadverſionibus, luculentae *Longi Paſtoralium* editioni adjunctis, infereres, pag. 248. ſſ. ut non Belgarum tantummodo noſtrorum privatis uſibus *Lennepiana* haec inſervirent, ſed AD CETERARUM QUOQUE GENTIUM, GALLORUM PRAESERTIM, HISPANORUM ET ITALORUM (ipſa tua verba ſunt) pervenirent notitiam. In quo quidem praeclaro inſtituto Tuo, judicioque de *Lennepii* laboribus benevolentiſſimo, imitatorem nactus fuiſti doctiſſimum Brittannum, *Thomam Burgeſſium*, qui ſimi-

li

li honore adfecit *Lennepianas* has (de fonte quidem *Hemſterhuſii*, *Valckenaeriique*, ductas, at a *Lennepio* tamen ſummo opere auctas, ad alias quoque linguae partes adplicatas, & collocupletatas) obſervationes, ut eandem illam particulam, a Te primum luce publica donatam, eruditis ſuis Adnotationibus, *R. Daweſii* Miſcellaneorum Criticorum iteratae editioni ſubjectis, & ipſe inſereret, addito elogio: UT NOTIORA FIERENT, CUM DIGNA ESSENT. Vide *Burgeſſ.* ibid. p. 371—384.

Itaque primum, hoc quidem nomine, maximas Tibi ago, habeoque, vir ſumme, gratias, quod *Lennepii*, aeternum mihi venerandi praeceptoris, lucubrationes Academicas tali honore dignatus fuiſti, ut ſcriptis Tuis ea omnibus Europae gentibus, quotquot Graecas literas amarent, commendares, mihique, totum viri clariſſimi opus in dias luminis oras proferre geſtienti, animum adderes, quo id majore cum fiducia poſſem facere. Verum & alia acceſſerunt perinſignia Tua beneficia, qua (non me tantum-

 modo

modo, fratremque meum unicum & dileɫiſſimum, *Jacobum Scheidium*, quem Pariſiis Tuis ſumma humanitate Tua totum Tibi obſtrinxiſti) ſed omnes politiorum literarum cultores aeternum demeruiſti, editis compluribus libris praeſtantiſſimis, & hos inter *Apollonii lexico Homerico*; mox itineribus literariis ſusceptis per Italiam, Graeciam, Aſiam minorem, Germaniam, ceterasque regiones aut olim literis florentiſſimas, aut etiamnunc eruditione florentes, & protractis e Bibliothecarum ſitu membranis multis pretioſiſſimis, quibus Graecas in primis literas illuſtrares atque amplificares, tum vero AETERNA Tua ILIADE ad fidem pervetuſti Codicis *Veneti* (una cum ſcholiis admodum doɫis, nunquam antea typorum ope deſcriptis, imo, poſt renatas literas, vix a quopiam oculis uſurpatis) ita reipublicae literariae reddita, ut, non inter editores, ſed inter ſoſpitatores, *Homeri*, hac noſtra aetate, principem Tuo jure teneas locum.

Patiaris ergo, vir humaniſſime, ut illuſtri nomini Tuo inſcribantur, & dedicentur

Valcke-

Valckenaerianae hae & *Lennepianae* chartae, tanto opere Tibi jam diu adamatae, & celebratae, Tuaque commendatione, atque adeo omnium, in his ſtudiis rectum videntium, ab obtrectatione & livore eo magis tutae futurae, quo certius conſtet, juveniles fuiſſe virorum ſummorum commentationes, juventuti Academicae erudiendae unice deſtinatas, deque rogo ipſorum veluti raptas, quia grata poſteritas aut perire aut foedari illas nollet, malletque edi ſimplici cultu ſuo, quam ab aliis fortaſſe lauream hanc, *verae Analogiae inventae*, ſibi vindicare cupientibus, calamiſtrisque inuſtas, ipſorum nomine ad futura ſaecula transmitti.

Quod ſupereſt, VILLOISONE cultiſſime, ita Tibi perſuadeas, velim, inter Graecarum literarum ſtudioſos neminem eſſe, qui amore atque veneratione Tui me vincat, meque tum demum votorum meorum ſummam conſecuturum eſſe, ubi Tecum, ſi DEO viſum fuerit, adhuc per aliquot annos ſuperſtes, Te audivero, in feliciſſimo illo culmine Tuo, quod magnis meritis conſcendiſti, poſt tot

 labo-

labores, Graecae literaturae amore exantlatos, poſt tot, periculi pleniſſima, ſuſcepta itinera, incolumem florentemque perſtare, literas Graecas Latinasque, quin & Hebraicas & Arabicas, ex gazis tuis vere regiis, quotidie collocupletare, aliorumque conatus haud ignavos adjuvare, atque, in omnibus Tuis ſtudiis, DEO O. M. in primis duce & auſpice, per CHRISTUM DOMINUM, frui! Vale vir amabilis, & me, meosque, quod facis, amare perge. Dab. Harderovici Gelror. poſtridie Kalendas Quinctiles Anno reparatae ſalutis CIↃIↃCCLXXXIX.

PRAE-

PRAEFATIO

AD

LINGUAE GRAECAE STUDIOSOS LECTORES.

Quod viri ſummi, L. C. Valckenaerii, Obſervationes ad inveſtigandas Origines linguae Graecae, Lexicorumque defectus reſarciendos, *typis noſtris deſcriptas*, *alteri huic* Analogiae Lennepianae *editioni*, *praemitti curavimus*, *ſi quis forte miretur*, *& nefas eſſe dicat*, *virorum in literis principum Academicas praelectiones*, *poſt ipſorum deceſſum*, *evulgari*: *hunc*, *qua par eſt modeſtia*, *etiam atque etiam rogamus*, *ut*, *antequam inauditos nos damnet*, *quibus momentis impulſi id fecerimus*, *paucis dignetur intelligere*. *Libelli*, *quos damus*, *aucto-*

 ribus

ribus ſuis, viris Graece Latineque doctiſſimis, digni ſunt, etiamſi fortaſſe haud eo propoſito conſcripti, ut (tali certe forma, qua primum in ſcholis ipſorum traditi ſunt,) typographiae ope, cum orbe erudito communicarentur. Poſteaquam vero in manus juvenum praeſtantiſſimorum, ſtudia haec, apud Friſios & Groninganos, ſevere colentium ſemel pervenerant, eam omnium ſacra haec tractantium approbationem applauſumque nacti ſunt, ut Valckenaerii *quidem Obſervationes, per totos XL annos, incredibili diligentia, paene cum enthuſiasmo quodam, certatim deſcriptae, non ſolummodo per Belgicae noſtrae Academias latiſſime diſſeminarentur, ſed in Galliam quoque, ſed in Germaniam, ſed in Transſylvaniam, pervenirent. Quo in negotio, haud ſane reprehendendo, (quum ſchola* Hemſterhuſiana, *cujus princeps diſcipulus ille fuit, quem dixi,* Valckenaerius, *ceteris inſtitutionibus Graecae linguae infinitum quantum praeſtaret) hoc unum tamen magno opere dolendum fuit, quod transfuſae toties, de exemplaribus manuſcriptis in nova exemplaria, praelectiones hae Analogicae tanto foedioribus ſcripturae mendis incipérent ſcatere, quanto longius a fontibus, unde primum ductae fuerant, diſcederent. Neque multo melior conditio fuit libri* Lennepiani; *qui & ipſe, ſaepiſſime ab imperitis, negligentibusve, aut ſtupidis homini-*

hominibus ita deſcriptus eſt, ut vix jam cum jucunditate aliqua legi poſſet, nauſeamque crearet eodem uſuris. Teſtis eſto editio optimi hujus libelli prima, quae, ſub falſo Londini *nomine, una cum praefatiuncula Brittannum editorem ſimulante, foediſſimis mendis commaculata fuit, atque adeo merito contemtui eſt habita, etſi alioquin minime contemnendum eſſe, aeternitati conſecrari dignum, opuſculum,* Villoiſonia *ejusdem excerpta, a* Burgeſſio *quoque repetita, de quibus in Dedicatione dixi, jam tum abunde teſtarentur.*

Hoc igitur tantum malum, in dies latius ſerpturum, ut deinceps, non in Lennepii *tantum, ſuaviſſimi noſtri in Academia Groningana Praeceptoris, praelectionibus, auro contra nobis caris, ſed etiam in* Valckenaerianis *illis laudatiſſimis (& ipſis tamen brevi fortaſſe extra patriam ſuam habitu non meliori edendis) obſervationibus, quanto ocius caveremus, ſimul etiam, ut, pro modulo noſtro, prodeſſemus linguae Graecae ſtudiis, antea multum a nobis amatis (ad quae eo diligentius recolenda me quoque incitaſſet auctoritas Illuſtriſſimorum hujus Academiae Curatorum, qui cathedram linguae Graecae, diſceſſu celeberrimi viri,* H. Tollii, *per aliquot menſes vacaturam, auctore amiciſſimo* Tollio, *mihi, ceteroquin*

roquin occupatiſſimo eo tempore homini, demandasſent, poſtea vero nihil tale cogitanti, nedum ambienti, Profeſſionem Philologico - Exegeticam Novi Teſtamenti, ſponte ſua impoſuiſſent) in animum induxi, emendatiorem dare ANALOGIAE LENNEPIANAE, *(cum commilitonibus meis, dum Graeca docebam, ſtudioſiſſime lectae, paſſimque emaculatae) editionem. Quod ipſum qualecumque conſilium, viſis primarum hujus editionis noſtrae plagularum ſpeciminibus, probavit ipſe magnus* Lennepii *praeceptor, tunc adhuc in vivis ſuperſtes,* Valckenaerius, *literisque adeo ſuis me hortatus eſt, ut* Lennepii, *praeceptoris mei, opus ſedulo emendarem, augeremque, novo illo habitu in poſterum a ſe commendandum auditoribus ſuis, quibus priorem editionem commendare plane non potuiſſet.*

Quid multum? abſoluta jam fere eo pacto editione hac nova operis Lennepiani, *dum in Animadverſionibus noſtris adjiciendis haerent typographi, viſum fuit, & ipſas* Valckenaerii, *nuper defuncti, Obſervationes, quae tum aliis benemultis, tum vero* Lennepio, *tanto opere placuiſſent, exemplumque, quod ſequeretur, dediſſent optimum, praelectionibus* Lennepianis *praeponere: quo quidem inſtituto ſi vel nihil aliud effici poſſet, quam ut menda gravi-*

ora

ora aliquot, e, deſcripto toties, libello utiliſſimo eluerentur, juventutique Academicae, deſcribendi labore ſublato, occaſio praeberetur, horas ſuas in conſummatioribus Valckenaerii, Hemſterhuſii, *aliorumque virorum principum, libris excutiendis excerpendisque conſumendi: neminem fore mihi perſuadebam, aequum harum rerum aeſtimatorem, qui eo nomine noſtram qualemcumque damnaret, vel & incuſaret, diligentiam, ab ipſo* Valckenaerio *tacite quodammodo jam defenſam, & inſtigatam; dum in* Lennepianis *ea ut facerem me adhortaretur, quae in ſuis quoque, ut poſt mortem ſuam fiant, optimus quisque facile exoptet.*

Quodſi quis nihilominus hîc nobis inſtet, tendatve, „ minus aequum tamen fuiſſe, ut virorum ſummorum, (qui principatum quemdam in literis Graecis, editis multis aliis immortalibus operibus, ſibi comparaſſent) ſcholae privatae, typographiae ope, ad poſteritatem transmitterentur; intra ſaeculi ſpatium perituras forte fuiſſe Valckenaerii Lennepiique *praelectiones, typis haud excuſas; in obſcuro certe angulo jacere potuiſſe chartas, doctas ceteroquin & laborioſas, ſed ſcholaſticas tamen, & juventuti aetatis noſtrae erudiendae ſolummodo deſtinatas; exorituros fuiſſe alios eruditisſimos viros, qui, quas* Valcke-

Valckenaerius & Lennepius *duxiſſent*, *lineas*, *adimplerent*, *ceteraque id genus:*" *ego quidem de eo vehementer me dubitaſſe profiteor*, *an* Valckenaerii *libellus talis eſſet*, *qui*, *inter aliquot ſaeculorum decurſum*, *potuiſſet intercidere*, *in tot jam exemplaria Mſſ. multiplicatus*, & *quotidie deinceps multiplicandus*; Lennepii *vero praelectiones Analogicas eo minus perituras fuiſſe*, *mihi certisſime perſuadebam*, *quo* Valckenaerianis *illis lineis pleniores* & *ubivis gentium notiores*, *ab illuſtri* Villoiſono, Burgeſſioque *poſteritati jam commendatae*, *typis jam ſemel eſſent* (*etſi negligentius*) *deſcriptae*, *quin* & *ipſo eo tempore*, *quo nos manum operi admovebamus*, *Trajecti ad Rhenum denuo deſcribendae*, *Bibliopolae noſtri ſumtibus*; *qui id ſedulo operam dederat*, *ut ab eruditisſimo quodam viro*, *Manuſcriptis quidem libelli hujus exemplaribus deſtituto*, *at Analogiae Graecae tamen peritisſimo*, *menda typographica tollerentur*, *nitidiusque in poſterum exirent exemplaria. Taceo jam*, *ſi vel maxime nos*, *compluresque alii nobiscum*, Valckenaeriani & Lennepiani *nominis ſtudioſisſimi*, *linguae Graecae Analogiae amatores*, *ab editione abſtinuiſſemus*, *orturos fuiſſe hic illic alios*, *ab exemplaribus manuſcriptis minus paratos*, *qui id facerent*; *quin* & *nonneminem fortaſſe alibi terram exorturum fuiſſe*,

ſe, qui, preſſo inventorum Batavorum nomine, obſervationes has Scholae Hemſterhuſianae (*graculi ad inſtar qui pavonis pennas ſublegerat*) *ſibi adſcriberent, vel alii certe populo vindicarent,* Hemſterhuſii, Valckenaerii, Lennepiique (*quas jam eadem haec Analogiae Graecae initia, per* quinquaginta *& quod excurrit, annos, in Belgicae foederatae Academiis docuiſſe conſtat*) *ad ſaeculorum usque conſummationem duratura inventa.*

Unum addo, minime obſecturum videri illuſtribus Valckenaerii, Lennepii*que, virorum, aliis operibus immortalitatem diu promeritorum, nominibus, ubi aetatis noſtrae homines, & inſecutura ſaecula intellexerint, judicio aequalium ſuorum dignos habitos fuiſſe duumviros hos eruditiſſimos, quorum vel ipſae Academicae praelectiones, ab auctoribus vixdum in calamum diſcipulis ſuis traditae, in magnum Graecarum literarum incrementum, publicae luci exponerentur: imo potius aeſtimari hinc poſſe, quanta fuerit ipſorum ſcholarum apud Batavos celebritas, qualesque futurae fuiſſent* Valckenaerianae *illae*, de lingua Graeca obſervationes, & Lennepii, de Analogia linguae Graecae praelectiones, *ſi ipſis illis viris licuiſſet ſua perpolire, &, ex eruditionis ſuae copiis, neceſſario*

appa-

apparatu inſtruere, quas nunc, de rogo ipſorum veluti raptos, tanto cum fervore ſibi vindicaſſet, atque in lucem edidiſſet, grata poſteritas.

De Animadverſionibus qualibuscumque noſtris, ad librum Lennepianum *adjectis, nihil dicemus. Permiſſae ſunto aequo judicio illorum, qui eas legere dignati fuerint, ſimulque reſciverint, ſubſecivis horis & currente prelo, conſcriptas fuiſſe, ab homine, Graecarum quidem literarum cupidiſſimo, ſed aliis rebus multis occupato, & quidquid peccatum fuerit emendaturo, ubi ſemel amice, vel & inimice, fuerit admonitus. Dabam Harderovici Nonis Sextil.* CIↃIↃCCLXXXIX.

LUDO-

LUDOVICI CASPARI VALCKENAERII

OBSERVATIONES,

QUIBUS VIA MUNITUR AD ORIGINES GRAECAS INVESTIGANDAS, ET LEXICORUM DEFECTUS RESARCIENDOS.

LUDO-

LUDOVICI CASPARI VALCKENAERII

OBSERVATIONES,

QUIBUS VIA MUNITUR AD ORIGINES GRAECAS INVESTIGANDAS, ET LEXICORUM DEFECTUS RESARCIENDOS.

Ab eo usque tempore, ex quo, praejudicatis opinionibus, quas immoderata priorum parit reverentia, liber & vacuus, perſpicere coepi late patentem & nunquam exhauriendam ſcientiarum amplitudinem; atque adeo, ex quo ad *Graecam* potiſſimum *litteraturam*, ductu Maximi Viri, *Tiberii Hemſterhuſii*, animum meum applicui; ea ſaepius mentem ſubiit cogitatio, quid tandem eſſet cauſſae, quapropter *Graecae linguae*, quae mihi jam tum ad eam lucem, quam divinum *Hemſterhuſii* ingenium ſpargebat, admodum facilis videbatur & expedita, tanta vulgo exiſtimaretur difficultas, quae ab ejus ſtudio, ſevera lege tractando & perſequendo, plerosque, etiam nobilioris animi, juvenes deterreret & averteret: cui cogitationi inhaerenti mihi potiſſima patuit ratio, quam, re altius repetita, hic explicabo.

 Lin-

Linguarum, quae ex uſu receſſerunt, cognitio, ſine ſubſidiis & adjumento Grammaticorum & Lexicographorum, hauriri ac percipi non poteſt. Jam vero ad linguam Graecam addiscendam ſubſidia ſubminiſtrare poſſe videntur *Grammatici* & *Lexicographi* tum veteres tum recentiores. Verum enim vero *veteres* quod attinet *Grammaticos* & *Lexicographos*, natione Graecos, eos interiorem linguae patriae naturam & indolem, ac *primigenias* & fere obſoletas verborum *poteſtates*, non habuiſſe perſpectas, admirandum non eſt, quandoquidem res humanae ita ſunt comparatae, ut, qui primi artem & ſcientiam tradere, & in ſyſtema, quod vocant, redigere aggrediuntur, non poſſint non lubricis multiplicium errorum ambagibus implicari. Praeterea veritatis eſt exploratiſſimae, veteres, tam Graecos, quam Latinos, in linguae vernaculae natura & indole coecutiviſſe univerſos; quin imo in plerisque etiam rebus patriis antiquis: cujus rei, praeter alia, illuſtre documentum ſuppeditabit homo, natione Graecus, *Dionyſius Halicarnaſſeus*, quippe qui Romanorum res antiquas ipſis Romanis, quod inter litteratos conſtat, tradiderit diligentius & enucleatius.

Ergo, ad linguae Graecae hauriendam cognitionem, a recentioribus eruditis, inter quos multi eam pulchre calluerunt, plus videbatur adjumenti exſpectandum. Certe dubitari non debet, quin, inter hos recentiores, fuerint plurimi,

rimi, quibus tota divitis linguae ratio, & natura atque analogia, penitus fuerit perſpecta: quales fuerunt, ut e multis viros tantum principes nominem, *Iſaacus Caſaubonus*, *Joſephus Juſtus Scaliger*, *Claudius Salmaſius*, quibus triumviris, ſiquid auguror, ventura ſaecula *Tiberium Hemſterhuſium* quartum adnumerabunt. Horum virorum ingenia (Optimo Maximo Deo rem litterarum bonarum, in Eccleſiae commodum, ita ſapienter moderante) diviniora, difficultatum, quibus obſepta videbatur interior linguae Graecae cognitio, clauſtris & tenebris perruptis, lucem ſuam intulerunt, eamque adeo lucem veluti facem nobis in multis vocibus praetulerunt. Nec dubitandum eſt, quin, ſi ex illis heroibus aliquis eo ſe demittere voluiſſet, ut Grammaticam Graecam conſcriberet, ac linguae Graecae divitias incredibiles, commode digeſtas, in Lexico explicaret, lautiſſima nunc foret Graecae linguae ac beatiſſima conditio, omniumque linguarum ipſa ſua copia videretur facillima, atque adeo pulchritudinis ſuae amatores atque admiratores frequentiſſimos adliceret.

Id vero dolendum eſt, Grammaticos Graecos recentiores ac Lexicographos pleroſque omnes minus fuiſſe eruditos, & ab iſta egregia judicandi virtute, quae omnibus quidem in rebus, ſed in linguis rite tractandis, valet maxime, non fuiſſe paratiſſimos.

Recentiorum *Grammaticae*, ut vocantur, *Grae-*

cae, ad prima linguae rudimenta facili methodo diſcenda vix ac ne vix quidem accommodatae, regulis ineptis, tortuoſis anomaliarum tricis, & vanorum ac nugantium hominum ſpinoſis deliramentis, ſunt refertiſſimae. De iſta turba merito ſuo eſt ſegregandus *Angelus Caninius*, qui, admodum adolescens, anno MDLV Pariſiis, in quarto, edidit Grammaticam nomine *Hellenismi*, quam editionem in commodum publicum anno MDCC in octavo recentavit *Thomas Crenius*. *Caninium* illum *Joſephus Scaliger doctisſimum* linguarum *interpretem* appellitavit in primis *Scaligeranis*, p. 23. (edit. Ultraj. MDCLXX) ubi haec verba proſtant: *criticus ingenioſus, ſed & nimium in ſacris noſtris libris luxurians. Tanaquillus Faber* inter alia haec manu ſua adſcripſit: *is eſt Angelus Caninius, quem nos, ſi quid in hoc genere ſapimus, omnibus Grammaticis Graecis, quot ſunt, quot fuerunt, longe anteponendum eſſe judicamus.* Quae etſi ſatis calide dicta videri queunt, fatendum tamen eſt, in *Caninii Hellenismo*, quaecunque ad dialectos ſpectant, accurata diligentia fuiſſe pertractata, atque ex ea, veluti fonte, derivatum eſſe, quidquid boni in ſequentibus grammaticis reperiri datur. Vel ſic tamen confidenter adfirmare non dubito, in *Caninii* libro magnam & enervem eſſe ariditatem, atque adeo pauciſſima, quae ad *intimam* linguae *cognitionem* percipiendam multum conducere videantur.

Quod

Quod ſi nunc *Lexica* reſpiciamus Graeca, qualia multa fuerunt, laudabili inſtituto magnoque labore a recentioribus conſarcinata, ne unicum quidem huc usque prodiit, non dico omnibus ſuis numeris abſolutum, ſed ne quidem unicum, quod viam patefaciat, ad *primam verborum indolem* & *formam* detegendam, atque adeo, quod videatur valde commendabile. *Theſaurum* illum copioſum *Henr. Stephani guſtulum modo praebere divitiarum Graecarum*, veriſſime affirmavit illuſtris auctor operis, nunquam ſatis laudandi, *De defectibus Hodiernis linguae Hebraeae* p. 101.

Quod autem nos in lingua *Graeca* deſideramus, id in *Hebraea*, multis voluminibus editis, praeſtare adgreſſus eſt idem vir excellentiſſimus *Albertus Schultenſius*, — *Cui quoque, quod vivo detraxerit invida turba, Poſt obitum duplici foenore reddet honos.*

Utinam tandem aliquando oriretur, qui, ad eandem methodum, *Graeci Sermonis* naturam et analogiam panderet, et explicaret! Utinam eo perduci magnus poſſet *Hemſterhuſius*, ut, quae ſuper hoc ſtudiorum genere, *quadraginta* annorum labore, in privatos uſus collegerit, nobiscum, atque adeo cum publico, communicare dignaretur! Haec vero potius optanda, quam quidem ſperanda ſunt.

Interea temporis, dum quis hanc materiam pro dignitate tractandam ſuſcipiat, nos, pro

noſtrae cognitionis modulo, qui ſane per eſt exiguus, nonnulla tradere aggrediemur huc ſpectantia. Rem (quod ſine vanitatis aut ambitionis ſuſpicione dictum velim, a cujus vitii contagione remotiſſimus ſum) difficilem primum ordiri nobilis ſpiritus, qui juventutem noſtram Academicam vegetare videtur & ad haec ſacra invitare, ſuaſit, & induxit noctes vigilare ſerenas. Minime tamen eſt arbitrandum, nos integrum ſyſtema tradituros, omniaque, ad linguae indolem declarandam facientia, & huc usque in ſitu tenebroſo intricata, explicaturos eſſe & in ordinem digeſturos. Minime gentium. Animo non nimis vano ſemper obverſari debet monitum prudens *Horatii*, in Arte Poët. vs. 38.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Id autem, quod dixi, non, niſi multorum opera per centum annos combinata, perfici poſſe, noſtrasque adeo vires longiſſime ſuperare videtur. Itaque nos tantum dabimus obſervata, quae quidem ad origines Graecas inveſtigandas pertinent generaliora. Nos tantum ſcintillas ſpargemus, in tantis tenebris certe aliquid lucis daturas; nos tantum ſemitam ducemus, ſive, ut minus ambitioſe loquar, ſemitam ab *Hemſterhuſio* & *Schultenſio* monſtratam nonnihil dilatabimus:

bimus: quae ſemita poſtea erit via facienda: ad *origines Graecas* detegendas; ad *primitiva* paene fugitiva reprehendenda; ad *propriam* vocum *ſignificationem* a *figuratis* & *metaphoricis* discretam conſtituendam; ad *Lexicorum*, quae in noſtris manibus verſantur, reſarciendos nonnullos *defectus*. Pauculas dabimus obſervationes: ad hanc enim rem rite ordineque perficiendam aliquot centenae requirerentur. Sed & hae, quantulaecunque obſervationes, ſi fuerint a peritioribus ponderatae & adhibitae, utilitatem praeſtabunt (niſi fallor) ingentem, &, ad uberiorem lucem aliquando acquirendam, veritatemque detegendam plurimum conducent. Hae autem obſervationes, quo videbuntur ſimpliciores (quum color veritatis ſimplex ſit) eo veriores erunt reputandae. Eo certe majore labore nobis conſtiterunt. Sed, ne in limine diutius moremur, ad rem ipſam accedo.

In *lingua Graeca*, ut in *Orientalibus* linguis ac reliquis omnibus, *partes orationis* tantum ſunt *tres*, *Nomen*, *Verbum*, *Conjunctio*. Ab iſto numero, quem ſimplicem naturae ductum ſecutus fecerat vir, in rebus humanae menti non praecluſis, artifex admirabilis *Ariſtoteles*, *Dionyſius Thrax* cumque inſecuti Grammatici, temere receſſerunt. Imo, ſi rem rite ſpectamus,

 ad

ad *verbum* & *nomen* omnia commode revocari poſſunt.

OBSERVATIO I.

Verba *ſimplicia* (nam de *compoſitis* non loquemur, verum demum poſtea paucis dicemus) apud Graecos ſunt vel *primitiva*, vel a primitivis per varios flexus *derivata.*

OBSERVATIO II.

Primitiva verba admodum ſunt *pauca: derivatorum* numerus eſt *infinitus.*

OBSERVATIO III.

Binae literarum ſyllabae verbum *primitivum* conſtituunt.

OBSERVATIO IV.

Verba primitiva, ſecundum obſervationem tertiam, *diſſyllaba* vel ſunt *bilittera*, vel *trilittera*, vel *quadrilittera.*

OBSERVATIO V.

Primitiva *bilittera*, per rei naturam, dari posſunt in univerſum (ſi vel totam linguam perſcrute-

ſcrutemur) tantum quinque, nempe ἄω, ἔω, ἴω, ὄω, ὔω. Primitiva *trilittera* ſunt, quae a *vocali*, *quadrilittera*, (pleraque ſaltem) quae a *conſonante* incipiunt. Hoc certum eſt: ſed de eo etiamnum addubito, an nonnulla verba, *quinque* litteris conſtantia, pro *primitivis* debeant haberi?

OBSERVATIO VI.

Quaecunque verba per totam, qua late patet, linguam diffuſa, *pluribus* conſtant ſyllabis *quam duabus*, pluribusque litteris quam *quatuor*, vel ad ſummum (ſecundum dubitationem ante memoratam) *quinque:* illa omnia a primaeva ſimplicitate deflexerunt, & pro *derivatis* certo cenſeri debent; ac per certas analogiae leges ad ſuam ſingula originem, unde remanſerunt, reduci poſſunt.

OBSERVATIO VII.

Ad verba primitiva a ceteris dignoscenda, naturae & veteris aevi ſimplicitas eſt conſideranda.

OBSERVATIO VIII.

Naturae *ſimplicitatem* voco ſimplex illud & admirabile priſcorum hominum artificium, quo ex

 lite-

literarum, diverſimode poſitarum, artificioſa conjunctione verba *primitiva* confecerunt paucisſima.

OBSERVATIO IX.

Ea res exemplis potius, quam multis verborum ambagibus, videtur declaranda. Centena aliquot in lingua Graeca dantur verba, a littera α incipientia. Inter illa omnia *ſimplicia primitiva* admodum ſunt pauca. Neque per rei naturam fieri aliter poterat. Praeter unicum verbum *ἄω*, (obſervatione V. memoratum) reliqua omnia primitiva ab α incipientia (ſecundum eandem obſervationem) ſunt *trilittera.* Ex *tribus* autem, quibus conſtant, litteris *unica* tantum, nempe *media*, variari poterat. Jam vero conſonantes, in *veteri* Graecorum Alphabeto, tantum fuerunt *undecim*, quum *duplices* Ζ, Ξ, Ψ, & *adſpiratae* Θ, Φ, Χ, aevo recentiori demum in Alphabetum fuerint introductae. Itaque, ſi vera eſt (admodum certe probabilis) noſtra conjectura: verba primitiva, ab α incipientia, in antiquâ & ſimplici lingua fuerunt tantum duodecim; nempe: ἄβω, ἄγω, ἄδω, ἄκω, ἄλω, ἄμω, ἄνω, ἄπω, ἄρω, ἄσω, ἄτω & ἄω. In talibus naturae ſimplicitas ac certus primitivorum character elucet. Nunc porro ab aliis litteris incipientia paucula primitiva protuliſſe ſuffecerit, ad quorum ductum & colorem omnia facili negotio

gotio queant poſtea, ubi opus fuerit, detegi & eruderari.

Primum ſpeciminis ergo aliquot producam, etiamnum *primitiva*, *trilittera*. Talia ſunt ex. gr. ἕδω, & ἕδω, (unde Lat. EDO & SEDEO) ἕκω, ἕλω, ἕμω, ἕπω, ἕρω. Porro ſunt δάω, δέω, δίω, δόω, δύω. Πάω, πέω, πίω, πόω, πύω. Τάω, τέω, τίω, τόω, τύω.

Primitiva etiam dantur *quadrilittera*; ubi tamen obſervandum eſt, illa non niſi a conſonante incipere: quaecumque enim, primam litteram *vocalem* habentia ſunt *quadrilittera*, illa certe primitiva non ſunt. Itaque primitiva *quadrilittera ſimplicia* ſunt ex. gr. ſequentia, quae partim nunc exſtant, partim, *Schultenſiana* methodo, reſtituenda ſunt: γάνω, γένω, γέρω &c. δάκω, κάμω, δάπω, δέκω, δέλω, δέμω, δέρω, δίκω, δίνω &c. κάκω, κάλω, κάμω, κάπω, κέλω, κέπω, κέρω, κίνω &c. λάβω, λάκω, λάλω &c. πέπω, πέρω, πένω &c. τάλω, τάμω, τέλω, τέμω, τίνω, τέρω, τέγω, τίλω, τίνω, τύκω, τύλω, τύπω &c. Atque ita, in omnibus reliquis litteris pergendo, primaevus linguae priſcae adſpectus, ſi quid judico, exhiberi et facili opere repraeſentari poterit. Atque ſimiliter, ſi ad calculos ſedeamus, inveſtigari poterit, quot probabiliter a primis ſapientibus illis linguae conditoribus ſimplicia primitiva fixa fuerint & conſtituta; atque adeo, quot verbis primitivis lingua Graeca conſtiterit? Hujus obſervationis, quum utilitas primum vide-

videatur perexigua, uſum eſſe incredibilem, ſequentia declarabunt.

Haec de primitivis dicta ſunto. Plura addemus, ubi primum *derivata* verba habuerimus perſpecta.

OBSERVATIO X.

Ex verbis primitivis, tanquam totidem ſtirpibus & radicibus, amoeno linguae horto inſitis, derivatorum verborum, tanquam totidem ramorum, foecunda propago emicuit & propullulavit.

OBSERVATIO XI.

Verba *derivata ſimpliciſſima* vocamus illa, in quorum primitivis *unica* tantum *littera*, ſeu *conſona*, ſeu *vocalis* interſeritur. Ex. gr. (ex obſervatione IX.) primitiva ſunt τίγω, τίλω. Jam derivata voco ſimpliciſſima τίγγω, τίλλω &c. Secundum eandem obſervationem primitiva ſunt ex. gr. πέρω, τέρω, ἄρω, κάπω, τύπω. Horum derivata ſimplicia ſunt πείρω, & πέρνω, τείρω, ἄιρω, κάπτω, τύπτω, & millena ſimilia. Porro *derivata* ſimplicia, ſed *paullo* tamen *magis producta*, dicimus foecundam iſtam verborum copiam, *a ſuis primitivis*, per *quinque* ſonos, quos ipſa natura dictat, formatam, nempe A, E, I, O, Y. Hoc poſterius, ut rite percipiatur, res

res clare, exemplis in medium prolatis, eſt explicanda. Secundum obſervationem IX. primitivum eſt, ex. gr. verbum ἄρω. Ex iſto primitivo per *quinque ſonos*, ſeu *vocales*, totidem emanarunt ſimplices verborum derivatorum formae, nempe ἀράω, ἀρέω, ἀρίω, ἀρόω, ἀρύω. Primitivum eſt verbum ἄλω. Hinc totidem formae emanarunt, nempe ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω. Secundum eandem obſervationem primitiva ſunt ἄκω, ἕλω, πέλω, πέρω, πέτω, τέρω. A ſingulis, per eosdem ſonos productae *quinque* naſcuntur verborum formae.

Ab ἄκω· ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω.
Ab ἕλω· ἑλάω, ἑλέω, ἑλίω, ἑλόω, ἑλύω.
A πέλω· πελάω, πελέω, πελίω, πελόω, πελύω.
A πέρω· περάω, περέω, περίω, περόω, περύω.
A πέτω· πετάω, πετέω, πετίω, πετόω, πετύω.
A τέρω· τεράω, τερέω, τερίω, τερόω, τερύω.

OBSERVATIO XII.

In iſtis derivatorum formis, per *quinque* ſonos productis, frequentiſſima eſt *primae ſyllabae*, per vocalis eliſionem, *contractio*, ad hanc normam: quum a verbo πέλω, ut vidimus, naſcantur quinque, πελάω, πελέω, πελίω, πελόω, πελύω, formarunt hinc, per contractionem, πλάω, πλέω, πλίω, πλόω, πλύω. Sic formarum, a τέρω productarum, *primam* ſyllabam contraxerunt, & uſurparunt olim τράω, τρέω, τρίω, τρόω,

τρόω, τρύω. A πέτω, praeter formas, (obſervatione XI. memoratas) formarunt etiam πτάω, πτέω, πτίω, πτόω, πτύω· a πέρω (pro περάω &c.) πράω, πρέω, πρίω, πρόω, πρύω etiam dixerunt. Sic a κέρω (pro κεράω &c.) poſuerunt quoque κράω, κρέω, κρίω, κρόω, κρύω, atque ita in centenis aliis. Ad eam itaque rationem in verbis etiam *diſſyllabis*, ſed in αω, εω, ιω, οω, υω, deſinentibus, (quae ſecundum obſervationem XI. ſunt derivata) ſemper etiam de contractione eſt cogitandum. Iſta autem, quam dico, contractio *primae* ſyllabae in iis tantum verbis, quae a conſonante incipiunt, obtinere potuit: ſi quidem in iis, quorum prima littera eſt vocalis, rei natura contractionem iſtiusmodi reſpuit.

OBSERVATIO XIII.

Ex derivatis *ſimplicibus*, in αω, εω, ιω, οω, υω, deſinentibus, incredibilis novarum formarum ſeges, per omnem linguae ampliſſimae ambitum late diſſipata, ſuccrevit. Verbum pone ex. gr. ἄγω, cujus eſt, in lingua Graeca aeque ac Latina, uſus frequentiſſimus, (ex obſervatione IX.) *primitivum*, & (ex obſervatione XI.) per *quinque*, ſonos productum, ἀγάω, ἀγέω, ἀγίω, ἀγόω, ἀγύω. Jam vero harum formarum ſingulae maximam ex ſe ſobolem propagârunt. Ab ἀγάω ex. gr. derivantur, ſecundum conſuetas formandi leges, ἀγάζω, ἀγαίω, ἀγάλλω, ἀγαύω, quae

quae *quatuor* formae verborum, contigua virtute pollentium, in omnibus, qui ſuperſunt, veterum libris & in lexicis noſtris reperiuntur. Quod dico de *ἀγάω*, ad reliqua, ſimiliter deſinentia, transferri poteſt & debet.

OBSERVATIO XIV.

Non tantum a verbis in *αω* iſtae *quatuor* (quas proxima obſervatione commemoravi) formae *αζω*, *αιω*, *αλλω*, *ανω* emanarunt; ſed multo plures fuerunt natae. Quot vero formas linguae Graecae indoles & prisca natura admiſerit, tum demum finiri & certo conſtitui poterit, quando totius linguae conſpectum habuerimus ſub oculos poſitum.

Interea formas maxime uſitatas hac obſervatione complectar. Itaque, praeter alias formas minus obvias, a verbis in *αω* (ſecundum obſervationes XI. & XII.) derivatis, formae novae derivantur ſequentes, quae deſinunt in *αζω*: veluti ab *ἄγω· ἀγάω, ἀγάζω*, a *πτοάω· πτοάζω*, a *κολάω· κολάζω*. In *αιω*: ut ab *ἀγάω· ἀγαίω*, a *δάω· δαίω*, a *μάω· μαίω*. In *αίνω*: ut a *χάω· χαίνω*, a *βάω· βαίνω*, ab *ὑφάω· ὑφαίνω*, ab *ὁρμάω· ὁρμαίνω* &c. In *αλλω*: ut ab *ἀγάω· ἀγάλλω*, ab *ἀτάω· ἀτάλλω*, ab *ἰάω· ἰάλλω*, a *ψάω· ψάλλω* &c. In *ανω*: ut a *λαβάω· λαβάνω*, a *μαθάω· μαθάνω*. In *ασκω*, ut ab *ἡβάω· ἡβάσκω*, *δάω· δάσκω*, *πάω· πάσκω*, *χάω· χάσκω*, *περάω· περάσκω*.

In

In *αύω*, ut ab *ἀγάω· ἀγαύω*, ab *ἰάω· ἰαύω*, a *τάω· ταύω*, a *ψάω· ψαύω*. In *ημι*, ut ab *ἀγαω· ἄγημι*, a *πιπλάω· πίπλημι*, ab *ἄω· ἄημι*.

OBSERVATIO XV.

Dubitari nullo modo debet, quin verborum, a verbis in *αω* derivatorum, formae in libris veterum reperiantur longe plures atque illae ſunt, quas modo recenſuimus. Verum enimvero univerſa illa, ad hanc lucem, a judice non penitus rudi, & harum rerum imperito, facile uſu animadverti poterunt, & ad ſuas claſſes reduci.

Uſus autem, penes quem in omnibus linguis loquendi eſt regula, voluit, ut verba derivata in *ιω*, *εω*, *υω*, inter Graecos, in ſermone quotidiano minus fuerint frequentata. Hinc peti debet ratio, cur pauciores in libris noſtris reperiantur verborum formae, a derivatis in *ιω*, *οω*, *υω* deſinentibus, deductae. Reperiuntur tamen a verbis in *ιω* derivatae formae in *ιζω*, *ιλλω*, *ινδω*, *ισκω*. A verbis in *οω* deſinentibus manarunt verba, in *ȣω*, *ωμι*, & *ωσκω*. A verbis in *υω* oriuntur, quotquot deſinunt in *υτω*, *υλλω*, *υμι*, *υσκω* & ſine dubio plura alia.

OBSERVATIO XVI.

Porro uſus inter Graecos voluit, ut verba in

αω

αω & εω, cum pleraque omnia, (ſecundum obſervationem XI.) a primitivis fuerint derivata, maxime uſurparentur. Itaque etiam a verbis in αω magna deſcendit derivatorum copia, quorum paucas formas obſervatione XIV. poſuimus. Similiter a verbis in εω totidem fere formae fuerunt propagatae, e quibus etiam nonnullas, potiſſimum uſurpatas, huic obſervationi includam.

Igitur verba in εω pepererunt deſinentia in ἔζω· ut πιέω, πιέζω, χέω, χέζω, &c. In έθω, ut τελέω, τελέθω, νεμέω, νεμέθω, φλεγέω, φλεγέθω. In είω· ut τελέω, τελείω, ὀκνέω, ὀκνείω, κλέω, κλείω, χέω, χείω. &c. In έλλω, ut ἀέω, ἀέλλω, σκέω, σκέλλω, βδέω, βδέλλω. In έσκω· ut ἀρέω, ἀρέσκω, κρέω, κρέσκω, (unde Lat. CRESCO) &c. In εύω· ut κελέω, κελεύω, λαβέω, λαβεύω, &c. In ήθω· ut ἀλέω, ἀλήθω, κνέω, κνήθω, πλέω, πλήθω, &c. In ημι· ut εἰδέω, εἴδημι, σβέω, σβῆμι, θέω, θῆμι. Quod jam ante monui, hic eſt repetendum, naturam linguae longe plures verborum derivatorum formas admittere. Omnes enumerari non poſſunt, niſi ab eo, qui integrum linguae ambitum oculo critico perluſtraverit.

OBSERVATIO XVII.

Vidimus, cujus formae ac moduli, aevi priſci rudem ſimplicitatem referentia, verba ſint *primitiva*. Eorum primitivorum numerus (ſunt autem pauciſſima) ſi ſederemus ad calculos (ad

ductum obſervationis IX.) probabiliter poſſet conſtitui. Ad iſtam obſervationem viam nobis aperuit celeb. *Schultenſius*, in libro *De Defect. hodiern. ling. Hebr.* pag. 8. 9. 10. & 11. Si ponamus, per linguae naturam fieri potuiſſe, ut ſingula illa primitiva minimum *quinque* novas ex ſe verborum formas propagarent, (ſecundum obſervationem XI.) primitivorum numerus *quinquies* multiplicatus magnus evadet. Porro ab iſtis derivatis, per *quinque* ſonos naturales α, ε, ι, ο, υ, productis, maxima ſuccrevit novorum derivatorum ſylva, (ſecundum Obſervationes XIII. XIV. & XVI.) Ponamus, iſta derivata in αω, εω, ιω, οω, υω, ſingula *octonas* tantum novorum derivatorum formas exhibuiſſe, quod (ſecundum obſervationes XIV. & XVI.) ſine ulla temeritatis ſuſpicione adfirmari poteſt, ſecundus numerus *quadragies* multiplicatus verborum copiam efficiet immenſam, et paene incredibilem. Copia autem iſta incredibilis verborum, ſi porro ad linguae foecundae divitias ſpectemus, ejus minimam tantum ob oculos ponet, & leviſſimam, particulam. Id non inconſiderate aut juveniliter dici, ſequentes obſervationes patefacient.

OBSERVATIO XVIII.

A *ſecundis* derivatis, quorum aliquot formas exhibuimus (obſervationibus XIV. XV. XVI.) *nova*

nova iterum oriuntur *derivata*, paene infinita, ſolo uſu & jugi exercitatione dignoſcenda.

OBSERVATIO XIX.

Atque ea, quae attigimus, derivata verba pleraque oriuntur tantum ab aliorum verborum *tempore praeſenti.* Naſcuntur autem, e reliquis etiam temporibus, multiplices verborum derivatorum propagines, ex *Futuris* maxime & *Praeteritis.* E *Praeteritis activis* ex. gr. oriuntur plurima in χω & φω terminata. A *Futuris* verborum derivatorum propagantur claſſes minimum *quinque.*

Primam claſſem verborum, a *Futuris* deductorum, conſtituo formas, quae vocantur *Atticae*, ut ſunt verba ἄυξω, ἀλέξω, & caetera iſtius moduli. Iſta autem proprie *Futura* ſunt ab ἄυγω (unde Lat. AUGEO) & ἀλέγω, ſecundum analogiam linguae formata.

Secundam claſſem talium derivatorum conficiunt verba omnia in σκω, qualia millena forte in libris noſtris etiamnum ſuperſunt. Verba in σκω a *Futuris* derivari, alia item hanc in rem idonea, nobis obſervavit *Angelus Caninius*, in *Hellenismo*, p. 355, cui viro obſervationis, ſi qua ea eſt, laudem acceptam referimus.

Tertia claſſis eorum, quae a *Futuris* derivantur, eſt verborum, in σσω deſinentium, *Futuri* characteriſtica duplicata. Ad hanc itaque claſ-

ſem ſunt reducenda verba omnia, quotquot ſuperſunt, terminata in ασσω, εσσω, ισσω, οσσω, υσσω, deducta a *Futuris* ασω, εσω, ισω, οσω, υσω, verborum in αω, εω, ιω, οω, υω, deſinentium. Huiuscemodi verba prope ſunt infinita. Huc etiam referenda ſunt omnia, quae *Attice* terminantur in ττω.

Quartam claſſem derivatorum a *Futuris* ponimus verba raro obvia, quorum primitivorum *Futuris*, poſt characteriſticam σ, littera ϑ inſeritur, atque adeo terminata in σϑω, qualia ſunt ἀΐσϑω, βιβάσϑω, ἔσϑω, formata a *Futuris* ἀΐσω, βιβάσω, ἔσω, verborum ἀΐω, βιβάω, ἔδω. Linguae autem natura patiebatur, ut, haec derivata a *Futuris*, nova iterum ex ſe propagaverint (ſecundum obſervationem XI.) derivata. Ab ἀΐσϑω certe in Lexicis ſuperſunt noſtris ἀισϑάω, ἀισϑάνω, ἀισϑέω· ab ἔσϑω remanſere derivata nova ἐσϑίω & ἐσϑέω, quorum prius frequentiſſime eſt obvium, alterum ab auctore *Etymologici* magni ſervatum eſt.

Quintam claſſem derivatorum a *Futuris* exhibent verba omnia deſinentia in ψείω, σείω, ξείω, ut ſunt ex. gr. ab ὄπω· ὄψω, ὀψείω, a δράω· δράσω, δρασείω, ab ἀλλάσσω· ἀλλάξω, ἀλλαξείω.

OBSERVATIO XX.

Quae huc usque conſideravimus, *verba* ſunt tantum *a verbis* deducta. Atqui dantur, in ſermonis

monis Graeci complexu, verborum derivatorum centena forte millia, *a nominibus prognata:* quin & plurima *a particulis* orta. Illa autem univerſa, ſecundum ſolemnes & certas formandi leges prognata, facillimo opere tum poterunt discerni & in ſuas claſſes reduci, quando *nomina* a *verbis*, ſecundum certos itidem canones, deducta habuerimus cognita. Nos autem, quod in initio dixi, hic tantum ſcintillas ſpargimus, poſtmodo demum lucem daturas.

OBSERVATIO XXI.

Obſervationes, quas huc usque ex interiore linguarum indole, ſimilitudine exemplorum, quam nos *analogiam* vocamus, ſubnixi eruimus, ad *verba* ſpectant *primitiva* & *derivativa*, ſed tantum *ſimplicia*. Jam vero nulla datur lingua (ex iis certe, quae vocantur mortuae) adeo ferax compoſitorum, quam quidem Graeca. Imo haec eſt ſermonis Graeci dos et virtus eximia ac ſingularis, ut amabili glutine, & nexu prope admirabili, voces diverſas nectat & colliget, adeo ut una voce Graeci ea plerumque exprimere valeant, quae in alias linguas non niſi ambitioſo vocabulorum multorum tractu commode verti poſſunt aut transfundi. Nondum loquimur de *nominibus*. In *verbis* tantummodo conſiderandis in his obſervationibus fuimus

mus

mus occupati. *Verba* autem *cum verbis*, *verba cum nominibus*, modo tam vario, & tam multiplici, artificioſe componi queunt, & ſibi invicem innecti & illigari, ut componendi & glutinandi rationes, quas primi conditores linguae admirabilis fixiſſe videntur, nullis regulis includi poſſe videantur. Omnibus, qui vel a limine auctorem Graecum quemcunque, ſive ſacer ſit ſeu profanus, ſalutaverunt, luculenter patere arbitramur, *numerum compoſitorum prope* eſſe *infinitum*, atque adeo, quam longiſſime ſuperare immenſum numerum verborum ſimplicium, quorum levem tantum particulam, ſub obſervatione XVII, dedimus introſpiciendam.

OBSERVATIO XXII.

Ut autem id, quod modo dicebamus, nemini non ſit exploratiſſimum: hac obſervatione pauca complectar, ab inſtituto ſermone nonnihil remota. Non tantum *verba cum verbis*, *verba cum nominibus*, ſed & *verba cum* variis *particulis*, quae ſingulae ſuum retinent in compoſitione ſignificatum, eleganter apud Graecos poſſunt connecti. Componendi ratio maxime uſitata ea eſt, qua *verbis praepoſitiones*, ut vocantur, praeponi & praefigi ſolent. Praepoſitiones numero *octodecim* ſunt, omnibus, qui has litteras tractant, notiſſimae. Singula autem verba ſimplicia, per linguam late diffuſa, per

primae-

primaevam linguae indolem, cum ſingulis praepoſitionibus potuerunt conjungi, niſi quarum copiam indoles & ſignificandi virtus, verbi propria, reſpueret. Si quid autem licet in hisce conjectaſſe, autumem tamen, in verbis componendis in univerſum magnam fuiſſe inter populos, omnibus in rebus libertatem amantes, licentiam. Arbitror enim, ſcriptoribus linguae patriae callentibus quam maxime licuiſſe nova introducere compoſita, prioribus incognita atque inaudita. Sed, ut credam, ex. gr. omnia verba cum octodecim praepoſitionibus compoſita, apud Graecos antiquiſſimos, primaevo tempore, fuiſſe in uſu, non facile inducor. Quantopere autem Graeculi, linguae perpoliendae ſemper ſtudioſi, venuſte luxuriari amaverint, unico tantum e multis exemplo demonſtraſſe utile erit: ut hinc ſimul etiam clarius copia Graecae linguae incredibilis pateſcat.

Dico itaque audacter & confidenter, *unicum verbum ſimplex*, per linguae indolem, potuiſſe ex ſeſe propagare non tantum XVIII, ſed XXX, XL, LX, C, etiam forte plura, *tantum cum praepoſitionibus* compoſita. Quandoquidem autem praepoſitiones tantum ſunt XVIII, adeoque id, quod dico, incredibile videri poſſet & paradoxum: unico exemplo, in medium prolato, defungemur. Exemplum ſit verbum βάλλω. Id primum ex ſe peperit XVIII, compoſita: quae univerſa in libris veterum vigent,

atque inde diligenter ab *Henr. Stephano* in theſaurum linguae Graecae relata fuere, ἀμφιβάλλω, ἀναβάλλω, ἐπιβάλλω, ἀποβάλλω, διαβάλλω, εἰσβάλλω, ἐκβάλλω, ἐμβάλλω, ἐπιβάλλω, καταβάλλω, μεταβάλλω, παραβάλλω, περιβάλλω, προβάλλω, προσβάλλω, συμβάλλω, ὑπερβάλλω, ὑποβάλλω. Graeci, vel iſta necdum copia contenti, ex iſtorum compoſitorum ſingulis formarunt *nova*, mirum in modum variata, ſingularum praepoſitionum *compoſita*.

Ne ab hoc verbo diſcedamus, ſequentia (quae, veterum uſu trita, in Lexicis reperiuntur) ad divitias copioſae linguae in ceteris porro etiam ſpectandas, utile fuerit ante oculos poſuiſſe, ſecundum Alphabeti ordinem: ἀντεμβάλλω, ἀντιπαραβάλλω, ἀντιπροβάλλω, διεκβάλλω, διεμβάλλω, ἐμπαραβάλλω, ἐνδιαβάλλω, ἐπαναβάλλω, ἐπεμβάλλω, ἐπικαταβάλλω, ἐπιπροβάλλω, παρακαταβάλλω, παρεισβάλλω, προαναβάλλω, προδιαβάλλω, προεκβάλλω, προεμβάλλω, προεπιβάλλω, προκαταβάλλω, προσαναβάλλω, προσαποβάλλω, προσδιαβάλλω, προσεκβάλλω, προσεμβάλλω, προσπαραβάλλω, προσπεριβάλλω, συμμεταβάλλω, συναποβάλλω, συνεισβάλλω, συνεκβάλλω, συνεπιβάλλω, ὑπαναβάλλω, ὑπεκβάλλω, ὑπερεμβάλλω. Ex unico hoc exemplo, ut opinor, liquebit, quantam ſilvam compoſitorum ſolarum praepoſitionum numerus, non magnus, linguae ſufficere potuerit & ſubminiſtrare.

Neque tamen hic ſubſiſtit luxurioſa Graecorum licentia; quâ tempore jam antiquiſſimo non

binas

binas tantum praepoſitiones, ſed & *tres*, verbis praefixiſſe ſibi licitum crediderunt, ſiquidem apud *Homerum* (quo nihil habemus antiquius) iſtiusce generis complura reperire licet, quique id ſtuderet, in omnibus veterum ſcriptis ejus generis inveniret plurima.

OBSERVATIO XXIII.

Ex paucis, quae poſuimus, attendenti clarebit, immenſam eſſe ſermonis Graeci amplitudinem, ſed & ſimul (ſi quidem animum habuerit ingenuum, & libertatis plenum) ſuſpicabitur, in hoc novo ſtudiorum genere remanere latifundia, ab hominibus eruditis, qui huc usque obſcuritatem lumine ſuo illuſtrarunt, minime exhauſta, neque etiam aliquot venturis ſeculis exhaurienda. Quem itaque prior cogitatio nonnihil concuſſerit, illum altera ſuſtinebit & recreabit. Ipſa difficultas in omnibus ſcientiis, in quibus ſententias libere licet dicere, ingenia nobiliora ſemper ad eam improbo labore perrumpendam adegit & irritavit. Verum nihil etiam eſt, quod difficultas aut magnus verborum cumulus quemquam deterreat a nobili ſtudio; ſine quo nullus patet ad ullam ſcientiam aditus. Etenim rite eſt animadvertendum, ſermonem Graecum, nihilominus facilem eſſe & expeditum, imo tanto faciliorem, quanto majoribus divitiis ceteras linguas, quae

quidem ad noſtram cognitionem pervenerunt, longiſſime ſuperat. Quando huic cogitationi altius inhaereo, linguam Graecam comparare ſoleo domui amplae & ſpatioſae, in qua omnia ſunt ad uſum eleganter accommodata; ſed cujus domus ſingula conclavia, ſecundum normam & regulam a peritiſſimo architecto fabricata, multiplicia, ſed eadem habeant ornamenta. Quod rem penitus intuenti mihi inciderit, ſub allegoriae non longe petitae tegmine declarabo. Conſideramus linguam Graecam tanquam hortum, ſimplici ac naturali pulchritudine amoeniſſimum, grata florum diverſiſſimorum copia cultiſſimum, & mirificum in modum variegatum; ſed cujus horti prae caeteris hortis natura duplicem ob rationem eſt admirabilis: primum, quod, ſi ſpectemus horti amplitudinem & capacitatem, arbores ferat numero pauciſſimas, arbores vero per eoſdem ordines directas; arbores, quarum proceritas & late ſpatioſa ac in longum diffuſa ramorum amplitudo ſpatium horti totum opacet. Deinde id arboribus hujus horti peculiare eſt, quod truncus omnium arborum ſit ſimillimus, quod rami in omnibus arboribus numero pares ad eandem lineam videantur educti, quodque in ſingulis ramis omnium truncorum totidem reperiantur folia, nullis lineamentis diſparia, adeo ut qui unius rami folia, unius trunci ramos, oculo curioſo & philoſophico conſideraverit, ac probe perſpexerit,

rit, is eadem opera mox noverit, ſingularum arborum rami quot foliis gravati luxurientur, quot rami e ſingulis truncis propullaverint. Hanc allegoriam, ſyſtemati noſtro, ut opinor, congruam, judicavimus hic interſerendam, ut ingenia experiremur, his rebus, de quibus nos tractamus concipiendis ac poſtea in meliorem lucem proferendis, idonea. Nunc, ut in ſermonis inſtituti orbem, e quo fuimus evagati, revertamur, tuemur fortiter, linguam Graecam facilem eſſe, & celeriter addiſci poſſe, ab iis nempe, qui cogitare didicerunt, verba *derivata* (namque primitiva oppido ſunt pauca) *quidem plurima*, ſed *ſecundum easdem regulas a ſuis primitivis* ſingula deducta. Si in uno verbo percipiamus rationem componendi, omnium verborum, quae quidem uſurpari potuerint, compoſita eadem opera habebimus explorata.

Sed ad naturam ſermonis priſcam ſpectandam, atque adeo etiam ad ea, quae nos hic tradimus (& in laboribus, in quibus verſamur, maxime in ſcriptore ad Hebraeos, copioſius illuſtravimus) ad ea, inquam, nemini patet aditus, niſi qui prima linguae Graecae rudimenta, maxime autem *conjugandi*, ut vocant, & *tempora* e temporibus legitimo ordine deducendi, rationes puer tenaci memoria combiberit, adeo ut nullo tempore ea ſibi elabi patiatur. Haec qui puer neglexerit, aut adoleſcentior, vir factus in ſcriptoribus Graecis legendis verſatis-

ſatiſſimus ubique locorum haeret, ſaepe pedem offendit ad minimos ſcrupulos, & in parvis graviter labitur. Si deſideramus nucleum, cortex frangendus eſt, & cum aliqua amaritudine perrumpendus. Studium linguarum in univerſum in ipſis primordiis triſte eſt & ingratum, ſed, primis difficultatibus labore improbo & ardore nobili perruptis, poſtea, ubi ſanctiſſima antiquitatis monumenta verſare licet, cumulatiſſime beamur.

OBSERVATIO XXIV.

Quando de verbis *primitivis* & *derivatis*, deque his ad originem deducendis, loquimur, videri poſſit, ac ſi nemo hoc ſibi ſtudium ſumſiſſet decurrendum. Ne quis ergo cogitatione animi praepoſtera labatur praeceps, nunc dabimus operam.

Inter *Lexicographos* recentiores Graecos, poſt litteras, barbaria & ſuperſtitione domitis, in Italia renatas, multi difficile munus fuerunt aggreſſi; ſed ante *Henricum Stephanum* nemo de derivatis ad originem deducendis, ac tantum primitivis ſecundum ordinem Alphabeti digerendis unquam ita cogitavit, ut hoc in genere Lexicon Graeco-Latinum vulgaverit.

Qui Lexicis Graecis conſarcinandis primi manum admoverunt, *triplici* hac in parte *via* inſiſtunt. Vel enim, nullo originis habito reſpectu,

ſpectu, omnia, quae quidem norunt, vocabula *ſecundum litterarum ordinem* diſponunt, ſive *derivata*, ſive *compoſita*. Vel omnia *ordine indigeſto*, neque originis, neque etiam ſeriei litterarum, habita ratione, diſpoſuerunt. Vel tandem voces quisque pro ſua ſapientia *ad originem* deducere tentarunt.

Qui prae caeteris, quotquot fuerunt inter recentiores, Lexicographi, longiſſime eminent, ad *ſecundam claſſem* pertinere ſunt exiſtimandi, *Budaeus* & *Camerarius*. *Guilielmus Budaeus*, vir muneribus in Francisci I. Galliarum Regis aula conſpicuus, magis autem eruditione exquiſita nobilis & ſui ſeculi facile princeps, Pariſiis anno CIƆIƆXXIX, Lexicon edidit, ſeu, ut ille vocat, *Commentarios Linguae Graecae*. In his infinitae voces docte illuſtrantur, nulla tamen ratione habita ordinis litterarum. Hujus libri, omnibus, qui ad eruditionem viam affectant, valde commendabilis, ſaepius repetita fuit editio. Omnium optima eſt illa, quam *Robertus Stephanus* anno CIƆIƆXLVIII, Pariſiis in *folio* excudi curavit. Eadem ratione indigeſtos commentarios utriusque linguae, Baſileae anno CIƆIƆLI, in *folio* vulgavit vir litterarum callentiſſimus & eruditiſſimus *Joachimus Camerarius*.

Priorum, quos commemoravi, Lexicographorum, qui voces omnes ſecundum ſeriem alphabeti diſpoſuerunt, turba eſt maxima, a nobis non commemoranda. Sed de turba iſta merito

rito eſt ſegregandus vir itidem primarius, *Robertus Conſtantinus*, qui (anno CIƆIƆCV mortuus, anno aetatis CIII, ut notat Teiſſierus ad Elogia Thuanea) itidem ſecundum alphabetum confectum, ſed tamen luculentum & egregium, dum in vivis erat, vulgavit Dictionarium linguae Graecae, editum Genevae anno CIƆIƆLXII, duobus voluminibus in folio, cujus compendium conſarcinavit *Johannes Criſpinus* in lexico ſaepius obvio. *Rob. Conſtantinus* in praefatione dictionarii ſui tabulam memorat artificioſam aliquando a ſe edendam, in qua origines linguae Graecae occurrerent & primitivis ſubjecta collocarentur derivata, alphabeti ordine tantum ſervato in primitivis. Sed promiſſis non ſtetit vir optimus, neque unquam iſta tabula artificioſa in lucem hominum prodiit.

Haec itaque laus *Henrico Stephano* illibata eſt conſervanda, qui, quantum ego ſciam, primus omnium verborum derivata & compoſita ad *radices* ſuas reducere ac primitiva rariora colligere fuit aggreſſus, edito theſauro linguae Graecae, IV voluminibus in *folio* anno CIƆIƆLXXII. Hujus Lexici compendium fur litterarius *Johannes Scapula* anno CIƆIƆLXXIX, uno volumine complexus, edidit, atque iſto facinore praeceptorem & dominum ſuum ad reſtim adegit. *Scapulae* Lexicon, ſaepe vulgatum, accuratiſſime prodiit apud Elzevirios & Hackium anno CIƆIƆCLII. Verum quaevis hujus libri editiones

nes ſtudioſorum hominum commodis queunt inſervire.

De *Theſauro Stephani* haec bina ſcitu digna probe animadvertenda ſunt. (1) In lexico, ad eam, quam dixi, rationem digerendo, *Roberti Stephani*, *Henrici* parentis, labores filio plurimum profuiſſe. Vaſtum autem illum eruditionis Graecae Theſaurum non ab unis *Stephanis*, ſed collata plurium opera, fuiſſe congeſtum, monuit vir ſummus *Tiberius Hemſterhuſius* ad *Luciani* Promethea, operum, quae etiamnum ſub prelo ſudant, Vol. I, pag. 191. & ante *Hemſterhuſium* id ipſum non latuerat divino *Scaligero*, quem vide in *Scaligeranis*. (2). Non eſt arbitrandum, omnes linguae Graecae divitias, (quae temeraria eſt & minime recta quorundam cogitatio) Theſauro *Stephani* fuiſſe incluſas. Minime. Qui levi tantum oculo amplas capacis linguae copias introſpexerit, mecum confitebitur, ad eas ordine decenti reponendas volumina requiri ejusdem molis minimum duodecim. Si quidem vero in rebus magnis ſufficit voluiſſe, magnae laudi reputandum eſt *Henrico*, quod primus, laborum non fugitans, opus immenſum auſus fuerit inceptare quodque primus inſtituto laudabili derivata ſub primitivis poſuerit. Hinc ſubit admirari, quam diverſa ſint hominum in litteris verſantium judicia. Nonnulli enim iſtam rationem, ad quam *Stephani* digeſtum fuit Lexicon, adeo improba-

ve-

verunt, ut eruditiſſimus *Moyſes Solanus*, notis in *Lucianum*, ut ſperamus, brevi nobilitandus, dicere non fuerit veritus, cauſſam neglectae litteraturae Graecae ex iſta ratione Lexicorum digerendorum eſſe repetendam. Plurimi tamen, inter quos nomen noſtrum modeſte reponimus, Theſaurum *Stephani*, in quo primitiva tantum ſecundum ordinem alphabeti ſunt diſpoſita, vel ideo potiſſimum vehementer collaudandum eſſe autumant. Nunc hoc, quod ad noſtrum ſpectat inſtitutum, addamus. Exiſtimandum minime eſt, in iſto Theſauro ſingulis vocabulis derivatis ſuam adſignari originem, ſingula verba derivata ad ſuam radicem & priscum fundum reduci. Neutiquam. Hac in parte milies peccavit *Stephanus;* hac in parte Theſaurus iſte ampliſſimus ſcatet erroribus. Neque tamen propterea inſigni viro, & prae aliis forte omnibus praeclarum in modum de litteratura Graeca, atque adeo etiam de nobis omnibus, merito, temere & proterve inſultandum eſt. Hujuscemodi errores ſine ulla ſtribiligine aut verborum acrimonia ſunt reformandi, quoniam, per rei naturam & humani ingenii modum, aliter fieri non poterat, quin multiplicibus errorum ambagibus impediretur, qui ſemita incedebat integra, priorum nemini contrita, atque adeo intricata & ſqualida. Etſi autem *Stephano* erroris ſui tributum erat ſolvendum, iſtis tamen erroribus tantum debemus, ut nobis nunc,

nunc, expeditis tricis, via ad veritatem plana & ſimplex pateſcat.

Quantus vero hac in parte in *Stephani*, atque adeo etiam *Scapulae* Lexicis ſit defectus, paucis explicari non poteſt. Quae nos obſervatione IX. proponebamus tanquam *primitiva*, in *Scapulae* Lexico ſi quis forte ſe reperturum putet, is opinione ſua errabit plurimum. Si quis itaque nunc quaerat, quae ergo tanti defectus ſit cauſſa & origo, eam dico ex fonte duplici derivandam eſſe. (1) Quod verecunde dictum ſit, *Henricus Stephanus*, aliis rebus multiplicibus nimium occupatus, veram linguae indolem minime habuit perſpectam, neque etiam homini aliter licet; niſi enim is ab aliis rebus liber uni rei totus vacet, fieri non poteſt, quin ingenium hebescat, quin frequentiſſime in minimis pedem offendat. (2) *Stephanus* ea tantum verba primitiva in Lexicon ſuum recepit, quae in libris veterum, qui ad ejus notitiam pervenerant, reperiſſet.

OBSERVATIO XXV.

Verba *primitiva* & *derivata* plurima, *maxime primitiva*, perierunt: ſeu, ut clarius loquar, in libris veterum, qui ſuperſunt, non reperiuntur verba plurima primitiva & derivativa, quae tamen olim inter Graecos antiquiſſimos viguiſſe, e certa ſimilium verborum norma ac

plana totius *linguae analogia* concludere licet. Quid autem cauſſae ſit, cur tot verba e lingua Graeca perierint, ſive, cur tot verba, olim in priſca lingua Graecorum uſitata, in libris Graecorum, quos hodie habemus, non amplius exſtent, nunc porro eſt indagandum. Res profundae inquiſitionis & a cognitione hominum longe videri poſſit remota, neque tamen eſt, ſi rite conſideretur. Nam Graecae linguae accidit, quod omnibus linguis in uſu hominum vigentibus accidere conſuevit, ut verba *vetera primitiva* lapſu temporis ex uſu receſſerint, aeque ac primigeniae ſignificationes a ſapientibus illis linguae conditoribus verbis impreſſae; hae enim, labentibus annis, deleri coeperunt, & priſcae iſtae verborum notiones virtutibus figuratis & metaphoricis locum cedere. Uti experientia illud & quotidianus nos docet in auctoribus tractandis uſus, ita etiam prius veritatis eſt non minus exploratae. Quod ſi naturae ſequamur ductum fidelem, animadvertemus facile, per linguarum indolem non poſſe fieri, ut verba primitiva penitus nova in linguam ſemel inter homines receptam introducantur. Animi mei ſententiam clarioribus verbis explicabo.

Opinio eſt inter homines receptiſſima, linguas viventes, ut vocantur, novis vocabulis a ſcriptoribus linguae peritiſſimis augeri poſſe & ditari. Id vero, ubi rem attentius coepi revocare ad animum, mihi quidem viſum fuit a

rei

rei natura alienum atque adeo falſum. Prae caeteris omnibus hominibus linguarum proprietatis maxime ſtudioſos ſemper fuiſſe Poëtas praeſtantiſſimos, pono tanquam rem veritatis cognitae. Poëtis tamen nunquam licuit, neque etiam nunc licet, verba uſurpare priorum nemini audita, adeoque plane nova. At Poëtis aliisque ſcriptoribus licet verba vetera, quae olim uſitata ex uſu receſſerunt, reprehendere, & inſtaurare, ac ſua auctoritate efficere, ut ſermoni vulgi quotidiano reſtituantur. Vere tamen loquendo, univerſa iſta verba vetera ſunt, quae vulgus hominum nova nuncupat. In verbis ſecundum aliorum analogiam a primitivis deducendis, adeoque novis derivatis conſtituendis, paullo major fuit & eſt etiamnum linguarum callentibus licentia. Maxima quoque libertas ſemper fuit & etiamnum eſt in verbis felici junctura amabiliter componendis, & in ſignificationibus figuratis verborum omnium, pro cujusque ingenii modulo, propagandis & locupletandis. Id tamen firmum eſto, truncum linguae ſemper manere unum & eundem: niſi quod verba primitiva interdum recedant ex uſu hominum, & poſtea, viris doctiſſimis obſtetricanbus, in lucem reducta renaſcantur.

Haec univerſa, pro dignitate materiae paullo altius deducta, accepta referimus linguae Graecae patriaeque ſpectatori minime vulgari *Horatio*, in *Arte poëtica*, digna, quae decies lecta

 omnium,

omnium, qui quantulamcunque eruditionis particulam conſectantur, memoriae alte infigatur. Ad hanc autem rem, quae nunc in manibus eſt, legendus eſt Horatius in admirabili illo libello a verſu 45. ad 73: deinde ſingula verba ad mentem Auctoris ſapientiſſimi rite ſunt ponderanda. Noſtra nunc animadverſione bina loca prae caeteris digniſſima videntur, quae indidem deſcripſiſſe non poenitebit; vs. 60—62.

Ut ſylvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

Ad iſtam enim rationem legendum hunc locum, adverſus illuſtrem *Bentlejum* docuit *Alb. Schultens*, Tom. II. Originum Hebr. p. 48 & 49. Paucis verſiculis interjectis, ad hunc modum perſequitur Poëta:

—— —— ——*mortalia cuncta peribunt:*
Nedum ſermonum ſtet honos & gratia vivax,
Multa renaſcentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc ſunt in honore, vocabula: ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.

Elegantem tractationem ita adortus fuerat *Horatius:*

In verbis etiam tenuis cautusque ſerendis,

Quod

Quod Scholiaſtes recte explicat: *Si facienda ſunt tibi nova verba, obſerva, ut ea dicas, quae habent auctoritatem.* Ita quippe pergit Auctor ratiocinari. *Si res prioribus incognitae, quas ille vocat* abdita rerum, *forte indiciis ſeu novis rebus videantur monſtrandae, laudem mereberis, ſi verbum notum & uſu tritum junctura callida ſeu compoſitione novum reddideris.* Paucis interpoſitis:

—— —— —— licuit ſemperque licebit
Signatum praeſente nota producere nomen.

Quae lectio non ſatis conſiderate tentatur. Si quid video, ſenſus eſt: licere nomen, tanquam nummum olim ſignatum, nonnihil ad analogiam aliorum producere & prolongare, atque adeo quaſi novum producere. Hinc non longe receſſit idem Scholiaſtes, inquiens recte, *hoc a nummis tractum, qui in nova fuſura juvant inopiam.* Recte quoque *Quintilianus* Inſt. Orat. L. I. c. 6. quem locum debemus indicio *Bentleji: conſuetudo, inquit, certiſſima loquendi magiſtra: utendumque plane ſermone, ut nummo, cui publica forma eſt.* Primitiva vero, ut dixi, penitus *nova* in linguam introduci non poſſunt.

OBSERVATIO XXVI.

Multa vocabula tam *primitiva* quam *derivativa* perierunt una cum libris veterum. Jam lin-

 guae

guae eo ſunt ditiores, eoque amplioribus terminis circumſcriptae, quo plures ſuperſunt veterum libri, iſtis linguis exarati.

Id ut omnibus conſtet, exemplo uno alterove illuſtrandum eſt. Niſi quis, male ingenioſi cerebri conjectatiunculis, (quibus totus conſtat *Guſſetianismus*) & ſplendidis *Rabbinizantium* deliramentis, quae ſchola produxit *Buxtorfiana*, longum valere juſſis, opportuno utatur dialectorum *Chaldaeae*, *Syrae*, & *Arabicae* ſubſidio, atque earum radices fugitivas reſtituat: lingua Hebraea omnium linguarum, quotquot ſunt vel fuerunt, cenſenda erit pauperrima. Cur? Quia unus tantum codex mole exiguus ad nos pervenit, ea lingua conſcriptus. Utile videtur pauca maximi *Schultenſii* verba e libro *de Defect. linguae Hebr.* deſcripſiſſe. *Omnes*, inquit ille litterarum ſtator, *qui aliquid in litteratura Hebraea vident*, *mecum conſciscunt*, *magnam veteris linguae partem intercidiſſe*, *atque in uno codice ſacro haud ſane voluminoſo neutiquam omnem ejus amplitudinem ſeſe conſpiciendam praebere. Hoc ut ultro viri docti confitentur*, *ita minus videntur attendiſſe ad amplitudinem illius cladis*, *quae aliquot millia radicum nobis ſubtraxit*, *multoque adhuc plures formas derivatas ſuarumque ſtirpium propagines.* Huc usque ille.

Lingua *Latina* minime eſt verborum primitivorum locuples. Hujus rei cauſſa non e lingua ipſa, ſed e defectu ac penuria veterum librorum

librorum eſt repetenda, qui magnam partem nobis nunc in aeternum perierunt. *Graeca* lingua, prout in Lexicis circumfertur, longe quidem magis verborum eſt dives. Verum tamen & illa, ſi ſpectemus ad priscas ejus copias, valde hodie in Lexicis eſt imperfecta. Si enim omnia ſupereſſent veterum Graecorum monumenta, linguarum reputaretur perfectiſſima, & plurimos admiratores ad ſe pelliceret. Verum enimvero ſcriptores veteres Graeci maximam partem univerſi perierunt, eorumque ne centeſima quidem pars typis vulgata ad noſtram usque memoriam ſervata eſt. Hinc aeſtimari poteſt non difficulter, quantam nos fecerimus, quando cladem perpeſſa eſt veterum bibliotheca in excidio maxime *Conſtantinopolitano*, verborum ſimul primitivorum jacturam. Neque illud ſuſpicionibus permoti aſſeveramus; ſed validis rerum argumentis ſubnixi. Nam, cum poſt editum a Stephano Graecae linguae theſaurum plurimi auctores Graeci in lucem e tenebris, in quibus delituerant, fuerunt protracti, ne unicus quidem prodiit, in quo non nova verba ab eruditis hominibus fuerint detecta, quibus facies linguae triſtis iſta, quae e Lexicis cognoscitur, pulcherrimis incrementis potuerit adaugeri, ac turpes defectus egregie reſarciri. Neque adeo ulla etiam ratione poteſt in dubium vocari, quin multo laetior foret ſermonis late patentis forma, ſi, excuſſis diligentiſſime obſcuris

ſcuris deſidioſorum monachorum clauſtris & bibliothecarum latibulis, antiqua monumenta Graeciae veteris, quae hic illic latent araneoſo ſitu horrida, manu perita obſtetricante educerentur & in publicam lucem ac manus hominum, harum deliciarum cupidorum, pervenirent. Quin imo *B. Montfauconius* tum alibi, tum in *Bibliotheca* ſua *Coiſliniana*, ſatis oſtendit, quantum ſuperſit in bibliothecis auctorum nondum editorum. Praeterea ſaepe rem expertus valide affirmare non erubesco, ex ipſis auctoribus, quos *Stephanus* & *Lexicographi* adeo verſaſſe reputantur, adeo ut nihil, verborum ſaltem primitivorum, videatur fuiſſe reliquum, *infinitos* ſuppleri poſſe linguae *defectus*, ſi quis oculo diligenti & animo ab aliis curis vacuo eos, iſtum in finem, ſibi ſumeret retractandos. Itaque id ex iis, quae disſertavimus, immotum maneat & fixum, cum libris veterum multa etiam periiſſe verba *primitiva*.

OBSERVATIO XXVII.

Id nunc a nobis potiſſimum hic quaeritur, an verba *primitiva*, quae (ſecundum obſervationes XXV & XXVI) perierunt, ſeu quae in libris veterum non amplius ſuperſunt, commode posſint reſtitui, & an defectus Lexicorum ita posſint reſarciri, ut nulla ſuperſit dubitatio, utque adeo certum ſit, ea verba primitiva olim

in

in lingua exſtitiſſe, & olim fuiſſe inter Graecos veterrimos uſurpata. Id enim niſi ſit certum, totum noſtrum ſyſtema, quod huic innititur fundamento, neceſſe eſt labascat. Id interea in anteceſſum, ne quem fallat ſui animi cogitatio, videtur praemonendum, nos, quando quid dicimus in noſtro ſtudiorum genere certum & veritatis exploratiſſimae, ſummum tantum indicare probabilitatis & veriſimilitudinis gradum, ultra quem in paucis ſcientiis licet procedere.

Eam hic laudem non adfectamus, ut haecce cogitata tanquam veriloquia & oracula obtrudamus. Eam hercule laudem *realium*, ut ſeſe venditant, ſcientiarum doctoribus ſcientificis non invidemus. Nos didicimus, quid verum a probabili, quid veriſimile diſtet a ſummo veriſimilitudinis gradu. Mathematice loquendo, nihil eſt, in hoc certe genere, quod nos tractamus certum, nihil exploratum. Quaecunque nos opinionibus, quas pueruli combibimus omnes, nimium quantum adſuefacti tanquam certa proponimus, vere loquendo, nihil ſunt, niſi probabilia iſta. Itaque, qua explicuimus ratione, dicimus, idque validis rationibus inducti valide contendimus, pleroſque omnes defectus, pleraque verba omnia *primitiva* deperdita, ſecundum *analogiam* linguae, ſeu *certam rerum ad res proportionem ac ſimilitudinem*, poſſe reſtitui: defectus etiam maximos unius analo-

giae ſubſidio poſſe reſarciri. Tanta ſupereſt tamque incredibilis derivatorum, tum nominum, tum verborum, in Graeciae veteris, quae ad nos pervenerunt, monumentis copia, ut illud omne, quod dicebam, aliquando praeſtari poſſit, atque adeo jucunda illa ſpes animum ſubeat, linguam hanc fore aliquando omnibus numeris abſolutiſſimam & linguarum caeterarum, quae eruditae vocantur, latiſſime reginam. Hoc autem non eo a me dicitur, ac ſi ea quemquam opinione vellem imbuere, nos tandem id praeſtituros. Nihil minus cogito, probe gnarus, id non niſi adunata multorum opera, per longum labentium annorum tractum, ad perfectionem poſſe duci. Quod plus ſemel memini me dicere, repetitum nihil nocebit; id unum adnitimur, ut ſemitam ducamus perexiguam, e qua latius deducta & extenſa via aliquando fiat regia. Paucis itaque exemplis erimus contenti; nam ſi per totam vitam laboraremus, nunquam eſſet huic labori terminus. Iſtis exemplis nova pedetentim progrediendo in exercitiis adjungemus domeſticis, quae iis, qui quidem altius ſpirent, poſſint eſſe tanquam ſcintillae, poſtmodo demum in lucem emicaturae.

OBSERVATIO XXVIII.

Quomodo nunc verba primitiva, ſeu etiam proxima derivata, ſi quidem perierunt, commoda

moda poſſint ratione reſtitui, porro eſt inveſtigandum. Id adfirmamus fieri poſſe tum *ex analogia*, tum *ex derivatis* nominibus, tum *aliunde*. Per analogiam quid intelligamus, nunc ponimus notum eſſe, & exemplis conferendis clarius fiet. Verum, quum dicimus, verba *primitiva* & verba *derivativa* ſimplicia, quae natura per *quinque* iſtos ſonos formata dictabat, quaeque in libris non ſuperſunt, reſtitui poſſe *ex nominibus derivatis*, nemo, ut opinor, non intelligit, ad hanc rem bina requiri.

Primum eſt, nomina derivata á verbis propagari ſecundum leges fixas & nunquam variabiles aut ullis exceptionum ludibriis expoſitas. *Secundo* requiritur, ut iſtae leges nobis notae ſint & exploratae.

Primum etſi e domeſticis exercitiis plerique veſtrum perceperint, tamen e multis derivatorum nominum formis, quas quidem memoria nobis ſubminiſtraverit, uſitatiores commemorabimus: quandoquidem ſine hoc fundamento rite jacto, quicunque porro a nobis inſumeretur labor, vanus foret.

Cum a variis verborum temporibus varia naſcuntur nomina, ad ſuos ſingula fontes referenda *ex charactere littera*, qualia ex. gr. millena aliquot eodem indicio cognoſcenda a *Praeteritis* naſcuntur *Mediis*: nunc tantum, quoniam id, pro ſermone inſtituto, ſufficere arbitramur, conſiderabimus *derivata* verborum, quae appel-

appellamus *proxima*, ac deinde *derivata a tribus perſonis Praeteriti paſſivi.* Derivata nomina verborum primitivorum proxima ſunt omnia *diſſyllaba*, nonnulla e *triſyllabis* orta, ſeu contracta; nam (ſecundum obſervationem III.) *binae* litterarum ſyllabae verbum conficiunt primitivum. Jam vero nomina *derivata* ab iſtis verbis *proxima* numerum iſtum binarium vix excedunt. Conſiderari autem poſſunt proxima derivata formae *triplicis*. *Prima* eorum forma nominum eſt, in ων deſinentium, *Participialis*. *Secunda* conſtat ſimplici litterae ω mutatione in ος. *Tertiam* proximorum derivatorum ſeriem nunc quidem conſtituemus *diſſyllaba* nomina in ρος, ρα, ρον, deſinentia, quorum nempe prima ſyllaba ab illa verbi naturali non deflectat: quanquam ad hanc claſſem multo plures formae nominum diſſyllabae pertineant, atque illae, ut verbo dicam, univerſae omnes, in quibus terminatio verbi in illam nominis, quaecunque tandem ſit, fuerit deflexa.

Nomina derivata proxima *Participialis formae* in αν, quae uſu hominum diuturno faciem nominum ſubſtantiae induerunt, longe ſunt plurima. E multis ea duntaxat ſubjiciam, quae & pro noſtro opere ſatis ſint, & auribus veſtris accidant non inexſpectata. Ad eam itaque, praeter centena alia, pertinet ἄκων *jaculum*, ἱκὼν *voluntarius*, γέρων *ſenex*, ἀγὼν *certamen*, κρέων & μέδων *rex*, quaeque alia exercitatio ſubmini-

miniſtrabit quotidiana. Sive nunc in Lexicis noſtris exſtent, ſeu minus, ex iſtis nominibus novimus, antiquitus inter Graecos verba fuiſſe primitiva ἄκω, ἔκω, γέρω, ἄγω, κρέω & μέδω.

Nomina derivata proxima *ſecundae claſſis* in libris ſuperſunt multo plura, quorum terminatio ος in ω mutata verum primitivum ſuppeditat. Hujus generis ſunt, praeter millena facile a nobismet ipſis cognoscenda, νέος, δέος, μένος, γένος, ἄκος, νέμος, ἔθος, ἔρος, ἕδος, ἔπος, τύπος, κάπος, λέπος. Terminationem ος apud Latinos in us mutari, is non mirabitur, qui noverit, Aeolas nomina in ος enunciaviſſe per υς, & linguam Latinam, ſi excipiamus pauca verba *Sabina* & externa vocabula, nihil aliud eſſe quam Aeolico-Graecam. Ex iſtis jam, quae poſuimus, verba nobis ſubnascentur vetera (utrum in Lexicis exſtent an minus, id huc nihil facit) olim uſitata, νέω, δέω, μένω, γένω, ἄκω, νέμω, ἔθω, ἔρω, ἕδω, ἔπω, τύπω, κάπω & λέπω.

Ad *tertiam* claſſem tandem nominum proxime derivatorum referri debent nomina adjectiva, atque adeo quae per ος, α, ον poſſunt inflecti, ab ἄγω, ἀγρὸς, ab ἄδω, ἀδρὸς, ἄκω, ἄκρος, σάπω, σαπρὸς, νέκω, νεκρὸς, quaeque alia iſtiusmodi ſunt infinita.

Alia derivata, a nobis ſaepius commemorata, atque ea etiam, quorum *prima* vocalis littera aliquam ſubiit mutationem, nunc quidem praeter-

termittimus, ut omnia haec plana ſint, ſeſeque commendent non ſpecie, ſed ſigillo veritatis, quod, ſemper ſimplex, animum ingenuum & liberum ictu ferit.

Tantum de *derivatis proximis.* A *tribus perſonis* Praeteriti paſſivi multiplex naſcitur nominum derivatorum ſeries & ſoboles, omnibus vobis cognitiſſima, neque adeo a nobis fruſtra exemplis ſtabilienda. Ne tamen videamur nihil dixiſſe, haec teneantur. *Index* ſeu character derivationis a *prima perſona* Praeteriti paſſivi eſt μ, ultimam ſyllabam nominis incipiens. Uſitatiſſima forma nominum inde derivatorum eſt triplex, μα, μη, μος. Dantur tamen, non aliunde orta, deſinentia in μων, μας, μιν, μις, &c., uti πνεύμων, ἑρμᾶς, ῥηγμὶν & φορμὶς &c. Modo littera μ ultimam vocis iſtiusmodi ſyllabam ordiatur, dubitari non debet, quin nomina indidem manaverint, dummodo non ſunt *derivata proxima*, aut a *Praeterito Medio* orta: quod e prima diſſyllabarum vocum ſyllaba cognoſci debet. Eadem cautela ſemper eſt adhibenda: nam in his rebus tractandis ea ſemper animi noſtri facultas eſt intendenda, qua cernimus. In his porro nominibus littera σ, praecedens litteram μ, aliquam ſaepe mutationem ſubiit.

A *ſecunda perſona* Praeteriti paſſivi, ſecundum ſolennes regulas, omnia illa deſcendunt nomina, quorum ſyllabam ultimam exorditur

ſecun-

ſecundae perſonae character littera σ, ſive deſinant in σις, ſive in σος, ſeu quocunque modo. Illa vero, quae in σσα terminantur, huc non pertinent, & proprie loquendo ad eorum claſſem referenda ſunt, quae vocantur *denominativa.*

Derivationis a *tertia* perſona Praeteriti paſſivi character eſt τ. Ut autem formas nominum proxime inde derivatorum, quas quidem nos obſervaverimus, hac obſervatione complectar: hinc orta eſt copia per linguam late diffuſa nominum non tantum in της, τηρ, τος, ſed quomodocunque etiam, deſinentium, dummodo terminationi proximus praefigatur character τ. Notandum eſt igitur inde deduci nomina in της, τηρ, τος, τη, τις, τυς, τυρ, τωρ, τρος, τρα, τρον. Priora vulgata ſunt. Reliqua exemplis firmanda. Id tamen prius monendum eſt, quam pergamus: ad hanc claſſem nominum non eſſe referenda, quae deſinunt in τήριον, τρια & τειρα. Haec quidem ab *eadem perſona* derivantur; ſed mediantibus aliis inde proxime derivatis. Nomina in τηριον, quae notiſſima ſunt, univerſa a *Dativis* nominum in τηρ oriuntur. Nomina in τρια omnia ſunt formae foemininae Maſculorum nominum in τηρ. Talia ſuperſunt centena, veluti ſunt ex. gr. μαθήτρια, ποιήτρια, ἐράστρια, βάπτρια, φονεύτρια, quod poſtremum a Lexicis male exſulat. Similiter nomina in τειρα ſunt *foeminina* nominum in τηρ. Iſtae jam formae rariores

riores occurrunt in libris veterum, cujusmodi ſunt σώτειρα, μάστειρα, εὐνήτειρα &c.

Ut igitur formas, proxime ab iſta *tertia* perſona Praeteriti Paſſivi ortas, rariores aliquot teneamus, haec notanda ſunt. Diximus, inde deduci nomina in τη. Illa proprie loquendo ſunt *foeminina* adjectivorum in τος inde derivatorum. Verum ideo potiſſimum hanc formam commemoravimus, quia varia reperiuntur nomina in τη, quorum formae in τος obſoleverint, veluti ſunt ἀρετὴ *virtus*, quod derivatur ab ἤρεται verbi ἀρέω, unde ἀρέσκω *placeo*; δαίτη, *epulum* a δέδαιται verbi δαίω; κίστη *ciſta*, a κέκισται verbi κίω *jacio*, μελέτη *cura*, a μεμέλεται verbi μελέω, quod a μέλω, ut γενετὴ a γεγένεται, verbi γενέω, quod à γένω. Deinde forma eſt rarior nominum in τις, qualia ſunt πίστις *fides*, a πέπισται verbi πείθω, μάντις proprie *vates furibundus* a μέμανται verbi antiqui μάνω, cujus loco nunc legitur μαίνω vel μαίνομαι *inſanio*. Proximum tamen derivatum verbi μάνω ſupereſt μανὸς *rarus*. Φροντὶς ejusdem eſt formae, a πέφρονται.

Verum ab his probe ſunt ſecernendae formae foemininae in τις, proxime ortae a nominibus in της, ut ſunt δεσπότις, πολῖτις, μεσίτις &c. Hic iterum virtute opus eſt diſcernendi. Porro nomina in τυς, proprie loquendo, formae ſunt Aeolicae, uſurpatâ pro nominibus in τος. Hujusmodi, praeter alia, ſuperſunt ἐδητὺς, quod derivatur ab ἤδηται, verbi ἐδέω, a veteri ἔδω; γραπτὺς,

a

a γέγραπται verbi γράφω, πρακτὺς a πέπρακται verbi πράσσω, &, quod ſedem ſuam fixit in ſermone quotidiano, μάρτυς, cujus loco, ut notum eſt, uſurpabatur μάρτυρ, quae forma proprie eſt Lacedaemonica: nam Lacones ς finale mutabant in ρ, quod Graece ſcientiſſimus *Caſaubonus* exemplis firmavit in Animadv. ad *Athenaeum* L. VIII, 11. Iſta obſervatio magnum praeſtat uſum in rationibus etymologicis linguae Latinae deducendis. Graecum κέλης eſt Lat. CELER, κρύος Lat. CRUOR, χὲς vel χθὲς, χθεσὶ Latinis antiquis HESI. Ita enim olim dixiſſe pro *heri*, ſi vel *Feſtus* nos non doceret, noſceremus ex producto adjectivo *heſternus*, contracto ex *heſiternus*.

Porro, ut pergamus, orta ſunt a *tertia* perſona Perfecti paſſivi nomina in τωρ, qualia ſunt a κέχρησαι, verbi χράω, χρήστωρ *vates*, a δεδύνασται verbi δυνάω, δυνάστωρ *potens*, a κέκτηται verbi κτάω, κτήτωρ *poſſeſſor*, a πέπρακται, verbi πράσσω, πράκτωρ *actor*, a μεμέλεται verbi μελέω, μελέτωρ, *curator*; a βέβωται verbi βόω *alo*, βώτωρ, *paſtor*, quod ipſum, nunc Latinum, olim Graecum fuit πάστωρ, a πέπασται verbi πάω *nutrio* deductum: uti in lingua Graeca ſupereſt a μέμασται, verbi μάω, *ſtudioſe inveſtigo*, μάστωρ *quaeſitor*. Atque haec & quae forte centena alia nomina ſunt in τωρ, aeque ac in τηρ, & της, & τρος, ut ἰατρὸς &c. virtute pollent *activa*, & *perſonam* notant *agentem*.

Tandem ex eodem fonte, quo praecedentia, manant nomina in τρον, quaeque rariora ſunt in τρα. Illa, quod etiam alias jam dixi, ſignificant vel *mercedem* ac *pretium illius rei*, quae primitivo deſignatur; vel *rem*, *qua* hoc, illudve *peragitur*. Prioris generis ſunt ſequentia, διδακτρον *minerval*, a δεδίδακται, μήνυτρον *indicii pretium*, λύτρον *pretium redemtionis*, ἴατρον *merces*, *quam medico ſolvimus*, θρέπτρον *merces nutritionis*. Poſterioris generis ſunt ex. gr. ἄρατρον, ſive *id quod glebas ſcindit*, adeoque *terram parat*, nam ἄρω, unde ἀρόω, eſt *paro*: κέντρον a κέκενται *id quod boves ſtimulat*: μέτρον a μέμεται, verbi μέω (unde & μεστὸς *plenus*) *id quo metimur*, πλῆκτρον *id quo caedimus*, *flagellum*. Haec pro ſpecimine nunc quidem ſufficiant: nam vaſtum, qui hic patet a nemine tritus, campum ingredi nihil opus eſt.

OBSERVATIO XXIX.

Tandem oſtendemus paucis exemplis, qua ratione formae verborum primitivorum, ſeu e *primitivis* proxime *productae*, quae quidem creduntur periiſſe, debeant reſtitui. Primum exemplum ponere lubet in iſto, quod paullo ante memorabam, verbo ἄρω *apto*, *paro*. Hoc primitivum (ſecundum obſervationem IX) in veterum libris ſuperſtes, itidem ut in Lexicis, (ſecundum obſervationem XI) *proxima* & *ſimplicia derivata* primum produxit verba ἀρόω, ἀρέω,

ἀρέω, ἀρίω, ἀρόω, ἀρύω. Ex his *quinque*, *tria* tantum exſtant in libris veterum, & in Lexicis, nempe ἀράω, ἀρόω & ἀρύω. Unde nunc conſtat, in veteri lingua itidem verba ἀρέω & ἀρίω exſtitiſſe? Dicat forte quispiam, *ex analogia totius linguae.* Recte: ſed id nunc non ſufficit, atque adeo firmiori tibicine eſt ſtabiliendum. Addimus ergo, non tantum *ex analogia*, ſive *ex proportione*, quam hae formae habent ad ſimiles, ſed & ex *derivatis*, *quae ſuperſunt.* Reperio in Lexicis verbum ἀρέσκω *placeo.* Atqui ponimus tanquam rem exploratam, omnia verba Graeca in σκω deſinentia, oriri a *Futuris*, inſerto κ. Itaque ἀρέσκω *placeo* ab ἀρέσω, quod ab ἀρέω, forma antiqua, quae nunc eſt reſtituenda. Praeterea vox uſitatiſſima, ἀρετὴ, non potuit non ab ἀρέω deduci. —— Omnibus notum eſt vocabulum ἀριθμὸς *numerus*, quod, ſecundum obſervationem praecedentem, ab ἤρισμαι derivatur; nam σ ante μ, in hac derivatione, frequenter mutatur in θ. Illud autem ἤρισμαι non potuit formari niſi ab ἀρίω. Itaque formae *quinque*, per naturales iſtos ſonos productae, a veteri verbo ἄρω olim fuere uſitatae. Quodſi nunc verbum ἄρω in libris noſtris non amplius eſſet ſuperſtes, an eo minus dubitaremus, olim fuisſe, dum lingua vigeret, tritum? Minime gentium. Haec in aliud exemplum nunc ſunt transferenda.

In Lexicis non tantum vulgatis, ſed & in

Theſauro Stephani, in quo verba creduntur ad ſuas origines reducta, reperiuntur verba *quinque*, veterum teſtimoniis firmata, & a ſe invicem male divulſa, ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω. His & ejusmodi omnibus Poëtae Latini illud adplicari poteſt:

—— —— —— Facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Si non facies nativa vocum ſatis oſtenderet, ſorores eſſe: finitima & vere germana ſignificatuum proximitas, quam natura ſingulis impreſſit, ne Lexicographis quidem incognita, ſatis, ut opinor, debuiſſet declarare, ex uno utero, ex una matrice, fuiſſe prognatas. Verba tamen iſta ſororia ſine matre jacent male diſſipata. Nuſpiam in Lexicis horum verborum reperietur primitivum. Ecquis vero veſtrum in hac, quam ſpargimus, luce dubitet, quin antiquitus fuerit uſitatum verbum primaevum ἄλω? Sane, ut ego arbitror, nemo. Sicuti praecedentia ἀράω & ἀρέω &c. derivantur certiſſime ab ἄρω, quod in libris fuit conſervatum: ita verbum ἀλάω, & ſororia reliqua, non potuere non naſci ab ἄλω. Hoc itaque primitivum linguae reſtituimus. Quod vero in libris non reperiatur (ſi quidem non reperitur) ſola facit monumentorum veterum penuria.

Contra ea uſu quotidiano Graeco tritum verbum

bum primitivum ἄγω, non poterat fieri, quin ad nos perveniret. Ejus vero derivata ſimplicia, per *quinque* vocales ſonos formata, perierunt univerſa, praeter unum ἀγάω cum ſua ſobole. Itaque e ſedibus male ejecta redeant poſtliminio in priſca jura. Formae fuerunt ab ἄγω productae, praeter ἀγάω, etiam ἀγέω, ἀγίω, ἀγόω, ἀγύω. Talia tamen Lexicis non probem reſtitui, niſi reliquiis, quas habemus, linguae veteris impreſſa maneant veſtigia, quorum ductu poſſint eruderari: niſi, inquam, ſuperſint indicia, quibus conſtet liquido, in priſcis Graecis libris ea exſtitiſſe: niſi e ſuis ſingula derivatis poſſint reſarciri. In his autem, quae dicebam, ſuppleri poteſt hiatus. Ἀγέω linguae reddi poteſt e nomine inde derivato ἄγημα: quin & Medium ἀγέομαι ab *Herodoto* fuit cuſtoditum. Ἀγίω reſtituendum e verbis, certa lege inde ortis, ἀγίνω & ἀγινέω. Remanſit nomen verbale ἀγοστὸς, ſecundum canones nominum verbalium, ortum ab ἤγοσαι, verbi veteris ἀγόω. Tandem redeat & in ſuas ſedes ultima forma ἀγύω: hujus quippe propagines remanſere in Lexicis ἀγύρις, ἄγυρις & ἀγυρέω.

OBSERVATIO XXX.

Priusquam nunc ulterius pedem promoveamus, nodus, quem quis forte acutior quaerat, ſolvendus videtur. Rogitet forte quiſpiam, quid

 tan-

tandem ex his exemplis, & ex iis, quae porro videmur dicturi, lucri ſit & commodi redundaturum; ſi vel maxime, ad iſtam normam, verba *primaeva* pleraque omnia reſtituerimus: niſi ſimul eadem opera patefiat, quae *primitivo* iſti verbo *primaeva* ſit & *propria virtus ſignificandi*; niſi ſimul monſtretur, inter ſimplicia iſta derivata, finitimum cognatae ſignificationis vinculum; quo plane conſtet, inter univerſa derivata amicam eſſe, & ex eadem origine ortam, ſignificationum conſpirationem? Aut ego vanus ſum conjector, aut hic ſcrupulus nonnullorum, in quorum gratiam hunc laborem inſumſimus, animis fuit obverſatus. Is ſcrupulus nunc ut eximatur, haec ſcienda ſunt. Nihil aeque omnes ſcientias corrupit, quam quod earum profeſſores diverſas partes confuderint; vera & probabilia, clara & obſcura, male commiſcuerint. Linguarum ſtudium, prout id nos philoſophice conſideramus, duabus partibus concluditur, diligenter a ſe invicem ſecernendis.

Harum partium altera *externum corticem* linguae, & *externam verborum formam* ſpectat, altera penetrat in *nucleum*, ſive in *internam indolem verborum*, ſecundum multiplices figuratarum ſignificationum formas variegatam. Harum altera diverſarum formarum origines & flexus retegit, altera originem variorum pandit ſignificatuum; harum humilior altera, altera ſublimior; altera a viro adoleſcente tractari poteſt,

eſt, altera rite pertractari non poteſt, niſi ab eo, qui, huic rei totus vacans, per annos quinquaginta vetuſtis libris impalluerit. Sed ad hanc aditus non patet niſi per illam. Nos itaque, noſtro nos metientes modulo, primam iſtius ſtudii partem in hisce praelectionibus leviter ſumſimus delibandam. Cum hac parte ſi altera, quae *origines ſignificatuum* recludit, commiſceatur, totum hoc ſtudium corrumpatur neceſſe eſt. Ne nos homuli animum noſtrum obruamus; res diverſi generis ſeparatim ſunt conſiderandae: ut mens libera uni cogitationi infixa vacet, neque diverſis perturbetur.

Origines verborum, quae ad *externam* formam pertinent, ita ſunt ſpectandae, ut altera cogitatio de *ſignificationibus*, *ex origine digerendis*, tunc quidem animum noſtrum non ſubeat. Hoc niſi fiat, ubique locorum nos pedem offendemus, neque unquam veram formam externam nobis repraeſentabimus. Ponamus ex. gr. ſignificationes verborum ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω, ita eſſe pugnantes, ut plane nullo modo in concordiam redigi poſſint: tum nemo unquam eam ſibi induceret cogitationem, verba, ſignificatu tanto opere diſſidentia, unius tamen eſſe & ejusdem originis. Ita homines ſumus nos, a natura comparati, ut mens noſtra facile opiniones ante concipiat, quibus ita ſit caliginoſa, ut in ipſa demum luce coecutiat. A cogitatione de ſignificationibus verborum di-

verſis vacui in eam opinionem venimus, quam huc usque explicuimus, de *derivatis verbis ex uno trunco* deducendis. Iſta ſi vera ſunt, poſtea origo ſignificatus, & conſenſus figuratarum ſignificationum, ſponte ſua patefient. Sed eſt lente feſtinandum, & res diverſae, in animo noſtro, ſemper ſunt ſeparandae.

OBSERVATIO XXXI.

Quantumvis videri poſſimus fategiſſe rerum noſtrarum, atque viam pateſeciſſe, qua incedendo ad *defectus Lexicorum ſupplendos*, & ad *verba primaeva reſtituenda*, perveniri poſſit: modo quis ſibi eam cautelam proponat ob oculos, quam obſervatione XXX. explicuimus, ac praecedentes obſervationes habeat in numerato. Nihilo ſecius paullo ulterius in ampliſſimo hoc campo decrevimus progredi, &, exemplo illuſtriori in medium prolato, viam adhuc omnibus facere planiorem. Itaque nonnulla, Lexicographis ignota, adjiciemus, & quidem ita, ut, de ſignificationis origine ſtudioſe indaganda aut operoſe deducenda minus ſolliciti, paucula tamen, ut materiae triſtitiam mitigemus, interſpergamus, e quibus ſignificationum in derivatis conſpiratio quodammodo elucescat. Cum enim haec nos potiſſimum ad eam rationem, quam indicavimus obſervatione XXX, ſeparata conſideraverimus, nihil impediet, quo minus aliqua

ex

ex parte commiſceamus. Id modo firmum maneat, ut, qui in eodem hoc ſtudio nobiſcum voluerit decurrere, ac proprio Marte deperdita inveſtigare, eam ſemper, quam dixi, cautelam ſollicite adhibeat. Sine ulteriore praefamine ad ipſam rem accedimus.

Obſervatione IX. tanquam *primitivum* conſideravimus verbum ἄκω, & obſervatione XI. diximus, inde emanaſſe ſimplices verborum derivatorum formas *quinque*, ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω. At vero nec *primitivum* ἄκω, neque *ulla e formis*, quas dixi, *derivatis*, ſi excipiamus unicum ἀκέομαι, in Lexicis, etiam optimis, reperitur. Hujus quidem verbi ἄκω, in exercitiis domeſticis, frequenter meminimus. Nunc vero res enucleatius eſt explicanda: ut pateat, primum ea in antiqua lingua viguiſſe & emanaſſe ex eadem origine; deinde ut illud, quod in obſervatis ad Epiſt. ad Hebraeos dixi, unicuique liquido conſtare poſſit, vetus verbum illud ἄκω incredibilem ex ſeſe propagaſſe derivatorum, tam *verborum* quam *nominum*, ſegetem. Quod ſi enim dixero, iſtius verbi, quod in Lexicis non exſtat, hodiedum in Lexicis ſupereſſe, praeter compoſita multo etiam plura, minimum *centum* nominum, tam ſubſtantivorum, quam adjectivorum, *formas* ſimplices, a ſe invicem male divulſas; quae omnes e veteri trunco, tanquam totidem rami, emicuerint, quaeque adeo ad eandem debuiſſent reduci origi-

 nem:

nem: nihil dixerim, quin facile, ubi opus eſſe judicavero, affirmari & ſtabiliri queat. Agedum igitur, ut pateſcant copiae noſtrae linguae, & flexus, quos nomina ſubiere, mirabiles, inconditam nominum ſimplicium (poſtea ad ſuas claſſes referendorum) materiem, in cumulum, quaſi per ſaturam, congeramus. Itaque, ſive mediantibus aliis verborum formis, ſeu immediate, ab ἄκω derivata fuerunt ſequentia, in quibus ordinem litterarum tantum obſervabimus.

ἀκὰ.	ἀκεσμὸς.	ἀκμὴ.
ἄκαινα.	ἀκέσμιος.	ἀκμαῖος.
ἄκανθα.	ἀκεστὴρ.	ἀκμαστὴς.
ἀκανθεὼν.	ἀκεστήριος.	ἀκμηνὸς.
ἀκανθήεις.	ἀκεστὴς.	ἀκοὴ.
ἀκανθικὸς.	ἀκεστικὸς.	ἀκόνη.
ἀκάνθινος.	ἀκεστορία.	ἀκόνημα.
ἀκάνθιον.	ἀκεστορικὸς.	ἀκονητὴς.
ἀκανθὶς.	ἀκεστὸς.	ἀκόνιον.
ἄκανθος.	ἀκέστρα.	ἀκόνιτον.
ἀκανθώδης.	ἀκεστρία.	ἀκοντίας.
ἀκάνιον.	ἀκεστρὶς.	ἀκοντικὸν.
ἄκανος.	ἀκεστρὸν.	ἀκόντιον.
ἀκανικὸς.	ἀκέστωρ.	ἀκόντιος.
ἀκέσιμος.	ἀκὴ.	ἀκοντιστὸς.
ἀκέσιος.	ἄκημα.	ἀκόντισμα.
ἄκεσις.	ἄκινος.	ἀκόντισις.
ἄκεσμα.	ἀκὶς.	ἀκοντιστὴς.

ἀκον-

ἀκοντιστικὸς.	ἄκρα.	ἄκρον.
ἀκοντιστὺς.	ἀκραῖος.	ἄκρος.
ἄκος.	ἄκριος.	ἀκρότης.
ἀκοστὴ.	ἄκρις.	ἄκρων.
ἀκουὴ.	ἀκρίσιον.	ἀκρωνία.
ἄκους.	ἀκρόαμα.	ἀκρωτήριον.
ἄκουσμα.	ἀκροαματικὸς.	ἀκρωτηριασμὸς.
ἀκουστὴς.	ἀκρόασις.	ἄκυλος.
ἀκουστικὸς.	ἀκροατὴρ.	ἄκων.
ἀκουστὸς.	ἀκροατήριον.	
ἀκουτιστικὸς.	ἀκροατικὸς.	

Ut autem vocum, ab ἄκω derivatorum, quae in Stephani Theſauro proſtant, adeoque in libris veterum occurrunt, numerus fiat *centenarius*, etiam verba, ab ἄκω deducta, ſimplicia *adjiciemus quindecim*, ad eundem ordinem diſpoſita, ſive, ut verius dicam, absque ordine congeſta:

ἀκάζω.	ἀκμάζω.	ἀκουτίζω.
ἀκανίζω.	ἀκονάω.	ἀκούω.
ἀκανθίζω.	ἀκοντίζω.	ἀκρίζω.
ἀκέομαι.	ἀκοστέω.	ἀκροάομαι.
ἀκίζομαι.	ἀκουάζω.	ἀκρωτηριάζω.

Ingratam hanc & ſane nobis permoleſtam vocum colligendarum ac deſcribendarum moleſtiam conſumſimus easque ante oculos poſuimus; ut haec haberemus ante oculos & ejus exem-

exemplo conſtaret, qua ratione male confuſa & permixta in ſuas ſint claſſes & ſedes digerenda.

OBSERVATIO XXXII.

Exhibuimus (ſub obſervatione XXXI.) conſpiciendas formas diverſas nominum verborumve ſimplicium *centum*, quae univerſae ab H. Stephano ad unam debuiſſent radicem & originem reduci: quae tamen pleraeque ab eodem male ſint divulſae ac ſeparatae. Verum enimvero utrum haec omnia nomina & verba *ex una origine* ſint producta, nec ne, hic quaerendum.

Prius ut ſtabiliatur, *bina* requiruntur. *Primum* eſt, ſecundum leges linguae ſolennes & conſuetas, iſta univerſa a ſe invicem profluxiſſe: *deinde* requiritur, inter *centena* iſta, & ſi quae dantur plura, eſſe unicum ſignificationis vinculum, quo, tanquam conſanguineo nodo, eorum nominum ac verborum clare conſtet adfinitas. Poſterius etiamſi proxime non ſit hujus loci, nunc tamen penitus praetermittendum non cenſuimus. Prius vero huc omnino pertinet.

Ut ergo ordine procedamus, primum proxima nomina, a verbo *primitivo* ἄκω, derivata ſpectabimus, eademque opera oſtendemus, ex omnibus propaginibus, verbum hoc deperditum

olim

olim in lingua Graeca viguiſſe, & in ſermone quotidiano contritum fuiſſe. Poteſtas propria primum figenda eſt in Latino verbo ACUO, quod hinc analogice productum eſſe poſtea oſtendemus. Jam vero notio *acuendi* eſt poteſtas verbi noſtri naturalis, corporea: & haec primaeva, ac propria, notio *acuendi* conſideranda eſt, tanquam vinculum, cujus medio ſignificationes derivatorum ſecundariae in univerſum omnes poſſint conglutinari, aut certe olim, ſi qua nobis nunc deficiat, potuerint.

Iſtius verbi nomina derivata proxime ſuperſunt non pauca: imo vero *tres* claſſes nominum proxime derivatorum, ſub obſervatione XXVIII memoratae, in libris veterum hodiedum vigent, (I.) forma Participialis ἄκων, (II.) forma ſimplex in ος, ut ἄκος. (III.) Tandem forma in ρος, ut ἄκρος. Jam vero ex harum formarum terminatione, ſi vel unica ſupereſſet, certo colligeremus, primitivum verbum fuiſſe olim ἄκω, per analogiam, ſeu proportionem linguae ad alia exempla, quorum partem in iſta obſervatione commemoravimus: nam plura dari, & infinita paene, vel unius libelli lectio diligens abunde monſtrat. Nunc itaque conſideremus iſta paullo accuratius.

Primam formam dicimus ἄκων (quae vox probe diſcernenda eſt ab ἄκων, voce contracta ex ἀέκων, *invitus*, quae plane huc non pertinet) qua voce nihil aliud denotatur, quam *res acu-*

ta,

ta, *ſpiculum*, *jaculum*. Quandoquidem vero ſaepius notio Latinae vocis *ſpiculum* nobis uſu veniet, in anteceſſum obſervari velim, veteres *ſpicum* vocaviſſe, *quidquid in acumen deſineret*: inde enim ortum Diminitivum *ſpiculum*, & verbum *ſpicare* & *inſpicare*. Optimam hanc obſervationem debemus *Joſ. Scaligero*, ab eodem heroë maximo propoſitam in Caſtigat. ad Propert. L. IV, p. 276. De ea voce ἄκων plura diximus ad *Plutum Ariſtophanis*, oſtendimusque, non tantum eam poëtis, ſed & proſae ſcriptoribus, eo uſu fuiſſe contritam.

Hujus jam voculae ἄκων derivata ordine recenſuit *Henr. Stephanus*. Inter ea autem nullum eſt, quin proxime naſcatur a Dativo ἄκοντι. Hinc ἀκόντιον Diminutivum, ſignificans, teſte *Heſychio*, δοράτιον, μικρὸν λόγχην, *haſtile*, *ſpiculum breve*. Hinc *ſerpentis*, inſtar *jaculi velociſſimi*, nomen ἀκοντίας, & (quod Lexicograhis fuit incognitum) ἀκοντιὰς, auctore *Heſychio*, βοτάνη τὶς, ὅτω καλουμένη, τοὺς κύνας θεραπευομένη τῆς δάκης τῶν ὄφεων, *herba*, *cujus ope canes ſanantur a morſu iſtorum ſerpentum*, qui vocantur ἀκοντίαι, ſeu *jaculi*. Rationem derivationis, auctores priſcos ſecutus, tradidit *Iſidorus* Orig. L. XII, 4. ubi de ſerpentibus agit. *Jaculus*, inquit, *ſerpens volans*, *de quo* LUCANUS, jaculique volucres. *Exſiliunt enim in arboribus*, *&*, *dum aliquod animal obvium fuerit*, *jactant ſe ſuper illud & perimunt*; *unde &* JACULI *dicti ſunt*. Comparari

parari poterit, ſcriptor longe melior, *Aelianus* in Hiſt. Anim. L. VI, c. 18. Porro ab ἄκοντι eſt verbum ἀκοντίζω, *jaculum* vel *ſpiculum vibro*, ubi iterum *ſpiculi* notio probe eſt attendenda. Ab ἀκοντίζω remanſerunt nomina ἀκόντισμα, ἀκοντισμὸς, ἀκόντισις, ἀκοντιςὴς, ἀκοντιςὺς, ac tandem ἀκοντιςικὸς, quae latius nunc non perſequar. Tantum de *prima* claſſe.

Nominum *ſecundae claſſis* proxime ab ἄκω derivatorum multiplex eſt, obvia in libris veterum, copia, ἄκος, ἀκὴ & ἀκίς.

Primum ἄκος non occurrit apud Graecos, niſi in iſta ſignificatione, quae ab origine paullo longius deflexit, de qua paucula dicemus, quando verbum ἀκέω conſiderabimus. Verum hic egregie nos juvat lingua Latina, quae ipſum illud nomen non tantum, ſed & propriam ejus nominis virtutem, cuſtodivit; nam in Latio, terminatine ος in US mutata, ACUS frequentatur. Hujus foemininum ἀκὴ notat *acumen*, *aciem ferri*, imo cujusvis *rei partem acutam* ac *ſuperiorem*. Hinc puto rationem eſſe repetendam, cur, *extremam* & *ſummam civitatis partem*, ἀκρόπολιν, vocatam fuiſſe ἀκὴν ſcribat *Demetrius*, teſte *Harpocratione*, in voce Ἀκὴ, quocum omnino eſt comparandus *Stephanus Byzantinus*, in Ἀκή. Doricam nominis formam in Dictionariis, quae quidem viderim, omnibus praetermisſam, ſubminiſtrabit nobis *Heſychius*, apud quem Ἀκὰ exponitur τὸ ὀξὺ, καὶ ἄκρον τῆς φάλαγγος, *pars pha-*

phalangis extrema & in acutum deſinens. Porro occurrit in libris ἀκὶς, ἀκίδος, itidem pro *acumine* cujusvis generis poſitum. Ab hujus Genitivo ἀκίδος formarunt verbum ἀκιδόω, unde remanſit derivatum nomen ἀκιδωτὸς, *acuminatus.* Ab hoc autem ἀκὶς proxime ortum crederem Latinum Acies, ſecus atque opinabatur *G. J. Voſſius* in Etymologico Linguae Latinae.

Tertiam nominum, ab ἄκω proxime derivatorum, *claſſem* conſtituunt ἄκρος, ἄκρα, ἄκρον, ἄκρις & ἄκρων, atque reliqua porro inde deducta: in quibus omnibus non minus, quam in praecedentibus, virtus eſt conſpicua *acuendi.* Ἄκρος, ἄκρα, ἄκρον proprie notat *acutum*, &, notione ſecundaria, *ſummum, extremum. Acumen* enim *rei extremum* eſt ac *ſummum:* quod neceſſe non eſt ut multis exemplis firmetur. Nam neminem opinor eſſe adeo hebetis ingenii, quin, ſemel monitus, iſta omnia illico percipiat. Propria virtute enim *mucro* ſeu *acies gladii* vel *cultri* dicitur ἄκρον ξίφους, μαχαίρας. Nihil vetat obſervaviſſe, figurata ſignificatione, *homines*, in quacunque re *excellentes* ac *praeclaros*, ab Atticis appellari ἄκρους, quaſi dicas *acutiſſimos.* Talia ſunt ποιητὴς ἄκρος, κυβερνήτης ἄκρος, δικαστὴς ἄκρος, & in *Platonis* Polit. p. 292. ἄκροι πεττευταὶ, *qui egregie & apte ludunt calculis.* Apud eundem in Theaeteto, p. 152. τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι. Structura variata, dicere potuiſſet τὰ ἄκρα τῶν ποιητῶν: quod disci poteſt e nota

nota ſummi *Hemſterhuſii*, ad *Xenoph. Epheſ.*, in Miscell. Obſerv. Vol. V, tom. 1, p. 30. Caeterum ἄκρα & ἄκρον, ubique locorum, tanquam ſubſtantiva ponuntur. Propriam tamen *adjectivorum* indolem non exuere, nihil eſt quod moneam.

Ab ἄκρος deductum nomen ἀκρότης, *acumen* & *cacumen:* ab ἄκρα, ἀκραῖος. Ἄκρα ſaepe ſubintellectam habet vocem πόλις, ac ponitur pro ἀκρόπολις, *loco urbis editiſſimo* & *ſummo*. Hinc Dii, urbium praeſides, quorum imago eximia religione in ἀκροπόλει erat conſecrata; ἀκραῖοι θεοί. Porro notanda forma rarior ἄκρων, ἄκρωνος, obvia apud *Auctorem Etymol. magni*, p. 226: 38. Inde ἀκρωνία, ejusdem atque ἀκρότης ſignificatus.

Tertia forma eſt ἄκρις, ἄκριος, *acumen* vel *cacumen* montis. *Etymologus* p. 52: 29. ἄκριας, inquit, τὰς ἀκρωρείας, ἀπὸ τοῦ ἄκρις ἄκριος, οἷον, Αὐτίκα δ' ἀκροτάτας ὑπερέσχεθεν ἄκριας ἀστήρ, Ἀπολλώνιος: ubi vox ἀκράρεια *cacumen montis* cum his, in quibus verſamur, non commiscenda eſt; quippe compoſita. Ab ἄκρις deductum adjectivum ἄκριος, ἀκρία, ἄκριον. Ἀκρία non tantum epitheton *Minervae* apud Argivos, ſed & *Veneris*, *Junonis*, & *Dianae*. Docta eſt annotatio *Heſychii:* Ἀκρία, ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Ἄργει, ἐπί τινος ἄκρου ἱδρυμένη, ἀφ' ἧς καὶ Ἀκρίσιος ὠνομάσθη. Ἔστι δὲ καὶ ἡ Ἥρα, καὶ Ἄρτεμις, καὶ Ἀφροδίτη, προσαγορευομένη, ἐν Ἄργει κατὰ τὸ ὅμοιον ἐπ' ἄκρῳ ἱδρυμέναι. Ab ἄκριος

verbum formarunt ἀκρίζω, *in acumine incedo. Etymologus:* ἀκρίζειν, σημαίνει τὸ ἄκροις ποσὶ πορεύεσθαι, *ſignificat ſummis pedum digitis*, ſeu *in eorum acumine, incedere*, quod omnium, quotquot fuerunt, caſtiſſimus Latinitatis auctor expreſſit *ſuſpenſo gradu placide ire*, in Phormione, Act. V, ſc. 6, 27. Verum in ſingulis non nimis eſt inhaerendum.

Ab ἄκρος manavit duplex verbum ἀκρόω, & ἀκροάω. Prius Lexicis reſtituendum eſt. Ab ἀκρόω analogice defluxit ἀκρωτὴρ, quod deperditum; ſed unde vocabulum ſupereſt ἀκρωτήριον, cujus vocis variae, quae proſtant, notiones a ſignificatu *acuminis* manarunt. Inſita vocis virtute ἀκρωτήριον *locum* indicat, *ubi* aliquid *eminet* & *in acutum* deſinit. Ita *pars* montis *prominens*, *promontorium*, item *roſtrum* navis, dicitur ἀκρωτήριον, & eximia & ſingulari quadam ratione ἀκρωτήρια iſtas *corporis humani partes* notant, *quae prae caeteris eminent ac prominent.* Atque inde repetenda eſt ratio, cur verbo ἀκρωτηριάζω, per varios flexus ab ἄκω derivato, tantum adhaeſerit ſignificatio *naſum* vel alias corporis *partes eminentes mutilandi* & *amputandi.* Eo uſu id verbum *Apollodorus* poſuit, Biblioth. L. III, p. 141. ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν ἐσωφρόνησε, *cum extremas & in acutum deſinentes partes corporis ſui amputaſſet, ad meliorem mentem rediit.* Qui enim antiquitus caedem commiſerant, cadaveris *partes* aliquot *prominentes* praecidere ſolebant, easque

de

de collo ſuſpendere, rati, ut erat male ſana iſta religio, id ad vindictam Divinam avertendam plurimum valere: proprieque id vocabatur ἀκρωτηριάζειν, & *partes amputatae* ἀκρωτηριάσματα dicebantur. Hunc antiquae memoriae ritum veterrimum eo lubentius memoro, quod neſciam, fueritne ab antiquariis recentioribus memoratus. Scholiaſtes *Apollonii Rhodii* ad Lib. IV, 478. οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματα τινὰ ἐποίουν τοῦ ἀναιρουμένου, καὶ ταῦτα λαβόντες ἐξήρτων τοῦ τραχήλου αὐτῶν. Inter alia plurima in hanc rem valde ſcribit opportuna Scholiaſta *Sophoclis* ad Electr. vs. 447. εἰώθασι οἱ δρῶντες ἐμφύλιον φόνον ἀκροτηριάζειν τοὺς ἀναιρεθέντας, ἐκ παντὸς μέρους τοῦ σώματος ἀποτεμνόμενοι, καὶ περιάπτειν ἑαυτοῖς τὰ ἄκρα συναίροντες. Conferri poterit *Auctor Etymologici magni* p. 118, 22. & *Mich. Apoſtolius* Proverb. Centur. XII, Proverb. 40., ubi paucula notavit doctiſſimus *Pantinus*. Verum, ut jam incepi dicere, ἀκρωτηριάζειν in genere etiam poſitum fuit pro *mutilare* & *inutilem reddere*. Inde *Heſychius* ἀκρωτηριάσαι recte explicat κόψαι ἢ ἀχρειῶσαι. *Homero* id inter alia vitio vertunt veteres, quod deum Vulcanum claudicantem & mutilatum in ſcenam produxerit, atque adeo naturam divinam aliqua ſui parte mutilam ac luxatam. *Heraclitus*, qui Homero patrocinatur, adverſus impetus philoſophorum, p. 445. χωλὸν inquit, αὐτὸν ὑφίςαται, τὴν θείαν ἀκρωτηριάζων φύσιν. Senſu figurato pulchre hoc verbum in oratione pro Cteſiph. p.

354 adhibuit *Demoſthenes*. Locum explicuit *Harpocration* in voce Ἀκρωτηριασμένοι.

OBSERVATIO XXXIII.

Obſervatione praecedenti, nomina *proxime* ab ἄκω *derivata*, eorumque propagines conſideravimus, &, eandem omnibus inſitam eſſe notionem *acuendi*, vidimus. Alia immediate ab ἄκω deducta *verbalia nomina*, quantum nunc quidem recordari queam, ſuperſunt nulla, praeter unicum ἀκμὴ, de quo, ut & ejus derivatis, hac obſervatione dicemus. Nam, ſi vel unum alterumve diem radici ἄκω, ejusque derivatis, in clara luce collocandis inſumſero, videor mihi facturus operae pretium; cum unicum hoc exemplum, in omni amplitudine ſua perſpectum, poſſit ſufficere, & acutioribus viam in aliis praemonſtrare.

Non agam hic de vario ac multiplici uſu vocis ἀκμὴ, qua de re integra conſcribi poſſet & in longum protracta diſſertatio. Velim tantum animadverti poteſtatem vocis propriam & primaevam, qua nihil aliud ſignificatur, quam *acumen* vel *acies*. Quodcunque praeterea acceſſerit notionum, id omne ſecundarium eſt & figuratum, atque ab ea, quam dixi, notione productum.

Primam iſtam virtutem eſſe vocis ἀκμὴ, & antiquis Grammaticis & recentioribus, *H. Stephano*

ac

ac *Guil. Budaeo* fuit perſpectum. Recte itaque *Etymologici Auctor* docet, ἀκμὴν proprie ſignificare τὴν ἀκρωτάτην ὀξύτητα τȣ̃ σιδήρȣ, *ſummum acumen ferri:* atque in eam rem citat locum *Homeri*, Iliad. κ, 173., ubi *acumen* omnium *acutiſſimum*, *acies novaculae*, proprie a principe Poëta vocatur ἀκμὴ ξυρȣ̃. Proverbialem locutionem, ab aliis memoratam, attigit *Triclinius* ad Ajacem Sophocl. vs. 798. Et videndum, an non, ex iſto *Homeri* loco, lucem accipiat *Phaedrus*, quando *occaſionem* dicit *pendere* in *novacula* L. V, fab. 8, vs. 1. Vocem etiam adhibuit eodem ſenſu Chorus in *Sophocl. Antig.* vs. 988., quando *oculos* dicit *effoſſos* ȣ̓κ ἐγχέων, ἀλλὰ κερκίδων ἀκμαῖς, non *gladiorum*, *ſed radiorum textoriorum cuſpidibus*. Recte enim *Triclinius* ad hunc modum cepit, ȣ̓κ ἐν ἀκμαῖς καὶ ὀξύτησιν ἐγχέων καὶ ξιφῶν, ἀλλ' ἐν ἀκμαῖς κερκίδων, ἤγȣν σιδηρέων ἀτράκτων, id eſt, *non* ἀκμαῖς ſeu *cuspidibus* ἐγχέων ſeu *gladiorum*; *ſed* ἀκμαῖς κερκίδων, ſeu *acuminibus fuſorum textoriorum. Cuſpidem gladii* ἀκμετὸν ξίφȣς vocat *Pollux*, L. VII, Segm. 157. Ad locum *Sophoclis* ſpectat gloſſa *Heſychii*, in rem noſtram valde appoſita, ἀκμαῖς· ὀξύτησιν. Ex iſta ſignificatione propria *J. Jenſius* Lect. Lucian. L. II, c. 8. rectiſſime explicuit *Luciani* locum, τῆς τελαίνης τὰς ἀκμὰς, *tridentis acumina* ſeu *cuſpides* interpretatus, ubi, hac ſignificatione non perſpecta, homo, ſuo tempore doctiſſimus, *Joh. Brodaeus* corrigebat αἰχμαῖς, ab αἰχμὴ, quam vo-

cem quo ſaepius repetendo conſidero, eo magis videtur probabile, non aliunde, quam ab ἄκω, repetendam: quod tamen, utpote nondum exploratiſſimum, nunc quidem mittimus.

Ex iſta autem origine vocis ἀκμὴ, paullo enucleatius, quam ab aliis huc usque fuerat factum, expoſita, omnibus, ingenio & acumine judicandi praeditis, ſignificationum ſecundariarum notio patescit, quae ſub hac voce & ejus derivatis proſtant, quasque nos univerſas privatae uniuscujusque diligentiae committimus digerendas: derivata tantum quaedam ab ἀκμὴ ſpectaturi.

Ejus Accuſativus ἀκμὴν, Adverbialiter poſitus, apud *Atticos* & ſemel in N. Teſt. Matth. XV, 16. ſignificat *adbucdum*, *etiamnum*, proprie & plene κατ' ἀκμὴν χρόνȣ, *in acumine & puncto temporis.*

Proximum ab ἀκμὴ adjectivum eſt ἀκμηνὸς, & a Plurali ortum ἀκμαῖος, *vegetum*, *robuſtum* notans, ſecundum inſitam poteſtatem, *illum, qui in acumine & ipſo aetatis flore* eſt. Ex auctore forſan deperdito Genitivum Pluralem ἀκμαίων *Heſychius* explicat ὀξέων. Indidem verbum ἀκμάζω proprie *in acumine ſum & flore.* Iſto ſenſu ponitur apud *Pollucem*, quamvis loco alieniore, L. I, ſegm. 180. περὶ σίτȣ ἀκμὴν, & σίτȣ ἀκμάζοντος, *cum frumentum eſt in acumine. Iſidorus* Orig. L. XVII, 3. SPICAM *de maturis frugibus abuſive dicimus; nam proprie ſpica eſt, cum per culmi folliculum, id eſt, extremum tumorem, ariſtae*

ſtae adhuc tenues in modum ſpiculi eminent: (haec ſunt verba *Servii* ad Lib. I. Georg.) Id καρπὸν ἀκμάζοντα vocat *Pollux* L. I, ſegm. 237. Hoc, itidem ut reliqua omnia, quin ad *aetatis vigorem* & *robur maturum* pulchre fuerit translatum, nemini dubium eſſe poteſt. Paullo longius a communi norma receſſerunt *Hyperides* & *Auctor orationis contra Nearchum*, ſiquidem illi ἀκμάζειν poſuerunt, non pro *eſſe in flore* ac *robore aetatis juvenilis*, ſed pro νεανιεύεσθαι vel τὰ τῶν νέων πράττειν, *facere juvenilia*, uti locuples teſtis eſt *Harpocration* in voce ἀκμάζειν. Quandoquidem autem (namque id verbo videbatur adjiciendum) quae *in flore atque acumine ſunt*, itidem vocantur *opportuna:* non eſt mirum, ἀκμάζειν de *temporis* etiam poni *opportunitate*, quo uſu ἀκμὴ ſatis protritum eſt. Nam, ſi circumſtantiae locorum poſcant eum uſum, ἀκμὴ ſimpliciter poſitum interdum valet *tempus commodum* & *opportunum.* Saepius tamen dicitur ἀκμὴ καιρῷ. Structura variata ὁ καιρός ἐςιν ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκμῆς legitur in *Pluto Ariſtoph.* vs. 256. *opportunitas nunc eſt in vigore ipſo.* Norma nonnihil diverſa *Sophocles* in Electr. vs. 22. ἀλλ' ὐκ ἔτ' ὀκνεῖν καιρὸς, ἀλλ' ἔργων ἀκμή. Atque ita in voce, a qua fueram exorſus, deſino.

OBSERVATIO XXXIV.

Praecipuas difficultates nunc feliciter emenſi,

in reliquis via incedemus planiori ac minus ſalebroſa, niſi quod forte unum & alterum properantibus moram injiciat impedimentum.

Huc usque *primitivum* ἄκω, cum ſua propagine nominum, inde immediate derivatorum, enucleavimus. Nunc porro verba erunt, cum ſuis ſingulis ramis, paucis ſpectanda.

Prima autem proxime derivata verbi forma eſt ἀκάω, cujus productum ἀκάζω ſupereſt. Hoc tamen, opinor, verbo careremus, ſi non *Homerus* id nobis conſervaſſet, apud quem tribus ad minimum in locis, ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ, *haſta acie aerea acuminata* memoratur Il. κ, 135. Il. ξ, 12., & Il. ο, 482., ad quorum locorum medium Scholiaſta ἀκαχμένον recte interpretatur ἐστομωμένον, ὠξυμμένον. Prior vox ex iis illuſtranda, quae ad vocem δίστομος notata ſunt in Obſerv. in Epiſt. ad Hebr. IV, 12. *Euſtathio*, commentatori Homerico, hujus quidem verbi ratio minime fuit perſpecta. Multo melius *Etymologici Auctor*, ἀκάζω, inquit, ἀκονῶ, (*cote acuo*) ὁ μέλλων ἀκάσω, ἤκακα, ἤκασμαι, ἠκασμένον, καὶ τροπῇ τῦ Σ εἰς Χ, ἠκαχμένον. Poſtrema minus probo.

Pro ἀκάζω Aeolica dialectus protulit ἀκάσσω, atque inde analogice Particip. ἠκαχμένος, ſeu, ut Poëta, minutis Grammaticorum placitis non mancipatus, ἀκαχμένος *acuminatus*.

Ab hac jam verbi ἄκω forma ἀκάω, ſive ἀκάζω, per flexus multiplices, varia fluxerunt vocabula, quibus *ſpinae* denotantur, in quibus, dum

dum taedium me obrepit, ſollicite digerendis horam nolo perdere. Haec tantum ſufficiat protuliſſe. Ἄκανθος, unde ἀκάνιον Diminutivum & Adjectivum ἀκανικὸς, item ἄκαινα *ſpina* & *ſtimulus* quivis *acutus*, *virga* etiam *paſtoralis* in *acutum deſinens*, quod poſterius novimus ſub teſte *Scholiaſte Apollonii Rhodii* ad L. III, 1322. ἄκαινα ῥάβδος ποιμενικὴ παρὰ Πελάσγοις εὑρημένη, περὶ ἧς Καλλίμαχος φησὶν,

Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν καὶ μέτρον ἀρούρης.

Porro *ſpina* ἄκανθα, ἀκανθὶς, & nonnihil diverſum ἀκανθός, *acanthus*. Adjectiva hinc deducta non perſequar.

OBSERVATIO XXXV.

Secunda verbi ſimplicis ἄκω forma eſt ἀκέω, cujus Medium ἀκέομαι viget, cum Activum plane ſit obſoletum, niſi quod *Heſychius* apud aliquem veterum legerit ἀκέουσι, & verbum ἀκεύειν, hinc ortum, tanquam gloſſam Cypriacam proponat. Quod vero ἀκεῖσθαι, ſeu ἀκέσασθαι, in uſu quotidiano ſignificavit, Lexicographi, pro ſuo captu, tanquam huic verbo propriam & primam notionem conſideraverunt, ſcilicet *ſanandi* & *medendi*: notionem autem *ſarciendi* inde, per metaphoram, crediderunt ortam. Quo nihil magis eſt abſonum & a ſimplicitate naturae remotius. Noſtra nos docet Rhetorica, quando notiones *medendi* & *ſarciendi* in una radice con-

(E 5) ſiſtunt,

ſiſtunt, hanc propriam eſſe & corporalem, illam per figuram inde translatam.

Ἄκος proprie Latinum ACUS, quae poteſtas apud Graecos ſub verbali nomine, ab ἀκέω deducto, ἀκέστρα viget: nam ἀκέστρα proprie eſt *acus*, qua utuntur ſartores & ſarcinatrices. Noſtrum ἀκεῖσθαι, vel ἀκέσασθαι, proprie notat *veſtes laceras* ac *ruptas acu ſarcire*, atque inde notio, qua frequentatur, figurata, ſcilicet *rupturam* corporis *reficiendi* & *ſarciendi*, applicatis medicamentis. Poſtea vox generali *medendi* ſignificatu invaluit. In hac origine detegenda excellentes duumviri facem nobis praetulerunt. Alter eſt *Albertus Schultenſius*, in Commentario ad *Jobum* Cap. V, p. 153. רָפָא, quod in Lexicis redditur *ſanavit, curavit, medicatus eſt*, „*proprie eſt*," inquit, *reſarcivit rupturam. Ita apud Graecos* ἀκεῖσθαι *mederi, ſanare, a ſarciendo traxit originem.*" Plura non addidit. *Schultenſio* adjungendus eſt *Caſaubonus*, qui in Animadv. ad *Athenaeum* L. VII, c. 15. ἀκέσασθαι, inquit, *eſt laceratas veſtes ſarcire, unde* ἀκέστρια *Antiphanis comoedia.* In gloſſis veteribus ἀκέστρα redditur *acuncula, acus,* & ἀκέστρια *ſarcinatrix.* Ad rem noſtram *Erotianus* Grammaticus & Medicus, in excellenti gloſſario Hippocratico, voce Ἀκέσιας, οἱ Ἀττικοὶ, inquit, τὰς ῥαφίδας [*ſarcinatrices*] ἀκεστρίας καλοῦσι, παρὰ τὸ ἀκεῖσθαι καὶ ὑγιᾶ ποιεῖν τὰ ἱμάτια: ubi poſtrema rite ſunt conſideranda, quibus verbum ἀκεῖσθαι exponitur per

ὑγιᾶ

ὑγιᾶ ποιεῖν τὰ ἱμάτια *veſtes ruptas integrare.*

Verbum ἐλεῖν, quod in Jonica dialecto notabat *ſanare*, proprie nihil aliud eſt, quam ὁλεῖν, *integrum facere*, ab ὅλος *totus, integer.* Imo Latinum SARCIRE proprie nihil aliud eſt. Obſervatio apud *Feſtum* eſt peregregia: *Sarte in auguralibus pro integre ponitur; ob quam cauſſam opera publica, quae locantur, ut integra praeſtentur, ſarta tecta vocantur. Etenim ſarcire eſt integrum facere.* Verbi origo vera & ſignificatio propria non latuit *Etymologo:* Ἀκέςρα ἡ βελόνη ἡ μείζων, ἣν νῦν σακκοῤῥάφιον καλοῦσιν· ἀκέςρα δὲ παρὰ τὸ ἀκεῖσθαι, ἤτοι συῤῥάπτειν, τὰ διεῤῥαγότα τῆς ὀθόνης. Paullo poſt, quum dixerat, *ſarcinatrices* appellatas eſſe ἀκεςρίας, haec ſubjicit animadverſione digniſſima. Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς οἱ παλαιοὶ γυναιξὶν ἐχρῶντο εἰς ταύτας τὰς ἐργασίας, καθὰ καὶ νῦν Σκύθαι.

Verbum, de quo incepimus dicere, propria *rupturam reficiendi* notione, uno ſaltem loco poſuit *Homerus*, Od. Ξ, 383.

Φῆ δέ μιν ἐν Κρήτεσσι παρ' Ἰδομενῆϊ ἰδέσθαι
Νῆας ἀκειόμενον, τάς οἱ ξυνέαξαν ἄελλαι.

i. e. *naves reficientem, quas ei venti fregerant.* Ubi *Euſtathius*, p. 331. ἀκειόμενον explicat ἀναῤῥάπτοντα, ὅθεν inquit, καὶ ἀκέςριαι αἱ ῥάπτριαι, ἢ ἀνυφάντριαι. Quae tum ſubjungit, merentur conſiderari: εἰκὸς δὲ καὶ ἰατρικῶς εἰρῆσθαι τὴν λέξιν πρὸς τὸ πάθος τῶν νεῶν. In re *medica* verbum generalem & latiſſimam *ſanandi* obtinuit poteſtatem, etſi primum hic etiam poſitum fuerit de

ſana-

ſanatione partium corporis *fractarum ruptarum*ve. Conferri huc poterit Il. Π, 28. 29.

Τὺς μὲν τ' ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται,
Ἕλκε' ἀκειόμενοι.

Reliquos ſignificationum flexus mittimus.

Verbalia nomina a *Praeterito Paſſ.* formata itidem plura remanſerunt: nam a *prima* ejus temporis *perſona* eſt ἄκεσμα & ἀκεσμὸς, quibus *res* notatur, *quae coaleſcit ad ſanum.* A *ſecunda perſona* fluxerunt ἄκεσις *actio ſarciendi*, ἀκέσιος, epitheton *Apollinis*, *medicorum praeſidis* dei, & ἀκέσιμος, quod, ſecundum inſitam vim nominum in σιμος deſinentium, *id* ſignificat, *quod poteſt ſanare*, ſive *id*, *quod ad ſanandum conducit.* A *tertia perſona* derivata fuerunt ἀκεστὴς, primo deſignans *ſartorem*, ſecundo *medicum.* Hujus formae femininae ἀκέστρια & ἀκεστρὶς proprie notant *ſarcinatricem*, & ſecundario *obſtetricem*, quae *partes* quaſi *divulſas ad ſe reducit* & *ſarcit.* Indidem adjectivum ἀκεστικὸς, *ſarciendi* vel *medendi peritus.* Porro Lexicis reſtituendum eſt ἀκεστὴρ ex *Sophoclis* Oedipo Colon. vs. 709. Inde quippe ortum ἀκεστήριος, α, ον, quod ultimum etiam, Subſtantive poſitum, in Dictionario *Heſychii* proſtat. Porro ἀκεστὸς *ſartus* & *integer*, adeoque *ſanus*, ἄκεστρα *inſtrumentum*, *quo rupta ſarciantur*, uti & ἄκεστρον, quod ex eodem *Heſychio* Lexicis reſtituendum eſt. Praeterea ἀκέστωρ cum ſuis derivatis ab *eadem perſona*

ſona defluxit: inde nomen proprium ACESTOR & ACESTORIDES.

OBSERVATIO XXXVI.

Tertia forma verbi ab ἄκω producta eſt ἀκίω; quod verbum Lexicographis itidem ignotum eſt, & cum ſuis derivatis linguae reſtituendum. Derivatum ejus forte *Heſychius* aſſervavit, in Gloſſa, ἀκίζεται· ὀξύνεται. Proximum nomen veteris verbi ἀκίω derivatum ſupereſt ἄκινος *acinus*, *genus herbae ab acumine denominatae*, qua de re videri poteſt *B. Stapelius* ad Theophraſti Hiſtor. Plantar. p. 758. Plura hujus verbi veſtigia reperire non potui. Quae nunc porro habemus dicenda, in pauca contrahemus.

Quarta itaque forma eſt ἀκόω, itidem *acuo.* Hujus proximum derivatum nomen ἀκόνη *cos*, cujus Diminutivum ἀκόνιον, *coticula.* Notum *Horatii* dictum, ex *Iſocrate* expreſſum, in Arte Poët. vs. 304.

—— —— *Ergo fungar vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Ab ἀκόνη verbum eſt ἀκονάω *cote acuo*, cum ſuis derivatis, quae in Lexicis ſuperſunt. Verbi ἀκόω verbale nomen a *Praeter. Paſſ.* ἀκοστὴ *hordeum*, proprie *ſpica*, vel *ſpicus*, atque adeo *res acuminata.* Inde verbum ἀκοστέω. Id vero momenti majoris eſt obſervaſſe, notiſſimum, deri-

vato

vatorumque feraciſſimum, *ἀκούω audio*, non eſſe aliunde, quam ab *ἄκω audio*, repetendum; ſicuti λούω a λόω, ὀρούω ab ὀρόω, κολούω a κολόω. Et ex iſta obſervatione patet propria verbi (prioribus, ut quidem arbitror, incognita) iſtius *audiendi* ſignificatus origo. Ἀκούω ex origine nihil aliud ſignificat, quam ACUO, virtute autem ſecundaria *audio*, *aures praebeo* & *exacuo*, *aures praebeo acutas*. *Acumen audiendi* utriusque linguae ſcriptorum locis poteſt firmari. Verum nunc eſt ad finem properandum. Id vero teneatur, parem eſſe & eandem rationem ſignificationis in ἀκροάομαι, ſi quidem hoc ipſum ab ἄκω; mediante derivato ἄκρος, ſit formatum.

Tandem, *quintam* verbi derivati formam ἀκύω nihil aliud ſignificare, quam Latinum ACUO, ſatis conſtat: nam nemo, qui fundamentis hisce firmiter innititur, poterit dubitare, quin Latinum *acuo* (unde *acumen* & *acutus*) ſit ipſum Graecum ἀκύω, olim ſine dubio, dum lingua vigebat, florente Graecia, uſurpatum. Sicuti enim Latinum *arguo* eſt Graecum ἀργύω, ab ἄργω ortum; *minuo* Graecum μινύω, ex μίνω, μίω, productum: eadem analogia Lat. ACUO eſt Gr. ἀκύω, ab ἄκω propagatum. Atque ita tandem his obſervationibus imponitur

FINIS.

JOANN.

JOANN. DANIEL. A LENNEP

DE ANALOGIA
LINGUAE GRAECAE,

SIVE

RATIONUM ANALOGICARUM
LINGUAE GRAECAE
EXPOSITIO.

IO. DANIEL. A LENNEP,

DE

ANALOGIA

LINGUAE GRAECAE.

PROOEMIUM.

Ab eo tempore, quo ad linguae Graecae ſtudia animum applicui, ejusque indolem & naturam penitius coepi intueri, nihil admirabilius mihi quidem viſum fuit, pulcherrima illa, & ab ipſa natura profecta, Analogia: quae, quum in aliis linguis, tum in Graeca potiſſimum, per omnes partes ejus, vim ſuam diffundit. Nam, ſive per primas, ſimpliciſſimasque, ſtirpes eamus; ſive per derivata, certo quodam cum iis coniuncta nexu; ſive per compoſita, ex ſimplicibus vocabulis artificioſe juncta; ſive per alias quascunque linguae partes: ubique deprehendimus admirabilem illam convenientiam, & quaſi ἁρμονίαν; qua ſimilia inter ſe amice conſpirant, &, in declinationibus & deflectionibus omnibus, communem quandam viam ſequuntur. Id quod tanto etiam certius eſſe experimur, quanto exquiſitiorem in linguis cogni-

gnitionem adquirimus. Nihil enim eſt, quod, ſi attentius conſideremus, non ſimilitudine quadam, cum alia linguae parte, convenire deprehendimus. Quo magis mirari ſoleo, & olim fuiſſe, & poſtremis etiam hiſce ſeculis, qui omnem analogiam ſubvertere, ejusque loco, neſcio quas, anomalias in linguis obtrudere voluerint. Quos quidem homines praetermittere ſilentio potuiſſem; niſi inter eos reperirentur magni etiam nominis viri: quorum auctoritas tanta eſſe ſolet, ut multos, re, minus, quam par eſt, deliberata, in errorem adducere poſſint, atque linguae Graecae ſtudia, per ſe plana & aperta, impeditiſſima reddere.

Niſi enim, ſimilia cum ſimilibus componendo, verba cum verbis, nomina cum nominibus, eorumque ſignificationes, tam primarias & proprias quam ſecundarias & tranſlatas, inter ſe; niſi, inquam, haec inter ſe diligenter componendo, progrediamur, in lingua Graeca: nihil triſtius ejus ſtudiis invenietur; nihil, quod poſſit juventutem, ab ejus linguae cultura, deterrere magis. Quid, quaeſo, exceptiones iſtae anomalicae, quas, numero propemodum infinitas, ſtatuunt Grammatici, niſi memoriam onerant, ut, niſi quis, in ipſa fere ſchola Simonidis, probe artem didicerit memoriae, vix iis, per omnem vitam, addiſcendis par ſit futurus? quum e contrario nihil ſit facilius, quam paucas, easque ſimplices, regulas, ad quas omnia in linguis,

guis, tanquam ad normam certiſſimam, exigi poſſint, &, ex ipſa Linguae natura ductas, & ratione ſuffultas, memoriae infigere, & infixas conſervare diutiſſime?

Quis ſignificationes vocabulorum, numero fere infinitorum, ab hac, vel illa, vocis inflexione pendentes, nobis manifeſtabit; niſi, ſimilia inter ſe componendo, &, a notis ad ignota progrediendo, eas inveſtigemus ipſi? ne de ingenti vocabulorum numero dicam, quae, niſi certa quadam ratione componi poſſent, ita ut alterum ſaepe alterum ſubminiſtraret, difficulter inprimerentur memoriae. Quis de *tranſlatis*, a *propria* ſtirpe, *ſignificationibus* recte judicabit, niſi, perſpecta linguae indole, earum etiam rerum certam & indubitabilem analogiam cognoſcat? Quis vocabulorum compoſitionem, certasque eas componendi & ordine diſponendi, regulas, conſtituet; niſi eorum omnium rationes, analogia duce, per ſimilia eundo ſedulo inveſtigaverit?

Quae quum ita ſint, dolendum eſt, adhuc neminem fuiſſe, qui, data opera divitis illius & pulcherrimae linguae Græcae analogiam per omnes ſuas partes, illuſtrandam ſibi ſumeret. Eſt quidem hoc difficile valde, ſed tanta cum utilitate conjunctum, opus, ut nihil adeo neceſſarium ſit, ad ſtudia linguae Graeca plana reddenda, earumque amorem omnium animis inſinuandum, quotquot generoſo impetu, ad verae

eruditionis laudem, viam affectant. His rationibus motus, etſi non integrum, aliquod, & numeris ſuis abſolutum, ſyſtema, quod infiniti laboris eſt; levem tamen aliquam umbram nativae indolis, & analogiae linguae Graecae, delineare conabor: cui poſtea induci poterunt ea, quae ad analogiae perfectam imaginem requirantur. Optandum quidem fuiſſet, ſive *Joſephum Scaligerum*, ſive *Claudium Salmaſium*, ſive *Iſaacum Caſaubonum*, ſive alium, in ſtudiis literarum, virum principem, huicce operi manum admoviſſe. Sed deterruiſſe viros hos excellentes ſumma operis difficultas videtur. Sicut enim omnes, qui primi artem aliquam, aut diſciplinam, condere, ejusque quamdam componere formulam, adgrediuntur; erroribus ſaepe multis obnoxii ſunt: ita fieri non poteſt, quin is, qui primus Analogiam linguae Graecae componat, ſaepe labatur; hoc magis etiam, quo pluribus difficultatibus obſeptum negotium eſt.

Saepe, nimirum, accidit, uti in omnibus linguis, ita etiam in Graeca; ut *primae* vocabulorum *origines*, unde alia multa, tanquam a prima ſtirpe, proficiſcuntur, aut librorum veterum penuria, aut, quia dudum, ipſa lingua Graeca adhuc florente, in uſu eſſe deſierant, perierint, aut etiam *derivata* quaedam *interciderint*, absque quorum auxilio, ſerie eorum veluti interrupta, alia ad primam ſtirpem, reduci certo non poſſint.

Quod

Quod de vocabulis ipſis, idem de multis ſignificationibus, dictum accipi debet. Harum enim pauciſſimae propriae, pleraeque autem tranſlatae & ſecundariae tantum ſuperſunt: quarum adeoque vis & uſus recte percipi, & cognoſci, nequit; niſi ad propriam & primariam virtutem, per varios ſignificationum flexus, duce analogia, adſcendamus. Hoc autem, quam ſit difficile interdum, facile adparebit, ſi cogitabimus, non tantum multa vocabula, ſed etiam quam plurimas vocabulorum ſignificationes, quae aliis intelligendis & illuſtrandis inſervire deberent, intercidiſſe.

Nihil vero tam impeditum Analogiae ſtudium effecit, quam vocabula peregrina, ſive, ex aliis linguis, in linguam Graecam introducta: ut ſunt quaedam nomina *artium*, & in primis *animalium*, *plantarum*, aliarumque rerum; quae, aliunde allata, patrium nomen, plerumque leviter ad normam linguae Graecae inflexum, retinuerunt. Haec enim omnia niſi probe ſecernamus ab ipſa lingua Graeca, fieri non poteſt aliter, quin in graviſſimos errores delabamur: quum alia longe iſtorum vocabulorum ratio ſit, quam eorum, quae pure Graeca ſunt. Retinent enim aliquid privum, & proprium ei linguae, cui originem debent; quod, ſi ad linguae Graecae analogiam exigere velis, res plane diverſas, nec quidquam commune inter ſe habentes, componas: niſi eorum ſplendida deliramenta

amplecti velis, qui linguam Hebraeam, pro reliquarum omnium genitrice, habent, &, neſcio quam, ex turre Babelica ortam, confuſionem, & inde deductam ἁρμονίαν, inter omnes linguas comminiſcuntur. Quorum hominum opinio quam ſit a vero aliena, vel ex eo apparet, quod prorſus alia cernitur indoles, & natura, linguae Graecae, quam Hebraeae; etiam in ipſis ſimpliciſſimis initiis. Praeterea & lingua Hebraea, & lingua Graeca, privam, ſingularem, domeſticam, &, ut ita dicam, ſuam analogiam, in omnibus partibus ſequuntur. Quod ſecus ſe haberet, ſi, a lingua Hebraea, profecta fuiſſet lingua Graeca. Retinent enim ſemper linguae, ab aliis linguis profectae, multum analogiae ejus linguae, unde profectae ſunt.

Sed, ut ad propoſitum revertar, quaerat aliquis, ſi tot vocabula, totque ſignificationes, perierint, qua tandem ratione, iis deſtituti, aut origines inveſtigare, aut ſignificationum nexus, proprietatesque, perſpicere & cognoſcere poterimus? Hoc etſi in nonnullis difficile eſt, in multis tamen procedit facillime. Sunt enim ſubſidia non pauca ad manum, quibus ſi recte & cum judicio utamur, multa nobis, ante impedita, plana reddentur. Reſtat itaque, de his verbo in anteceſſum agam.

Sunt autem haec ſubſidia vel *interna*, vel *externa*. *Interna* ſunt ea, quae, ipſa analogia duce, & collatione ſimilium vocabulorum facta, repe-

reperiuntur. Ad hanc normam, v. gr. derivata, πόμα, πόσις, & πότὴρ, ſuppeditabunt verbum originale πόω, cum ſignificatione *bibendi*. Πόω autem, comparatione ſimilium facta, rurſus apparebit, idem eſſe quod verbum πίω; unde derivatum πίνω, aut ſaltem ei vicinum. Haec enim, quae poſui, vocabula, non poſſe aliunde oriri, ex certiſſimis analogiae regulis, apparet: ut in ipſa Analogiae explicatione docebitur accuratius.

Ad hanc rationem dubitari nequit, quin olim extiterit verbum primitivum ἄπω, unde ſit formatum ἅπτω, Latine *tango*. Videbimus enim, ſuo loco, omnia omnino verba, in πτω deſinentia, eſſe formata a ſimplicioribus, in πω cadentibus, inſerta litera τ; ut in τύπτω, a verbo τύπω. Similis porro ratio eſt derivatorum, quae ex uſu ceciderunt, poſtquam jam alia vocabula inde eſſent formata. Quae etiam, ſimilia inter ſe componendo, facile reperiri poſſunt. Qui, verbi gr. noverit, exſtare tempora, *futurum* & *praeteritum perfectum*, ὀλέσω & ὤλεκα, praeterea, a *tertia praeteriti perfecti paſſivi* formatum nomen ὀλετὴρ, ſimiliaque: facile ſibi perſuadebit, extitiſſe olim, in lingua Graeca, verbum ὀλέω (quod, ab ὄλω formatum, vicinum eſt verbo ὀλύω vel ὄλλυμι *perdo*:) modo conſideraverit, *futura* in έσω, aliaque inde profecta tempora, cum ſuis derivatis, non potuiſſe oriri, niſi a verbis in εω cadentibus; ut αἰνέσω ab αἰνέω, & multa alia.

Porro ad *interna* ſubſidia referendae ſunt *dialecti*, quae tametſi plures, in lingua Graeca, numerari poſſunt, praecipue tamen tres habentur, *Attica*, *Jonica*, & *Dorica:* quibus multi *quartam* annumerare ſolent, *Aeolicam* nempe; ſed haec rectius ab aliis refertur ad *Doricam*, quacum in multis convenit. Hae autem dialecti ita inter ſe differunt, ut, quum internam naturam & indolem linguae Graecae communem retineant, externam tamen faciem, in quibusdam vocabulis, eorumque flexionibus, aut ſignificationibus, phraſiumque uſu, diverſam habeant. Quum autem, in ſingulis harum dialectorum, vocabula non pauca priva & ſingularia inveniantur, quae, in aliis dialectis, in uſu non ſunt, quaeque nihilominus, ad originem inveniendam, ſunt neceſſaria: apparet facillime, exquiſitiorem harum dialectorum cognitionem maxime adjuvare analogiae ſtudium. Quod idem de diverſis vocabulorum formis, ad origines veras, reducendis, & ſignificationibus, privis alicui dialecto, a propria deducendis, intelligendum eſt. Ex quo ſimul apparet, neminem univerſum linguae Graecae ambitum animo poſſe comprehendere, niſi omnes dialectos in numerato habeat.

Quis, verbi gratia, ſine temeritatis nota, ſtatueret, verbum ἐγγίζειν oriri a ſtirpe prima ἔγω, atque hoc idem fere fuiſſe, in antiquiſſima lingua Graeca, quod ἄγω, niſi haec verba vici-

vicina eſſe, commonſtraret dialectus Cretenſis, quae Doricae ſubjecta eſt. In ea, nempe, dialecto ἀγγίσαι, obſervantibus Grammaticis vetuſtis, idem eſt quod vulgo ἐγγίσαι. Horum autem prius oritur ab ἀγγίζω, poſterius ab ἐγγίζω: &, ut ἐγγίζω formatur a voce ἔγγι, ſic ἄγγίζω ab ἄγγι. Ἄγγι autem non poteſt non oriri ab ἄγω, ἔγγι vero ab ἔγω: ut adeo, quemadmodum ἀγγίσαι & ἐγγίσαι, ſic ἄγω & ἔγω, pronuntiatione tantum, differant potiſſimum.

Addo ad *interna* ſubſidia praeterea *nomina* Graecorum non pauca, quae *propria* dici ſolent. Haec enim pleraque, origine Graeca ſunt. Quum vero multa eorum remotiſſimae antiquitates ſint, ſaepe uſu venit, ut vocabulorum ſtirpes, aliaque, caeteroquin incognita, horum ſubſidio, facilius inveniri & commonſtrari poſſint.

Haec de ſubſidiis, quae praeſertim ipſa lingua Graeca ſuppeditat. Reſtat, paucis agam de *externis*, quae aliunde petenda ſunt.

Sunt autem ea diverſi admodum generis, & quidem, primo loco, huc refero *linguam Latinam*: quae quum maximam partem ſuam originem debeat antiquae linguae Graecae, mirandum non eſt, ingentem vocabulorum numerum in ea reperiri, quae nobis aditum patefaciant, ad ſtirpes vocabulorum Graecorum inveniendas; aut ad ſignificationum cauſſas cognoſcendas, notionesque ſecundarias, ad propriam & prima-

riam, reducendas. Utrumque exemplo clarius patebit.

Latinum nempe *tendo*, quod reſpondet Graeco τείνω, manifeſto docet, in lingua Graeca olim fuiſſe formam ſimpliciorem hujus verbi τένω. Ab eo enim verbo proxime deſcendit Lat. *tendo*: ſimili ratione ut *cando*, (unde derivata *candeo*, *candidus*, aliaque) oritur a ſimpliciori κάνω, quod verbum *cano* extitiſſe in Lingua Latina, docent derivata *canus*, *caneſcere* & ſimilia.

Alterius generis exemplum cernitur in Graeco κίω, quod redditur *vado*. Propriam autem hujus verbi vim poſitam eſſe in *motu vehementi*, & *celeri*, demonſtrat Lat. *cio*: unde uſitatum *cieo*, *citus*, aliaque. Graecum itaque κινέω idem proprie ſignificat quod κίνειν, ortum a ſimplici noſtro verbo κίω, ut manifeſte docent analogiae rationes.

Secundo loco, ad *externa* ſubſidia pertinent *Gloſſaria* & *Lexica*, tam antiqua, quam recentiora. Quod ut clarius appareat, de utroque genere pauca monenda ſunt.

Poſtquam libertas, qua ſumma, ante Philippi Macedonum regis tempora, gaviſi fuerant Graeci, ſenſim magis & magis eſſet imminuta, una cum libertate, artes & diſciplinae, tum etiam linguae Graecae vigor, ut fieri ſolet, defloruerunt. Ne jam dicam, progreſſu temporis linguas quoque, mirum in modum mutari & ſubinde alia vocabula nova introduci, alia inter-

ire

ire, atque ſic univerſam linguae formam tandem immutari.

Ex dictis jam apparet, quae fuerit cauſſa, cur homines literati, jam olim, vocabula, ab elegantioribus Atticis, vel etiam a poëtis, aliisque ſcriptoribus antiquioribus, uſurpata, conquiſiverint, & in Lexica redegerint; adjectis, interpretandi cauſſa, vocabulis facilioribus & vulgo notis. Hujusmodi autem vocabula rariora, vel etiam antiquata, vocabulis magis cognitis, explicanda, *gloſſas* vocarunt vetuſti Grammatici. Ipſa autem hujusmodi lexica *gloſſaria*. Ita paſſim, a vetuſtis Grammaticis, citantur Gloſſae *Laconicae*, *Cretenſes*, *Cypriae*, *Rhodiae*, *Tarentinae*, quae ſic dicebantur a diverſis dialectis, ex quibus gloſſas continebant. Huc porro pertinet ſaepe a vetuſtis ſcriptoribus commemoratum *Lexicon Homericum*: in quod rariora Homeri vocabula, florente etiamnum Athenienſium republica, fuerunt relata.

Praeterea recenſetur a veteribus *Lexicon Tragicum*, in quo explanata fuerunt ea vocabula, quibus antiquiores Tragici Attici, *Aeſchylus*, *Sophocles*, & *Euripides* in primis, fuerunt uſi.

Tertio loco, huc referendum *Lexicon Comicum*, quod olim conſcripſit *Palamedes* Grammaticus, ut obſervat Cl. *Hemſterhuſius*, in notis ad *Ariſtophanis Plutum*, p. 98. In hoc Lexico autem comprehenſae fuerunt voces rariores, cum *Ariſtophanis*, tum aliorum Comicorum antiquiorum.

Quarto

Quarto loco, huc ſpectant Lexica *Hippocratis*; quibus comprehenduntur vocabula rariora, in libris Hippocratis obvia. Horum alterum ab *Erotiano*, alterum a *Galeno*, confectum eſt. Utrumque autem Lexicon etiamnum ſupereſt, editum ab *Henr. Stephano*, & dein Hippocratis editioni Geneven̄ſi, Anni 1657, praemiſſum.

Quinto, huc referendum *Lexicon Platonicum*, in quo multa Platonis vocabula rariora, additis aliis, explicantur; quod itidem ſuperſtes, ante paucos annos, cum eruditiſſimo commentario, edidit Clar. *D. Ruhnkenius*.

Praeter memorata Lexica, quorum pleraque, temporis injuria, perierunt, ad noſtra tempora pervenit egregium *Harpocrationis* Lexicon in decem Oratores Atticos, qui prae ceteris floruerunt. Eſt autem hoc, variis locis, temporibusque editum, & virorum eruditorum notis ſaepius illuſtratum.

Extant praeterea alia Lexica antiqua, in quibus voces elegantiores, rarioresque, Atticae, ex variis ſcriptoribus antiquis collectae, cernuntur; ut ſunt Lexicon *Moeridis Atticiſtae*, *Phrynichi*, praeterea *Thomae Magiſtri*, & *Moſchopuli*, qui duo prioribus tamen longe ſunt recentiores.

In primis autem hic commemorandum ὀνομαστικὸν *Julii Pollucis*, qui, ſub finem ſeculi ſecundi, clarus, reliquis omnibus anteponendus eſt. Editum eſt hocce Pollucis ὀνομαστικὸν, quum ab aliis, tum tandem II voll. in Folio a *Cl. Hemſterhuſio*.

Com-

Complectitur autem vocabula quam plurima, phraſesque, quum ab aliis ſcriptoribus, tum in primis ab Atticis, uſurpata: quae non ordine Alphabetico, ſed ad certa quaedam capita referuntur.

Ex memoratis hiſce Lexicis antiquioribus, & Gloſſariis diverſis, collectiones fecerunt recentiores Graeculi, inter quos praecipue commemorandi ſunt *Suidas*, *Etymologus* magnus, & *Heſychius*. *Suidas*, qui paullo ante ſecul. XII. floruit, multa quidem continet utiliſſima, quae aliunde cognoſci non poſſunt. Multa tamen etiam habet, quae, deſcripta ex *Harpocrationis* Lexico, Scholiis in *Ariſtophanem*, *Sophoclem*, & aliunde, in iis ſcriptis quoque inveniri poſſunt. Inter alia autem multa continet, ad hiſtoriam veterem, & ſacrorum antiquorum ritus, pertinentia, quae, ſine Suidae Lexico, plane ignorarentur hodie. Videtur autem hoc *Suidae* Lexicon compoſitum ex duobus potiſſimum Lexicis antiquioribus, quae nondum edita, in Bibliothecis principum, per Europam manuſcripta inveniuntur. Horum alterum *Photii*, Patriarchae Conſtantinopolitani, alterum *Johannis Damaſceni* eſt. Editum fuit hoc *Suidae* Lexicon, quum alibi, tum a *Ludolpho Kuſtero*, Cantabrigiae, An. 1705. III. voll. in Folio.

Secundum Lexicon, quod, ſub titulo *Etymologici magni*, ad nos pervenit, editum, quum alias, tum etiam a *Frederico Sylburgio*, Heidelbergenſi, Anno 1594. in Folio. Verſatur hoc Lexi-

Lexicon, in originibus vocum deſignandis, fere totum: ut adeo majoris longe uſus ſit, hac in parte, quam memoratum *Suidae* Lexicon; modo cum judicio uſurpetur. Saepe enim accidit, ut, in determinandis ſtirpibus vocabulorum, eorumque etymis, mirum in modum nugetur ſcriptor: ut fere Grammaticorum veterum ratio ſolet.

Reſtat *Heſychius*, qui, variis de cauſis, antecedentibus Lexicographis facile palmam praeripit, &, priſcas verborum origines inveſtigaturis, perquam utilis eſt. In hoc nimirum Lexico reperiuntur gloſſae quam plurimae *Laconicae*, *Creticae*, *Tarentinae*, *Cypriae*, *Rhodiae*, aliorumque populorum Graeciae: quas, ex gloſſariis, iſtis memoratis populis Graeciae veluti privis, excerpſit laudatus Lexici auctor, & aliis inſeruit.

Multa praeterea, in hoc Lexico, inſunt deſcripta ex memoratis Lexicis *Homericis*, *Tragicis*, *Comicis*, aliisque. Iis tamen, qui cum fructu hocce *Heſychii* Lexico uti cupiant, ſumma opus eſt cautione, ne imprudentes in errorem adducantur. Quisquis enim fuit iſte *Heſychius*, ſive laudati Lexici compilator, ſine ullo diſcrimine, obvia quaevis in Lexicis vetuſtis corraſit; ſaepe ſpurias & mendoſe ſcriptas, voces, in ſuum Lexicon, tranſtulit, atque ita vocabula plane barbara, ſive vitioſas voces, pro Graecis, exhibuit. Quod ſaepius, non animadverſum ab eruditis, fraudi illis fuit. Ex quo apparet, iis, qui hoc lexico recte uti velint, quum neceſ-

ſa-

ſariam eſſe haud vulgarem linguae Graecae peritiam, tum etiam vim judicandi acerrimam, & ingenium felix: ut ita, ſubſidio Criticae, vera a falſis diſtinguere, & corrupta recte emendare poſſint.

Editum hoc Lexicon fuit, quum ante, tum etiam a *Schrevelio*, in Quarto. In primis autem laudem, meretur nova *Heſychii* editio, quam, luculentis eruditorum notis inſtructam, paravit Theologus eruditiſſimus, *Johannes Alberti*, ſummo literarum damno, ante aliquod tempus, morte exſtinctus. Prodiit autem hujus editionis primum volumen, in Folio majore, jam ante aliquot annos; alterum autem jam in eo eſt, ut brevi ſit proditurum. [Prodiit Anno 1766, cum elegantiſſima Praefatione viri in his literis ſummi, *Dav. Ruhnkenii*, & auctario emendationum *Hemſterhuſii*, *Ruhnkenii*, *Valckenaerii*, *Tollii*, aliorumque.]

Haec de Lexicis antiquis. Quae enim extant praeterea, Gloſſaria Graeco-Latina, & Latino-Graeca, quum maxime pertineant ad ſcriptores recentiores, hic commemoraſſe nihil adeo attinet.

Exiſtimandum autem non eſt, quae commemoravi, Lexica ita comparata eſſe, ut omnes Linguae Graecae copias complectantur. Imo vero, ſi rite rem conſideremus, partem tantum exiguam iis contineri, apparebit. Quod etiam tum dici poterit, ſi vel *Scholiaſtas* veteres, qui, ſuis

ſuis obſervationibus, ſcriptores Graecos illuſtrarunt, adjicias. Quanquam enim ii quoque multa admiſcent, quae, ad indolem Linguae Graecae cognoſcendam, utilia ſunt; parum tamen habebis, ad omnes Linguae Graecae divitias perſpiciendas.

Huic itaque incommodo ut mederentur, jam primum, a renatis in Italia literis, homines literati, Lexicis conſcribendis operam dederunt. Et quidem in primis commemoranda diligentia *Gulielmi Budaei*, qui, pro ea, qua pollebat, in Graecis eruditione, lexicon quoddam Graecum compoſuit, quod inſcripſit *Commentarios Linguae Graecae* [editos primum Pariſ. An. 1529, dein tertia parte auctos, An. 1548]: ubi tamen ordinem literarum Alphabeti non obſervavit; ſed fere, ut caſus ferebat, omnia diſpoſuit.

Praeter *Budaeum*, Lexica quoque Graeca conſcripſerunt *Joachimus Camerarius*, & *Robertus Conſtantinus*, aliique. Sed omnibus palmam praeripuit *Henricus Stephanus*, vir laborioſiſſimus ſimul & Graece doctiſſimus. Hic, utiliſſimo inſtituto, primus omnium verba derivata, & compoſita, ad ſuas quaeque ſtirpes reducere conatus fuit; edito Anno 1572 *Theſauro Linguae Graecae*, tribus voll. in Folio, additoque quarto, *Appendicis* nomine. Ex hoc theſauro excerptum utiliſſimum, & juventutis uſibus accommodatum valde, edidit *Joannes Scapula*, *Henrici Stephani* amanuenſis.

Inter

Inter alios theſauri hujus *Stephaniani* defectus, id praecipue monendum eſt, *Stephanum*, antiquorum Grammaticorum ineptiis plus juſto tribuentem, veram ſimplicemque Analogiam Linguae Graecae ſaepe minime habuiſſe perſpectam. Ex quo factum eſt, ut modo *derivata* pro *primitivis* habuerit, modo voces ad alienas ſtirpes retulerit. & ubique fere ſignificationes *proprias* & *metaphoricas*, nulla ordinis naturalis ratione habita, mirum in modum confuderit: ut ſaepe, quae poſtremo loco ponitur, ſignificatio, primum obtinere debuiſſet; quippe ex qua, tanquam propria, reliquae omnes provenerint.

Hoc tamen facile viro ſummo condonari poteſt, quum ante eum nemo fere fuerit, etiam inter ipſos antiquos, quin in his ſaepiſſime ſit lapſus: ut Etymologum legentibus non poteſt eſſe non exploratiſſimum. Neque hoc mirum, ipſos Graecos coecutiviſſe, in originibus linguae patriae detegendis. Docuit enim experientia, in rebus aliorum populorum tradendis, eorumque originibus inveſtigandis, exteros, ſi in id incubuerint,* longe fuiſſe perſpicaciores, quam illi eſſe ſolant, quibus eae res domeſticae ſint. Quod idem de Lingua Graeca dicendum.

Fue-

* Neque id mirum: quia infantes, qui nondum pollent judicio, linguam vernaculam, ſola memoriae ope, diſcunt; maturior autem aetas peregrinos ſermones, potiſſimum rationis beneficio, apprehendit, ac ſibi familiares reddit. V. B.

* *

Fuerunt ſane inter eruditos, poſt renatas literas, viri ſummi, *Iſaacus Caſaubonus*, *Joſephus Juſtus Scaliger*, & *Claudius Salmaſius*, qui, ſi voluiſſent opus hoc difficile adgredi, procul dubio rem perduxiſſent eo, ut laetiſſima nunc eſſet linguae Graecae facies. Qui enim eorum ſcripta evolvit, facile animadvertat, magnos hos heroës linguae Graecae harmoniam egregie perſpexiſſe, minime fidentes priorum Grammaticorum figmentis, qui, nullo certo fundamento nixi, nullis legibus, quas linguae natura ſancivit, adſtricti, tanquam vagabundi oberrarunt, & ubique pedem offenderunt.

Neque ipſe *Angelus Caninius*, Grammaticus doctiſſimus, qui Grammaticam Graecam, ſub nomine *Hellenismi*, compoſuit, plane eximendus eſt eorum numero. Etſi enim, in hoc libro, multa egregia reperiuntur; atque in flexionibus declinationum, & conjugationum, multas anomalias perite ſuſtulit *Caninius*: in ea tamen parte, qua agitur de primis verborum ſtirpibus & propriis notionibus, minime viam monſtravit, qua poſſis ad *Origines* linguae Graecae, ejusque *Analogiam*, certo pervenire.

Quod in lingua Graeca deſideramus, in Hebraea praeſtare aggreſſus eſt *Albertus Schultens*: cujus ſcripta, quum multa ſpecimina, e lingua Graeca deſumta, contineant; ipſis linguae Graecae cultoribus, ſaepe utiliſſimas obſervationes ſuppeditare poſſunt.

Nihil

Nihil autem tantam lucem affudit analogiae linguae Graecae, quam divinum illud *Tib. Hemſterhuſii* ingenium: qui quantum hac in parte valuerit, variis ſcriptis editis, data occaſione probavit.

Hemſterhuſium ſecutus eſt vir clar., *L. C. Valckenaerius*, *Hemſterhuſii* diſcipulus, praeceptor meus aeſtumatiſſimus; ex quorum virorum ſcriptis plus lucis accepit Analogia linguae Graecae, quam ex reliquorum eruditorum laboribus ſimul ſumtis omnibus.

His itaque (quippe in eorum ſchola enutritus,) quidquid hac in parte cerno, id omne fere refero acceptum: errores vero, quos, hac in Analogiae infantia, committere minus dedecori eſt, non eorum inſtitutioni, ſed meae tenuitati, adſcribi velim.

Praeter *Lexica Graeca*, & *ſcripta virorum doctorum*, ſumma utilitas percipi poteſt, ex lectione diligenti ſcriptorum veterum, qui, quo antiquiores ſunt, eo plura plerumque verba ſuppeditant, quae, ſine iis ſcriptoribus, ignoraremus. Quotidie nimirum, in linguis, hoc accidit, ut alia vocabula cadant ex uſu, alia renaſcantur. Quorſum pertinet hoc *Horatii*, Art. Poët. vs. 60 ſſ.

Ut ſylvis folia privos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas;
Et, juvenum ritu, florent modo nata, vigentque.

 Quae

Quae tamen *Horatii* verba, de *derivatis vocabulis*, aut *ſignificationibus metaphoricis*, non vero de primis ſtirpibus, accipienda ſunt. Tam enim antiquae primae linguarum ſtirpes prope ſunt, quam ipſum genus humanum.

Apparet autem ex dictis, maximam copiam verborum antiquiſſimorum, a Graecis poëtis vetuſtiſſimis, poſſe peti. Quum enim poëtae merito cuſtodes linguarum habeantur, tum reliquis ſcriptoribus, tempore etiam, quo floruerunt, antecedunt eorum multi.. Praeter Tragicos itaque, *Aeſchylum*, *Sophoclem*, & *Euripidem*, nec non Comicum *Ariſtophanem*, & reliquorum Comicorum, Tragicorumque fragmenta, hic illic apud ſcriptores veteres diſperſa, *Homeri* diligens lectio magnam primitivorum & derivatorum copiam, tum etiam multas ſignificationes *proprias*, aut *ſecundarias*, deinceps minus cognitas, ſuppeditabit. Atque ita reliqui poëtae, prout quisque antiquior eſt, eo analogiae lucem accendere poſſunt majorem. Quo magis dolendum eſt, ne centeſimam quidem partem poëtarum veterum ad nos perveniſſe. Exiſtimandum itaque eſt, cum iis ſcriptoribus, ſimul etiam, magnam linguae Graecae partem interiiſſe. Quo enim pauciores ſcriptores, in aliqua lingua mortua, ſive, quae in uſu eſſe deſiit, ſuperſunt, eo majores defectus ejus linguae cenſendi ſunt, ut luculenter patet ex lingua Hebraea. [Vide laudatum *A. Schultenſium*, cum alibi, tum in primis, de

De-

Defectibus Ling. Hebr. §. CXXIV, ad CXXVIII. & *Veteris ac Regiae viae*, p. 80-91. quo libro vir ſummus XVIII Canones propoſuit, eosque egregiis exemplis (e literatura Latina, Belgica, Graeca, Hebraea, prolatis) ad oculum ita demonſtravit, ut totum Analogiae ſyſtema, exinde quam certiſſime cognoſci poſſit & incredibilis ejusdem utilitas evidentiſſime conſpici.]

Atque haec quidem breviter, de ſubſidiis, quibus ad veram Analogiae linguae Graecae cognitionem pervenias. Pergo ad ipſam Analogiae tractationem; [quam ita exponemus, ut ſimus dicturi paullo fuſius:

CAPITE PRIMO.

De Analogia *in genere.*

CAPITE SECUNDO.

De Literis Alphabeti antiqui.

CAPITE TERTIO.

De eo quod, in primis *Linguae Graecae, ſimpliciſſimisque,* originibus *inveſtigandis, obſervandum eſt.*

CAPITE QUARTO.

De Verbis *in genere, & diverſorum temporum, in primis* Futuri, *formatione.*

CAPITE QUINTO.

De Praeteritis *temporibus &* Augmento.

CA-

CAPITE SEXTO.

De terminatione temporis Praeteriti perfecti, *aliorumque* praeteritorum.

CAPITE SEPTIMO.

De Verbo Paſſivo, *&* diverſorum *in eo* temporum *formatione.*

CAPITE OCTAVO.

De Verbo Medio.

CAPITE NONO.

De Verbis in *μι*, *eorumque formatione.*

CAPITE DECIMO.

De proximis *verborum* Derivatis.

CAPITE UNDECIMO.

De Derivatis *quibusdam* ſecundariis.

CAPITE DUODECIMO.

De Verbis Originalibus *ſimpliciſſimis.*

CAPITE TERTIO DECIMO.

De Verbis Derivatis *proximis.*

CAPITE QUARTO DECIMO.

De productioribus Verbis derivatis, *ab aliis verbis ortis.*

CAPITE QUINTO DECIMO,

De Verbis, *a* nominibus *ortis.*

CAPITE SEXTO DECIMO.

De Literis, *ab* initio Verborum *aliunde adſcitis.*]

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE

ANALOCIA IN GENERE.

Ut in omni inſtitutione, quae ratione & ordine perficitur, a definitione ejus rei, de qua agitur, incipiendum eſt, ita, *Analogiam Linguae Graecae* expoſiturus, obſervo, *Analogiam* in linguis dici, *vocabulorum, quae linguam conſtituant, omnium, in certa genera diſtributorum, & ſignificationum, iis adjunctarum, ac denique phraſium, totiusque conſtructionis, aptam inter ſe, & conſtantem ſimilitudinem atque convenientiam.*

Solent quidem, inter veteres, plerique *analogiam* ſimpliciter deſcribere, per *vocum ſimilitudinem*, vel *comparationem ſimilium:* ſed nimis hoc generatim dicitur, quam ut omnia, ad analogiam pertinentia, in ſe comprehendat. Quum enim neceſſario illuc quoque referendae ſint notiones, ſingulis verborum formis adjunctae, tam *propriae*, quam *metaphoricae;* tum etiam univerſa orationis conſtruendae ratio: apparet, ut opinor, minime ſufficere iſtam, quam praebent, definitionem.

Ejusmodi autem *Analogiam* conſtanter, in linguis omnibus, locum habere, cum aliunde co-

cognoſci poteſt, tum etiam ex actionum humanarum omnium ſimilitudine. Quum enim loquela, non niſi actione organorum corporis, labiorum, nempe, linguae, aliarumque oris partium, perficiatur; quumque ſignificationes verbis ſubjectae, & conſtruendi rationes omnes, ab internis mentis humanae actionibus pendeant: facile apparet, ſicut in omnibus actionibus humanis, ita etiam in *loquela* analogiam quandam eſſe oportere.

Quanquam autem *analogicas* iſtas *actiones*, in *linguis* quidem, non adeo oculis videmus; percipimus tamen eas auribus, quae ſonis diverſis cognoſcendis inſerviunt. Iſtam vero ſimilitudinem verborum tantam eſſe, diligenti obſervatione, experimur, ut nullum ſuperſit dubium, quin *analogia*, ex ipſa hominis natura manans, in omnibus omnino linguis, pro diverſa indole earum, diverſa quidem; in ſingulis tamen, aequali modo, per omnes earumdem partes, regnet conſtantisſime.

In *tres* itaque *partes* commode dividi *analogia* poteſt: quarum *prima* vocabulorum formandorum leges ſpectat; *ſecunda*, in determinandis ſignificationibus, verſatur, ſive docet, quibus modis a *propriis* & *corporeis* ſignificationibus, quae verbis primitivis ſubjiciuntur, *metaphoricae*, per varios derivatorum flexus, & formas, profluxerint; *tertia* denique pars, conſtruendae orationis leges, phraſiumque naturam exponit.

Ha-

Earum partium *prima* externam linguae formam deſcribit; *ſecunda* internam; *tertia* vero ad utramque pertinet. Harum porro duae poſteriores longe ampliſſimae ſunt, & tot tantiſque difficultatibus etiamnum obſeptae, ut iis tractandis nemo facile par ſit futurus.

Quapropter, in *prima* parte exponenda potiſſimum verſabor: admixtis tamen ſubinde iis etiam obſervationibus, quae ad reliquas partes viam aperire, eamque reddere poſſint aliquanto planiorem.

Quod igitur ad *primam* partem attinet; ubi *ſimilitudo verborum* ſeu *formarum*, in vocabulis ſpectari ſolet: tribus ea potiſſimum modis conſiſtere poteſt; vel in *principio*, vel in *fine*, vel etiam in *medio*; idque diverſimode, pro diverſa linguarum natura. Ita in aliis linguis, verbi gratia, diverſae *temporum*, in verbis, *perſonae* dignoſcuntur, *additione*, vel *mutatione* terminationis ſive *literarum, in fine*; in aliis, mutatione *literarum mediarum*; in aliis, aliter. Obſervandum autem eſt, ab his vocabulorum mutationibus, & variis flexibus, *ſignificandi naturam* pendere; eamque variare, prout *variae* vocabulorum formae, hoc modo, naſcuntur: exceptis tantummodo hujusmodi mutationibus, quae, *euphoniae* gratia, fuerunt factae tum, quum jam linguae pulcritudini ſtuderent homines.

Triplicis hujus mutationis, cum convenientia ſimilium vocabulorum, quaeque ad eandem claſ-

ſem Grammaticam pertinent; ſpecimina nobis ſuppeditat Lingua Graeca. Ponamus v. c. verba ποιέειν & βοάειν; quorum utroque actio deſignatur *infinita*, altera *faciendi*, altera *clamandi*. Jam in his ſimilitudo obſervatur, in *poſtrema* vocis *parte* ειν; quae utrique verbo adjecta eſt: ut eſſet nimirum nota *actionis infinitae*, ſeu ad *nullam certam perſonam* pertinentis. Simulac enim terminatio ειν, in uno verbo, actioni hujuſmodi *infinitae* deſignandae, eſſet adſignata; ſponte ſua analogia, in aliis verbis ſimilibus, eandem hancce terminationem actioni *infinitae* quoque adſignavit. Quodſi vero, pro ποιέειν, ponamus ποιέω, terminatio, ſeu litera, ω, loco ειν poſita, indicio erit, actionem pertinere ad *certam* quandam *perſonam*, & quidem ad *primam*. Comparatione itaque facta *verborum ſimilium*, ſeu ejuſdem naturae, apparebit; ſicut, in ποιέω, terminatio ω actionem ad *primam* perſonam reſtringit: ita eandem terminationem, in verbo βοάω, actionem quoque referre ad *primam*, quam diximus, perſonam.

Quod vero attinet ad *mutationem*, *additionemve* literarum, in *medio* vocabulorum, videmus, in verbo ποιέω, ſi inſeratur litera σ, ante ω, ut fiat ποιέσω (quemadmodum antiquiſſimi Graeci pronuntiarunt, pro ποιήσω;) videmus, inquam, literam σ, huic verbo conciliare ſignificationem *actionis futurae*, ejuſque reſtrictae ad *primam perſonam*: cujus *perſonae* nota, in his, ω eſt, ut jam vidimus. Eandem itaque literam ſi inſeramus verbo

verbo *βοάω*, naſcetur antiquum futurum *βοάσω*, atque ita, in aliis verbis omnibus, eadem proprie ratio locum habet: quare etiam literam *σ* *futuri characteriſticam* recte vocarunt Grammatici.

Vidimus igitur, in his *terminationem* verbi manere eandem, *mediam* autem vocis *partem* mutari.

Tertium denique mutationis genus, in *principio* vocabulorum, Lingua Graeca ſuppeditat in *augmentis*, quae vocantur, *verborum*. Sicut enim repetitio literae primae *π*, in verbo *ποιέω*, addita vocali *ε*, (& mutata ſimul terminatione *ω* in *κα*) in *πεποίηκα*, nota eſt *praeteriti perfecti*, ita litera *β*, addita vocali, in *βεβόηκα*, ejuſdem temporis indicium praebet. Atque haec ſpeciminis loco ſufficiant: ut perſpicue intelligatur, qua ratione analogia, per omnes linguae partes, vim ſuam latiſſime diffundat.

Datur autem varia admodum & multiplex harum mutationum ratio: quae tamen ita comparata ſemper eſt, ut, in *ejuſdem naturae vocabulis*, *ſimiles* mutationes *ſimiles* ſignificandi modos habeant.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE

Literis Alphabeti antiqui.

Praemissis iis, quae ad analogiam univerſe pertineant, ad hujus rationes ſeparatim explicandas, mox accederem; niſi antea quaedam monenda eſſent, de *antiquo Graecorum Alphabeto*, & *literarum elementis*. Niſi enim ſingulas vocabulorum particulas, ſeu *prima elementa*, unde ſunt compoſita, horumque naturam, recte cognoſcamus, nulla ratione de ipſis verbis, horumque formatione, poterimus judicare.

Neque tamen hoc ita accipiendum eſt, quaſi ante *literae* eſſent inventae, quam voces formatae, literarum elementis conſtantes: quo nihil ineptius ſtatui poteſt. Haud dubie enim *literarum elementa* inventa ſunt ab antiquiſſimis mortalibus, ut eorum auxilio, non ſolum praeſentes, ſed etiam abſentes, inter ſe colloquerentur, vel etiam cogitationes ſuas, certis characteribus, deſignando memoriam ſublevarent.

Sollerter, nimirum, animadverterunt antiquisſimi homines, ingentem illam verborum copiam, quam linguae comprehendunt, non, niſi ex pauciſſimis ſonis diverſis, & quaſi elementariis,

con-

conſtare; atque adeo eorum ſingulos ſignis quibusdam peculiaribus commode exprimi poſſe: quae *literarum* deinceps nomen obtinuerunt.

Fuerunt autem haec literarum elementa, in antiquo Graecorum Alphabeto, numero tantummodo *ſedecim*: quae una cum nominibus, ex Oriente in Graeciam, detulit *Cadmus Phoenicius*, annis, circiter, ante CHRISTUM natum, MD. Videntur quidem in Graecia, ante ea tempora, certa quaedam ſigna, quibus vocabula deſcriberentur, cognita fuiſſe: ſed eorum nulla deinceps, poſt introductum a *Cadmo* Alphabetum, veſtigia remanſerunt. Haec autem *ſedecim* elementa, ordine magis naturali, quam vulgo fieri ſolet, ſubjunxiſſe, non erit inutile: ut primo adſpectu, literae vicinae, & cognatae, a minus vicinis, dignoſcantur. Sunt vero

Α. Ε. Ι. Ο. Υ. Β. Π. Γ. Κ. Δ. Τ. Σ. Ρ. Λ. Μ. Ν.

Ex his literis, praeter *quinque* vocales, eo, quo poſui, ordine ſemet excipientes, literae *labiales* β & π tam ſunt vicinae pronuntiationis, ut eaedem literae propemodum haberi poſſint, atque a Grammaticis propterea diſtinguantur in *tenuem* & *mediam*.

Idem probe tenendum eſt de literis, quae dicuntur, *palatinis*, γ & κ, ac tandem de *lingualibus* δ & τ. Hoc enim niſi, in ſequentibus, probe obſervetur, in originibus vocum eruendis

dis, harumque formis vicinis deſcribendis, fruſtra erimus occupati.

Ab his *ſex literis conſonantibus* diverſae ſunt aliae, quae *liquidae* vocari vulgo ſolent; nempe σ, ρ, λ, μ & ν: de quibus, alio in loco, dicendi occaſio erit.

His autem XVI literarum elementis *Cadmaeis* antiquitus universa, qua late patuit, lingua Graeca comprehenſa fuit. Ex quo facile apparet, in *originibus* & *ſimpliciſſimis* vocabulorum *formis*, quae ipſis literis longe antiquiores ſunt, non, niſi has *ſedecim* literas, reſpiciendas eſſe: nulla prorſus ratione habita reliquarum literarum; quae, poſterioribus demum temporibus, in Graeciam introductae, literarum numerum ad XXIV auxerunt. Praeter *adſpirationem* enim, quam antiquiores Graeci, plane ut Latini, Graecos imitati, ſigno H expreſſerunt, adjectae ſunt η, ω, φ, ψ, χ, ξ, θ, ζ, quae tamen non tam *nova literarum elementa* ſunt habenda, quam, ex antiquioribus, ſimplicioribuſque, ſignis compoſita. Literae enim θ, φ, χ, quae dicuntur *adſpiratae* a Grammaticis, ex literis τ, π, κ, addita *adſpiratione*, ſunt formatae: quare etiam θ cognata eſt literae τ & δ; quarum utraque *lingualis*: atque ipſa litera θ *lingualibus* adnumeratur. Simili modo φ, orta ex π cum *adſpiratione*, vicina eſt literis *labialibus* π & β; atque ita, χ, orta ex κ & *adſpiratione*, ad *palatinas*, κ & γ referenda eſt: quod in diverſis verborum

formis

formis explicandis, deinceps uſui veniet obſervaſſe.

Praeterea *literas duplices* habemus *tres* ζ, ξ, & ψ. Harum prima, orta ex *cognatis* δ vel τ & litera *liquida* σ, propterea, merito ad literas *linguales* refertur. Secunda ξ, orta ex γ, vel κ, vel etiam ex χ & σ, ad *palatinas* pertinet. Tertia tandem ψ, ex β, vel π, vel etiam φ, & σ orta, literarum *labialium* cognata habetur.

Literae autem *vocales*, η & ω, non aliam vim habent, quam productae literae ε & ο, in antiqua lingua Graeca: ubi haec eodem modo, ut α, ι, & υ, atque, in Latina lingua, *e* & *o ancipites* fuerunt, hoc eſt, in aliis vocabulis *productae*, in aliis *breves* factae.

Praeter harum literarum *naturam*, & *poteſtatem*, earum etiam *antiquitatem* cognoviſſe, e re noſtra fuerit. Quod tamen ſi rite tractaretur, longius, quam pro inſtituto, nos detineret. Quare vulgatiorem in his opinionem tantum ſequemur.

Tradunt, nimirum, veteres, literas θ, φ, χ, ξ, a *Palamede* inventas fuiſſe, tempore belli Trojani; *quatuor* vero reliquas, ζ, ψ, η & ω, á *Simonide Caeo*, annis circiter, ante CHRISTUM nat. DXXX. Quam in rem qui plura deſideraverit, legere poterit *Spanhemium*, de *uſu* & *praeſtantia numiſmatum*, Tom. I. Diſſ. *ſecunda*; nec non *Bentlejum*, in Diſſertationibus Anglicis, de *Phalaride*, p. 241 ſſ. [Verſionis noſtrae Latinae p. 132. 133.]

Ut

Ut ut eſt, ſive VIII has literas *Palamedi* & *Simonidi*, ſive aliis etiam inventoribus, adſcribamus, certo conſtat, eas primum in *Jonia* fuiſſe receptas; adeoque *jonicum* Alphabetum XXIV literis conſtitiſſe: poſtquam XVI, quas ſupra enumeravi, *Cadmaeis*, literis adjunctae fuiſſent hae VIII. *Attici* vero, diu poſt demum, quum jam reliqui Graeciae populi has XXIV *Jonicas* literas, aliquamdiu uſurpaſſent, eas in ſuum Alphabetum receperunt: quum nempe antea XVI *Cadmaeis* tantum fuiſſent uſi. Post mortem tandem *Euripidis*, Archonte *Euclide*, publica auctoritate, reliquae VIII literae, ab iis, fuerunt receptae, atque ſic conſtitutum fuit, ab omnibus Graeciae populis, commune Alphabetum, XXIV literarum.

Obſervandum autem eſt, quotieſcumque *Atticae literae*, ſeu Ἀττικὰ γράμματα, ab antiquis commemorentur, oppoſite ad *Jonicas*, XVI tantum *Cadmaeas* intelligendas eſſe; quum vero *Jonicas* nominent, totum dici Alphabetum, XXIV literarum.

Ex dictis ſimul apparet, *Homerum*, alioſque antiquiſſimos poëtas, nec non Atticos *Tragicos*, *Aeſchylum*, *Sophoclem*, & *Euripidem*, aliter ſcripſiſſe revera, quam quidem hodie vulgari ſolent eorum libri. Quum enim nonnullae literae, poſt *Homeri* demum tempora, inventae ſint, neque ab *Atticis* in uſum fuerint receptae, niſi poſt mortem *Euripidis*, manifeſtum eſt, aliam fuiſſe, eorum

tem-

temporibus, orthographiam, quum antiquioribus literis tantum uterentur Graeci.

Dubium autem videri poterit, utrum tantum XVI literis fuerit uſus *Homerus*, an vero XX; adjectis, in Alphabetum antiquum, literis *Palamedeis*. Utcumque ea res ſeſe habet, id certum eſt & indubitatum, ignoraviſſe *Homerum* literas *duplices*, & vocales *longas*: quas, quum nondum haberent Graeci, *lineola ſuperpoſita*, a brevibus diſtinguere ſolitos fuiſſe veteres, obſervat *Diomedes* in Scholiis Mſſ. ad *Dionyſ. Thracem*, cujus verba edidit Cel. *Valckenaer*, in variis lectt. ad Homer. Iliad. X, p. 53. Ὅταν ἤθελον γράψαι (veteres Graeci qui literis utebantur duntaxat *ſedecim*) ἔχουσαν ἐκφώνησιν τοῦ η λέξιν, ἔγραφον τὸ ε. καὶ ἐπάνω τοῦ ε τὸ σημεῖον τῆς μακρᾶς. Ὅταν δὲ, τὴν ἐκφώνησιν τοῦ ω, ἔγραφον τὸ ο, καὶ ἐπάνω τοῦ ο, τὸ σημεῖον τῆς μακρᾶς. Hoc tamen non de ipſis ſcriptoribus antiquiſſimis dictum accipiendum eſſe; ſed potius Grammaticis, veteres ſcriptores illuſtrantibus, attribuendum, mihi valde videtur veriſimile: quum hujusmodi *virgulae* ſuperpoſitae, in lapidibus antiquiſſimis, non obſerventur, orthographiae vetuſtiſſimae, quam diximus, varia ceteroquin praebentibus exempla.

Inter alia marmor Atticum antiquiſſimum & praeſtantiſſimum exſtat, apud SPONIUM, in Miſcellaneis eruditae antiquitatis, pag. 315 &c. in quo, pro literis ψ, η, ξ, ω, inveniuntur literae Φ Σ, E, XΣ, & O. Ita pro ὀψιάδης, in eo mar-

B mo-

more, ſcribitur ΟΦΣΙΑΔΕΣ, pro Θȣκυδίδης eſt ΘΟΚΥΔΙΔΕΣ, atque ſic in reliquis hujus generis. Porro ibidem pro Φωκίων ſcribitur ΦΟΚΙΟΝ, pro Ἀθηνόδωρος, legitur ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ. Praeterea, in eodem marmore, cernitur ratio ſcribendi *ſpiritus aſperi*, ʽ quam antiquiſſimi Graeci habuerunt. Pro, Ἱππόδαμας, nempe, ſcribitur ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ, cum *adſpirationis* nota H, quae in lingua Latina remanſit. Tandem ΑΜΦΙΑΝΑΧΣ ſcribitur, pro Ἀμφιάναξ: atque ſic in ſimilibus, toto iſto marmore, eadem ſervatur ſcriptura.

Ex quo facile intelligi poteſt, qua ratione Graeci ſcripſerint, quum XVI tantum *Cadmaeas* haberent literas. Scripſiſſe nimirum videntur vs. I. Iliados *Homericae* hunc in modum

ΜΕΝΙΝ ΑΕΙΔΕ ΤΕΑ ΠΕΛΕΙΑΔΕΟ ΑΚΙΛΕΟΣ,

niſi forte aliquis opinetur, tum etiam in uſu fuiſſe notam *adſpirationis* H, atque, tempore *Homeri*, jam non ΤΕΑ, ſed ΤΗΕΑ, non ΑΚΙΛΕΟΣ ſed ΑΚΗΙΛΕΟΣ, ſcripta fuiſſe.

Ad eandem autem normam apparet quoque, quemadmodum Tragici veteres Attici ſcripſerint, antequam VIII literae (quas ſupra enumeravimus, ϑ, φ, χ, ξ, ζ, ψ, η, & ω) ab Atticis, antiquo ſuo Alphabeto *Cadmaeo* eſſent adjunctae.

Quod vero, hodie, in *Tragicorum*, aliorumque *veterum poëtarum*, ſcriptis, eandem orthographiam,

phiam, eaſdemque literas, quas in recentiorum Graecorum ſcriptis, nunc quidem invenimus, id Grammaticis tribuendum eſt, qui jam olim veterum ſcripta poëtarum, ad eam ſcribendi legem, quae ipſorum temporibus vigeret, reformarint. Sic v. gr. quod antiquiores Graeci ſcripſerant ΤΟΙ ΚΣΥΛΟΙ, Grammatici veteres, ad ſui temporis ſcribendi rationem, mutarunt in τῷ ξύλῳ, quod veteres ΤΕΙ ΤΙΜΕΙ, recentiores ſcripſerunt τῇ τιμῇ, atque ſic in aliis. Egregia hanc in rem exſtat Scholiaſtae *Euripidis* obſervatio ad Phoeniſſ. vs. 688 [p. 687. coll. 688] πρὸ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλείδου, μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βραχέσιν, ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο, τῷ Ε, ἀντὶ τοῦ Η. καὶ τῷ Ο, ἀντὶ τοῦ Ω. ἔγραφον οὖν, τῷ δήμῳ, μετὰ τοῦ Ι, ΤΟΙ ΔΕΜΟΙ &c. Ubi vide Cel. *Valckenaerium*. Atque haec terminatio antiqua Dativi remanſit in vocibus ἐμοὶ, σοὶ, τοὶ, ποὶ, οἱ, ſimilibusque: quemadmodum quoque, in ἐξοῖ, ἐνδοῖ, ἀρμοῖ & aliis, eandem ſcripturam ſervarunt Sicilienſes.

Altera terminatio ει, loco ῃ, cum in aliis ſervata fuit, tum in primis conſtanter manſit in *ſecundis perſonis*, Praeſentis Indicativi paſſivi, verborum βούλομαι, οἴομαι, & paucis aliis, quae ſemper ſcribuntur βούλει, οἴει, loco βούλῃ & οἴῃ atque ſic in aliis.

Atque haec quidem de literis Graecorum breviter dicta ſufficiant: ut appareat, in *originibus* vocum explicandis, non, niſi XVI literarum *Cadmaearum*, rationem eſſe habendam.

B 2 Quod

Quod autem ad *accentus*, & *ſpiritus*, attinet, multa quidem diſputantur ab eruditis, de eorum antiquitate & pretio: quae copioſius examinaſſe hic loci nihil attinet.

Certum & exploratum videtur, *accentus* ab tiquioribus Graecis nullos fuiſſe adſcriptos vocabulis, eoſque adeo recentioris demum eſſe inventionis: tametſi, a multis abhinc ſeculis jam fuerint in uſu. Ignoraviſſe eos antiquiores Graecos, cum aliunde colligi poteſt, tum manifeſto demonſtrant tot praeclara monumenta, quae, lapidibus inſcripta olim, antiquae ſcripturae clariſſima praebent indicia. Idem docent numi Graecorum antiquiſſimi. Nusquam enim, in iis omnibus, ne ullum quidem *accentus* appoſiti veſtigium reperitur.

Idem fere, quod de *accentibus*, de *ſpiritibus* quoque dictum accipi debet; *iis* nempe *ſpirituum notis*, quae hodie, in libris Graecorum, conſpiciuntur. Hi autem quum proprie ad *literas* non pertineant, ſive *aſper* ſit, ſive *lenis*; vocis naturam proprie non mutant: ut facile patet ex hujusmodi vocabulis, quae, pro diverſa ſignificatione, diverſis ſpiritibus notantur, vel parumper inflexa, manifeſto tamen ad eandem ſtirpem pertinent; cujus generis ſunt ὅρος *terminus*, & ὄρος *tumulus*, *mons*. Eſt enim proprie idem vocabulum, pro diverſis ſpiritibus, quibus notatur, diverſimode ſignificans. Similiter ἀΐδης Lat. *orcus*, ab Jonibus cum *leni* ſcribitur; Atticum

vero,

vero, inde contractum, ᾅδης, *aſpero* notatur. Praeterea hoc obſervatur in verbo ἅλλομαι, Lat. *ſalto*, quod *aſpero* notatur. Inde tamen formatum ἆλτο Lat. *ſaltabat*, &c. cum ſpiritu *leni* ſcribi, obſervat auctor Lexici vetuſti περὶ πνευμάτων *de ſpiritibus*, quod edidit Cel. *Valckenaerius*, poſt *Ammonium*, p. 209 his verbis: Τὸ ἅλλομαι, διὰ δυὸ λλ, ὃ σημαίνει τὸ πηδῶ, καὶ ἁλλόμενος. καὶ ἅλμα, τὸ πήδημα Ἄλμα δὲ τὸ ἄλσος ψιλοῦται — τὸ μεντοὶ Ἆλτο ἀντὶ τοῦ ἐπήδησεν, ὡς καὶ Ὅμηρος, ἆλτο χαμᾶζε, ψιλοῦται κ. τ. λ.

Iſtud autem Lexicon qui attente legerit, comparatis ſimul antiquis monumentis, facile videbit, pleraque, quae ad *ſpirituum* doctrinam pertineant, *recentioris* eſſe *inventi*: neque adeo eorum rationem habendam eſſe; ubi de prima linguae Graecae infantia ſermo eſt.

CAPUT TERTIUM.

DE

EO QUOD, IN PRIMIS LINGUAE GRAECAE, SIMPLICISSIMISQUE, ORIGINIBUS INVESTIGANDIS, OBSERVARI DEBEAT.

Cognita literarum poteſtate, earumque antiquitate, ad primas Linguae Graecae origines indagandas, progrediendum eſt. Videndum itaque primo loco, quaenam voces, pro *ſimpliciſſimis originibus*, haberi poſſint, quaenam minus? Hoc autem ut rite peragatur, quaedam, de *partibus orationis*, ante ſunt monenda.

Ex VIII *partibus*, quas vulgo ſtatuunt Grammatici, *Verbum* & *Nomen* principem obtinent locum: quum reliquae omnes facillime, ad harum partium alterutram, referri poſſint. Quapropter etiam *Ariſtoteles*, aliique de veteribus, revera *duas* tantum eſſe *partes* orationis voluerunt. Addunt quidem alii *tertiam* partem, utriuſque, nempe, & *Verbi* & *Nominis ligamentum*, ſive *Particulas*, quod, nempe, particulae orationem in unum corpus veluti connectant & devinciant. Sed, qui attentius *particularum* naturam inſpexerit, facile animadvertat, omnia fere, quae *particularum* nomine inſigniuntur, ſi *exteriorem formam*, eorumque natu-

naturam Grammaticam inſpiciamus, referenda eſſe vel ad *Nomen* vel ad *Verbum.*

Ita verbi gr. particula οὖν, Lat. *igitur*, revera *participium* eſt, contracte pro ἐὸν, quod *neutrum* a maſcul. ἐὼν: quo modo participium verbi ἔω, vel εἰμὶ, pronuntiarunt *Jones*; quum Attici ἐὸν contraxerint in οὖν. Apparet itaque, Graecum οὖν revera pertinere, ad nomina participialia. Eadem ratio cernitur quoque in particulis ποὶ, πῇ, ποῦ, quae *adverbia loci* dicuntur: quorum duo priora proprie *dativi antiqui* ſunt; poſtremum vero *genitivus* eſt, quemadmodum ſimilis ratio cernitur, in *Adverbiis*, quae dicuntur, *Loci*, apud Latinos, *quo*, *quâ*, & ſimilibus.

Ad *verba* porro referenda ſunt ἄγε, φέρε, ἰδοῦ, ἴθι, εἶα, vel ἔα, & plura alia ſimilia, id quod in aliis clarius, in aliis minus manifeſto, apparet. Horum tamen omnium rationem eandem fuiſſe in prima Linguae Graecae infantia, non eſt, quod dubitemus.

Haec igitur quum revera ſic ſeſe habeant, jam, porro inquirendum eſt, utrum verba, an vero nomina, *primas* Linguae Graecae *ſtirpes* nobis ſubminiſtrent.

Docet autem ipſa rei natura, ſi de *ſimpliciſſimis* verbis ſermo fiat, *nomina* a *verbis*, non *verba* a *nominibus*, primum eſſe formata. Quum enim omnes res vocabulis, tanquam nominibus, ſignatae, ab uſu, qui ſingulis adeſt, vel quacumque etiam actione, nomina ſua acceperint: clare apparet, ſicut ipſam actionem, unde res denomina-

ta ſit, ita etiam verbum, quo actio deſignetur, praecedere nomini, quod ab actione aliqua, rei ſit inditum. Atque hoc adeo certum eſt, non ſolum in Lingua Graeca, ſed etiam omnibus omnino, linguis, ut extra omnem controverſiam poſitum eſſe videatur: niſi quis delabatur illuc, ut linguas integras, qua late patent, nullo artificio humano accedente, uno temporis articulo hominibus Divinitus datas eſſe, eoſque ſtatim calluiſſe tot myriadas, quot in ſingulis linguis ſunt, vocabulorum; tametſi res ipſas, vocabulis iſtis deſignandas, pleraſque primos homines ignoraſſe certum eſt. Hoc autem quam ſit rationi contrarium, atque ipſi experientiae, facile apparet: ſi modo conſideremus, ea ratione multa vocabula exiſtere jam debuiſſe, prius quam eorum utilitas inter homines ulla eſſet, quaeque proinde, non niſi vani & inutiles ſoni, facile & ſine ulla iactura dediſcenda fuiſſent. Quin imo experientia abunde docet, primum res ipſas inveniri hominum induſtria, deinde autem inventis nomina imponi, ſive ab utili tate, ſive alia qualitate ducta.

Ex quo porro apparet, quo plures res ab aliquo populo inveniantur, eo ditiorem & uberiorem eorum linguam fieri: ut adeo mirandum non ſit, tantam eſſe Linguae Graecae copiam & ubertatem; quum exculta ea fuerit a populo ingenioſiſſimo, cui omnes artes & diſciplinae non tantum primordia ſua, ſed etiam omnem fere ſplendorem, debent.

Lin-

Linguas itaque diligenter conſideranti, idem quod in artibus, in iis quoque uſu venire apparebit: eas, nimirum, a paucis, ſimpliciſſimisque, initiis profectas, non, niſi ſenſim & progreſſu temporis, ad eam, qua poſtea patuerunt, amplitudinem perveniſſe. Quum autem hominum natura ita ſit comparata, ut primum eas res circumſpiciat, quae neceſſario ad vitam ſuſtentandam, & cum aliis, quibuſcum homo ſocietatis vinculo conjunctus eſt, ſecure agendam, requirantur; dein vero ea excogitet, quae vitam jucundiorem posſint reddere, valde veriſimile fit, vocabula ea in linguis antiquiſſima eſſe, quibus res deſignantur, ad vitam degendam neceſſariae: ſi receſſeris ab iis vocabulis, quae, in antiquiſſimorum vocabulorum locum, deinceps ſubſtituta ſunt; ut revera hujus generis multae vocabulorum formae inveniantur, quae verborum obſoletorum locum occupaverunt.

Porro non alienum erit, hic obſervaſſe, non tantum ejuſmodi vocabula antiquiſſima exiſtimari debere, ſed etiam *ipſas* ſignificationes, verbis ſubjectas, tanto antiquioris uſus eſſe, tantoque magis proprias eſſe habendas, quanto ſunt propiores iis rebus, quas, corporis ſenſibus, percipimus. Ab iis enim ſemper, ſervata quadam ſimilitudine, ad reliquas quaſcumque verborum ſignificationes progrediendum eſt: ut adeo appareat, pauciſſimas revera eſſe *proprias* verborum *ſignificationes*; nec alias eſſe, niſi *corporeas*, ſive

eas, quibus res ſenſibus externis expoſitae deſignantur. E contrario autem, tranſlatarum ſignificationum copiam immenſam, quae ex *propria* notione, tanquam ex trunco arboris rami, quaquaverſum pateant: manente ſimilitudine inter eas omnes, & propriam ſeu primam ſtirpis ſignificationem, ſimiliter atque rami utcumque disperſi, & communem, & communis trunci naturam, retinent.

Ex his praeterea intelligitur, ea verba, quae ὀνοματοπεποιημένα a Graecis vocantur, ſic dicta, quia a *nomine*, vel *ſono*, formentur, *propriam* eam habere ſignificationem, quae *ſoni*, unde facta ſunt, naturam referat. Quorum verborum numerus, ingens revera, in linguis eſt, & longe major, quam vulgo credi ſolet.

Sed, ut ad propoſitum redeamus, ex iis quae ſupra dicta ſunt, clare apparet, *ſimpliciſſimas* origines non poſſe repeti, niſi ab ejuſmodi verbis, quibus *actiones ipſae* ſignificentur; adeoque a *verbis*, ſic proprie dictis. Quumque actiones *infinitae*, ſive nulli certae perſonae adſignatae, per rei naturam, antecedere debeant iis, quae certae perſonae attribuuntur, verba *infinitiva* ſimpliciſſima, proprie, primas linguae Graecae origines continere certum eſt. Harum autem plurimae quum jam a longiſſimis temporibus, una cum pleriſque notionibus propriis, ex uſu ceciderint, ac difficillimae ſaepe indagatu ſint, quo certiores progredi poſſimus, id ſemper tenen-

nendum eſt, ne quidquam admittamus, quod conſtanti analogiae linguae repugnet; dein etiam, ut ex ipſis linguae reliquiis, rite inter ſe comparatis, inquiramus, a quo verbo originali vocabulum quodque oriatur: etiam tum, quum minus ipſum verbum originale ſuperſtes ſit. Ubi enim in ſequentibus agetur, de *ſimpliciſſimis* verbis *primitivis*, id non ita accipiendum eſt, quaſi ea omnia, ſicut etiam multa derivata ſimpliciora, florente Lingua Graeca, in ſermone Graecorum, adhuc exſtitiſſe vellem; ſed tantum, in primo Linguae Graecae ortu, aut exſtitiſſe revera, aut ſaltem exiſtere potuiſſe. Neque enim, in hoc Linguae Graecae defectu, aeque certo ſciri poteſt, an tanta copia, quantam fingere verborum, per linguae naturam, conſtanti analogiae ductu liceat, prima Linguae Graecae aetate, re ipſa viguerit.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

DE

VERBIS IN GENERE, & DIVERSORUM TEMPORUM, IN PRIMIS FUTURI, FORMATIONE.

Quum ex iis, quae, capite antecedenti, propoſita ſunt, non niſi *verba*, eaque ſimpliciſſima, pro *ſtirpibus* haberi poſſe, appareat; hoc capite, in eorum naturam paullo diligentius erit inquirendum: quo clarius intelligatur, qua ratione certi procedere poſſimus, in originibus indagandis, tum etiam, ut mutationum, quae in verbis accidunt, ratio nobis conſtet.

Miſſis itaque, quas Grammatici fingunt, anomaliis, videndum eſt, qua ratione, in verborum declinationibus analogice poſſimus progredi. Quumque in iis, praeter perſonas, quae, per rei naturam, *tres* dantur, locum etiam habeant *diverſa tempora* & *modi*; triplicis verbi *activi*, *paſſivi*, & *medii*: de ſingulis pauca monenda ſunt.

Sicut *tres* tantum *perſonae* ſunt, ita proprie plura tempora non dantur, quam *praeſens*, *futurum*, & *praeteritum*. Quare hau dubie haec *antiquiſſima* verborum *tempora* habenda ſunt. Ut

adeo

adeo mirum non ſit, ab his potiſſimum temporibus, nomina fuiſſe derivata: non vero ab aliis temporibus, ut *imperfecto*, *aoriſtis*, ſimilibusque, quae *tempora* revera non niſi *gradus* veluti *diverſi* horum trium temporum exiſtimari poſſunt, & ſerius videntur inventa; quo pulchrior Lingua Graeca, perfectiorque, redderetur.

Flexio itaque *Praeſentis* activi *naturalis*, verborum, in ω cadentium omnium, haec eſt: in

Singul.	Dual.	Plural.
ω, εις, ει.	ετον, ετον.	ομεν, ετε, ουσι.

Ubi notandum, *dualem* numerum, in Novo Teſtamento nuſquam obvium, apud Graecos ſcriptores, frequentiſſimi uſus eſſe; quando de *duobus* ſermo fit. Quare etiam *dualem* numerum nominarunt Grammatici.

Quanquam autem, in antiquiſſima Lingua Graeca, verborum omnino omnium, etiam illorum, quae in μι terminantur, eadem plane ratio fuiſſe videtur: de his tamen, cum multum hodie differre, a verbis in ω, videantur, deinceps agetur ſeparatim.

Ceterum, quam in tempore *Praeſenti*, eandem, per *numeros* & *perſonas*, flexionem obſervamus in *Futuro primo.* Dignoſcitur autem, litera σ poſita ante ω, ſive ea lateat in litera duplici ξ vel ψ; ſive ſolummodo inſeratur in verbis, quae

quae vocantur, *puris*. Vocalium enim *brevium* in longas mutatio huc non pertinet: quum, ut ſupra vidimus, longae, η & ω, recentioris ſint inventi.

Oriuntur autem *futura*, in ξω deſinentia omnia, proprie a verbis, ſive *uſitatis*, ſive *obſoletis*, quae in *praeſenti*, ante terminationem ω, habent *literas* vicinas, & cognatas, *Palatinas*, ſive κ, ſive γ, ſive χ. Ex his omnibus enim, ſi *Characteriſticam* futuri σ addas, oritur litera ξ. [Vide dicta ſuperius, p. 31.]

Inveniuntur autem praeterea verba alia, quorum futura cadunt in ξω; ut quaedam verba in ζω, & σσω. Sed, ſi rem rite conſideremus, horum omnium eadem ratio eſt, quae reliquorum. Verba enim in ζω, cum, poſt literam ζ, recipere non poſſint σ, ob pronuntiandi difficultatem, proprie *ſimplicium* ſuorum, vel *primitivorum*, a quibus orta ſunt, futura cadentia in σω retinuerunt: quemadmodum φράσω, quod, tametſi ad φράζω refertur, proprie tamen pertinet ad *primitivum* φράω. Quae vero in *futuro* habent ξω, proprie loquendo ſibi adjunctum habent *futurum Doricum*, verborum in σδω. Notandum enim eſt, verba, in ζω vulgo cadentia, a *Dorienſibus*, & in primis *Siculis*, efferri ſolita fuiſſe per σδω; a *Tarentinis*, per σσω; a Boeotis per ττω, vel etiam δδω; quorum tamen poſterior flexus potiſſimum *Lacaedemoniis* fuit proprius. Ex his apparet, verbi gr., verba φράζω, φράσδω, φράσσω, φράττω,

φράττω, & *φράδδω*, non niſi dialecto, inter ſe differre.

His autem adnumeranda ſunt praeterea verba cadentia in *πτω*, quae itidem tantum dialecto differunt a reliquis. Quam in rem egregia eſt *Heraclidae* obſervatio, in Commentariis *Euſtathii* ad Homer. p. 54. l. 18. Αἰολεῖς τὰ εἰς πτῶ λήγοντα βαρυτονοῦντες μετατιθέασιν εἰς δύο σσ. ὡς καὶ ἡ Ὀδύσσεια δηλοῖ οἷον πέπτω, πέσσω, ὄπτω, ὄσσω. Dein autem idem, pag. 824, l. 27. οἱ Ταραντῖνοι, inquit, τὰ εἰς ζω λήγοντα ῥήματα βαρύτονα διὰ δύο σσ, προφέρουσιν, οἷον σαλπίζω, σαλπίσσω. λακτίζω, λακτίσσω. φράζω, φράσσω. ὅπερ, ἡ Κόριννα φράττω λέγει, Βοιωτικῶς πάλιν δὲ τὰ παρ' ἡμῖν διὰ δύο σσ, αὐτοὶ διὰ τοῦ ζ, προφέρουσι. Τὸ πλάσσω, πλάζω, λέγοντες, καὶ τὸ ἀνάσσω, ἀνάζω. καὶ τὸ νίπτω, παρ' Αἰολεῦσι νίσσω λεγόμενον, ὡς πέπτω, πέσσω. Οἱ Ταραντῖνοι μεταθέσει τῶν δύο σσ εἰς τὸ ζ, νίζω λέγουσι.

Ex quibus facile intelligitur, cum terminationes *πτω*, *σσω*, & *ζω*, non, niſi Dialecto, differant, quam facile, ex una, in aliam, Dialectum, quemadmodum ipſae hae terminationes, in communi Graecorum Lingua, in diverſis verbis vigentes omnes, ſic etiam nonnulla tempora recipi potuerint. Quae cauſſa quoque eſt, cur interdum duplex *Futurum*, uni alicui verbo, tribuatur, quemadmodum verbo *ἀφύσσω* futura junguntur *ἀφύσω* & *ἀφύξω*; quum tamen revera prius pertineat, ad formam obſoletam Praeſen-

tis

tis ἀφύζω, vel potius primitivum ἀφύω, poſterius vero ad ἀφύσσω, tanquam verbum Doricum, referendum ſit.

Similiter aliis verbis in σσω Futurum tribuitur in σω, aliis vero in ξω. Sed harum rerum ratio eadem quoque eſt, quae antecedentium: ut quoque illorum verborum, quorum alia, in σσω cadentia, futura adjuncta habent, ſimpliciter in σω terminantia, alia in ξω: Imo haec ipſa verba, quae proprie *Dorica* eſſe dixi, cadentia in σδω, quorum magna copia in communi Graecorum lingua ſedem obtinuit, ab Atticis recentioribus, per ττω, pronuntiata, (antiquiores enim Attici terminationem σσω praeſertim uſurparunt) ob eandem rationem, quae verborum in ζω eſt, proprie aliunde futura adſciverunt, & quidem a formis verborum vicinis, in κω, γω, vel χω, cadentibus; ut manifeſto patet ex eorum *praeteritis* temporibus, a *futuris* ortis, ubi litera originalis futuri, adeoque praeſentis, retinetur. Quemadmodum in φρίσσω, cujus *futurum* φρίξω, & *praeteritum perfectum* πέφρικα, non aliunde potuerunt oriri niſi a φρίκω: atque eadem reliquorum omnium ratio eſt.

Ut autem litera ξ, in verbis, quorum characteriſtica eſt κ, γ, vel χ, ita ψ in *futuris* verborum, quorum characteriſtica, ſive *conſonans* literam ω antecedens, una eſt e *labialibus* β, π, φ, locum habet: quum compoſita ſit ex σ & una harum literarum. [Vid. p. 31] Ita a λείβω eſt λείψω, a

τέρ-

τέρπω, eſt τέρψω, a γράφω, γράψω. Quibus addi poſſunt verba cadentia in πτω. Haec enim verba cum literam τ adſcititiam habeant, ac praeterea durior ſit concurſus conſonantium πτ & σ, in *futuro*, primitivi ſui futurum adſciſcunt: quemadmodum τύψω, *futurum* eſt verbi primitivi obſoleti τύπω, cujus loco τύπτω, in *praeſenti* tempore, adhibuerunt.

Quae vero verba formantur, litera *linguali* δ, τ, vel θ ante ω poſita, ut ſunt verbi gr. ἀείδω, ἀνύτω, πλήθω, cum literae δ, τ, & θ, ob difficilem pronuntiationem, nunquam poſt ſe σ recipiant, in Lingua Graeca: primitivorum ſuorum, in ω purum cadentium, *futura*, & tempora reliqua inde formanda ſibi adjuncta habent; ut v. gr. ἀείσω a puro ἀείω, cujus loco ἀείδω dicitur; πλήσω, quaſi a πλέω, ἀνύσω quaſi ab ἀνύω; in quibus eadem ratio cernitur, quae eſt verborum κλείω, unde futurum κλείσω, ποιέω, unde ποιήσω, βύω, unde βύσω.

Reſtant ea verba, quae deſinunt in λω, μω, νω, & ρω, quorum *futura* fieri, corripiendo vocalem penultimae ſyllabae, & circumflexum ponendo ſupra ω, vulgo ſtatuunt Grammatici. Quod, ſi *uſum* vulgarem ſpectemus, concedi poteſt: ſi vero rei *naturam*, ipſamque adeo veritatem conſulamus; nihil alienum magis excogitari poteſt. Habent enim *haec etiam verba*, revera characteriſticam futuri σ, eamque olim etiam in uſu habuerunt. Dixerunt v. gr. antiquiſſimi

Graeci in *futuro* νέμσω, a praeſenti νέμω, σπέρσω ā σπέρω; cujus loco, deinceps uſurpatum σπείρω: porro κλίνσω a κλίνω, τέλσω a τέλω; unde poſtea formatum τέλλω.

Hoc vero, ne quis temere, a me ſtatui opinetur, is cogitet, hujus generis tempora quam plurima apud *Homerum*, alioſque poëtas veteres, reperiri: quorum ratio, ex vulgaribus Grammaticorum regulis nulla reddi poteſt; nec revera alia eſt, quam quae a nobis eſt propoſita. Ex hoc genere eſt Aoriſtus primus infinitivi κέλσαι, apud *Homerum* obvius, [Odyſſ. K, vs. 511.] ortus a verbo κέλω, unde factum κέλλω. Apud eundem poëtam porro a verbo στέλω, Aoriſt. primus Imperat. στέλσον, [Vide hic M. Maittaire, *de Diall.* L. Gr. p. 216. 217.] Ab ἀμέρω, cujus loco deinceps pronunciarunt ἀμείρω, tempora inveniuntur ἄμερσε [Odyſſ. Θ, vs. 64.] & ἄμερσαι [Iliad. Π, vs. 53.] A verbo κένω, unde poſtea formatum κέντω & κεντέω, Infinit. κένσαι, [Iliad. Ψ, 337.] atque ſic in multis aliis.

Poſtea autem temporis, in horum futurorum loco, alia futura uſurpata fuerunt: praeſertim a verbis productioribus formata, mollioris pronuntiationis ergo; id quod praeſertim factum ab Atticis; qui, ut reliquarum artium, & diſciplinarum, ita etiam linguae ſuae patriae, prae ceteris Graeciae populis, ſtudioſi fuerunt.

Memorata autem haec futura *antiqua*, ut κέλσω, & ſimilia, in primis, in Dialecto Dorica, remaN-

manſerunt. Ex quo intelligi poteſt, quo fundamento veteres Grammatici, haec futura *Aeolica* eſſe dixerint. Qua de re, inter alios, legi poterit *Euſtathius*, in Comment. ad Homer. p. 13. l. 12 ſſ. nec non *Phavorinus*, ad vocem Ἀμεἰαβόλοις: ubi, ex antiquo Grammatico, habet futura σπέρσω, κλίνσω, νέμσω, tanquam futura *Aeolica*. Antiquioribus vero temporibus, non magis haec *Aeolica* fuerunt, quam *Jonica*, *Attica*, aut *Dorica*: neque magis Homerus *Aeolice* loqui exiſtimandus eſt, quando hujuſmodi *futura*, aut inde formata tempora uſurpat, quam, quum particulam v. gr. δὲ ponit, quae dialectorum omnium communis eſt. Niſi etiam *Tragicos*, alioſque ſcriptores *Atticos*, vocabulis *Aeolicis* uſos fuiſſe ſtatuas; quod abſurdum eſt. Hi, nempe, *futura* hujuſmodi, quemadmodum κύρσω, a verbo κύρω, unde deinceps formatum κυρέω, κύρήσω, ſimiliaque; interdum adhibere ſolent. Ut adeo appareat, antiquiſſimis temporibus Graecorum, hujuſmodi *futura*, revera, in omnibus dialectis, viguiſſe.

Fatendum tamen eſt, ab his verbis in λω, & ceteris, in primis talia futura, in libris veterum reperiri: quemadmodum ψαλῶ, νεμῶ, φανῶ, σπερῶ, τεμῶ, & ſimilia. Sed primum, quod ad correptionem penultimae ſyllabae, quam praecipiunt Grammatici, attinet, obſervandum eſt, id quod deinceps clarius explanabitur, verba omnia, quorum penultima habeat diphthongum, oriri

a verbis ſimplicioribus, addita litera *ſubjuncti-va*, (quae vocatur) Diphthongi. Ita φαίνω fit a φάνω, σπείρω a σπέρω, atque ita in reliquis ſimilibus. Raro enim antiquiſſimi Graeci diphthongis, in hoc verborum genere, videntur uſi fuiſſe.

Quae vero verba, ante ω, conſonantem habent geminatam, ut ψάλλω, & ſimilia, alteram harum literarum adſcititiam habent: atque ita ψάλλω pronuntiatum fuit, pro ψάλω, & ſic in aliis.

Neque alia ratio eſt eorum verborum, quae duas diverſas conſonantes ante ω, habent. In iis nempe, alterutra litera adſcititia eſt; quemadmodum in τέμνω, quod oritur a τέμω, interpoſita, ante ω, litera ν. Haec autem verba omnia *primitivorum* ſuorum futura, quodammodo adſciſcunt; id quod potiſſimum factum videtur a Graecis, ut durior pronuntiatio, quae in propriis iſtorum verborum futuris eſſet, evitaretur. Propius itaque ad verba primitiva, quemadmodum ψάλω, φάνω, σπέρω, τέμω, accedunt futura ψαλῶ, φανῶ, σπερῶ, τεμῶ, neque tamen ſic conveniunt haec futura cum iis, quae, ut ſupra vidimus, literam *characteriſticam* futuri habent σ, aut proxime oriuntur a verbis memoratis primitivis.

Quodſi tamen rite rem conſideraverimus, apparebit, nihilominus haec ipſa communem formandi futuri regulam ſequi. Proprie, nimirum, haec

haec *futura*, ut ψαλῶ, & ſimilia, *Attica* futura eſſe dicendum eſt, formata a verbis *puris*, in άω, vel ίω, cadentibus: cujuſmodi futura Attica ſunt δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, ἐξολῶ, & alia hujus generis, in ſcriptis Atticorum obvia. Quae formantur, a futuris in άσω, vel έσω, ſublata, nimirum, inter vocales, ad morem Jonum, litera σ. Id enim, in multis proprium eſt Jonibus, quemadmodum apparet, cum in aliis, tum in verbo futuro ἐρέω, id eſt, *dicam*, ſaepe obvio apud *Homerum*, & alios. Ad hanc rationem futura *vera* fuerunt δράσω, ἐξελάσω, κρεμάσω, & ἐξολέσω. Haec vero *futura*, ab Jonibus, ſublata σ, pronuntiata fuerunt δράω, ἐξελάω, κρεμάω, & ἐξολέω. Attici vero, quorum antiquiſſima Dialectus, ab Jonica, parum differebat, non ferentes concurſum vocalium, contractione facta pronuntiarunt δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, & ἐξολῶ, & ſic in reliquis: in iis quoque, quae in όω deſinunt; idque tam in *Activo*, quam in futuro, *Medio*. Sic, pro *futuro medio* μαχέομαι, dixerunt μαχῦμαι, atque ita in ſimilibus aliis. In omnibus tamen ratio habenda omnino eſt uſus, qui ſit, apud optimos ſcriptores, loquendi: neque quidquam fingendum, quod non auctoritate nitatur.

Similis porro ratio eſt *futurorum* Atticorum, quae vulgo, a verbis in ίζω, dicuntur oriri; ut βαδιῶ, & ſimilia multa: quae, revera, non a verbis in ίζω, ſed in ω *purum*, cadentibus, formantur; ut adeo βαδιῶ non ſit a βαδίζω, ſed a βαδιέω, cujus

futurum proprie eſt βαδιέσω: unde βαδιέω & contractum βαδιῶ: cum a βαδίζω, ſeu ejus primitivo βαδίω, oriatur futurum vulgare βαδίσω.

Ex his, ut opinor, ratio manifeſta erit verborum, quae ſupra propoſui, ψάλλω, νέμω, φαίνω, σπείρω, τέμνω, & aliorum ſimilium: quibus quae adſcribuntur *futura* ψαλῶ, νεμῶ, φανῶ, σπερῶ, τεμῶ, revera ſunt futura *Attica*, in uſum communem Graecorum, cum multis aliis recepta; contracta ex formis Jonicis ψαλέω, φανέω, σπερέω, τεμέω & ſimilibus. Haec vero ſunt pro ψαλέσω, νεμέσω, φανέσω, σπερέσω, τεμέσω a verbis *puris* ψαλέω, νεμέω, φανέω, σπερέω, τεμέω: quae formae productiores ſunt, a primitivis ψάλω, νέμω, φάνω, σπέρω, τέμω propagatae.

Quod ſi jam aliquis paullo diligentius haec ad animum revocaverit, fieri vix poterit aliter, quin, quod ſtatuunt vulgo Grammatici, *futurum ſecundum* eodem pertinere facile animadvertat: adeoque in Lingua Graeca, revera, non *duo futura*, idem ſignificantia, ut vulgo ſtatuunt Grammatici, ſed *unicum* tantummodo eſſe *futurum*. Quae autem vulgo vocant, *futura ſecunda*, quemadmodum τυπῶ, ἀκοῶ, λιπῶ, τυχῶ, φυγῶ, non eſſe niſi *futura Attica*, eodem plane modo, ut antecedentia verba, formata; adeoque orta a verbis obſoletis *puris*, τυπέω, ἀκοέω, λιπέω, τυχέω, φυγέω: quae verba, cum forma tantum eſſent diverſa a verbis τύπτω, ἀκύω, λείπω, τεύχω, φεύγω, uſu factum eſt, ut in deſuetudinem abirent

rent eorum tempora praeſentia, *futuris* tantum in uſu remanentibus. Quae, cum Grammatici nulla themata verborum invenirent, in ſcriptis veterum; ad quae referri poſſent, tanquam *futura diverſi generis* conſiderarunt verborum uſitatorum: atque, ea ratione, contra linguae naturam, duo *futura* in eam introduxerunt; de quibus antiquiſſimi Graeci ne quidem cogitaverant unquam.

Id, nimirum, ſemper tenendum eſt, in hoc ſtudiorum genere, parum, aut nihil fere, vidiſſe Grammaticos; tam veteres, quam recentiores: adeoque nullo modo eorum placitis eſſe ſtandum; niſi tum, quando, ex ipſa linguae natura petita eſſe ea appareat. Neque enim ad Grammaticorum regulas linguae fuerunt conditae: ſed ex linguis, multo uſu populorum jam tritis, & excultis, regulae tandem ſunt formatae. In quo opere, difficili admodum, qui ingenium ſuum exercuerunt, eorum unuſquiſque, pro ſua ſapientia, ſucceſſum habuit; alius meliorem, alius deteriorem: quumque nemo rectam viam, qua procedendum eſſet, videret, ſed ſinguli leges ſancirent, quas, conjectando praeſertim, putarent probabiles; inde natae fuerunt tot anomaliae, quas, ſi linguarum naturam penitius inſpexiſſent, facile animadvertiſſent, procul a linguis removendas eſſe.

Fuit ſane haec origo tot exceptionum, in declinationibus & conjugationibus, aliiſve orationis

partibus: atque hinc factum, ut ſaepe tempora verborum diverſiſſima thematibus fuerint juncta, cum quibus nulla alia re convenirent, niſi aliqua ſignificandi ſimilitudine.

Quis verbi gratia, niſi plane ſtipes, credat, ſi vel ſexcenti Grammatici id affirmarent, οἴσω *futurum* anomalicum eſſe, verbi φέρω, cum quo ne literam quidem habet communem, niſi terminationem ω. Praeſertim, cum ipſum *praeſens* tempus οἴω, ſenſu metaphorico, ſuperſit: ut adeo *futurum* οἴσω, non ad φέρω, ſed ad οἴω referendum eſſe, manifeſto appareat.

Ex quo unico ſpecimine, e quam plurimis, facile intelligi poteſt, quam parum hac in parte, Grammaticis ſit tribuendum; quantoſque ii commiſerint errores; a quibus unicuique ſummo jure recedere licet; modo rationibus, in ipſa lingua fundatis, nitatur.

Redeo ad propoſitum; & quidem ad ea *futura*, quae vocant, *ſecunda*: in quorum penultima, pro ε, eſt α; quemadmodum ϛαλῶ, σπαρῶ, κλαπῶ, πορθῶ, aliaque ſimilia: quae repetuntur a ϛέλω, σπέρω, κλέπω (cujus loco in uſu eſt κλέπτω) & περθω &c. Quae proprie non eſſe *futura* horum verborum, ſed orta a verbis puris ϛαλέω, σπαρέω, κλαπέω, παρθέω, formatis a ϛάλω, σπάρω, κλάπω, πάρθω, deinceps clarius apparebit, ubi de *verborum* formis, origine & ſignificatione, vicinis agetur. Quando ſimul patebit, quo jure *futura ſecunda* eſſe dicantur; qualia

lia, verbi gr., φραδῶ, φραγῶ, ὀδῶ, & ſimilia, pertinentia ad φράζω, φράσσω, ὄζω, &c. quae revera proficiſcuntur, ut omnia hujus generis futura, a verbis *puris* obſoletis φραδέω, φραγέω, ὀδέω, &c. atque haec a ſimplicioribus ſunt φράδω, φράγω, ὄδω, ſimilibuſque.

Reliqua autem, ad eandem normam facillime explicanda, mitto.

Apparet autem ex dictis, literam *characteriſticam futuri* veram, & conſtantem, pro Linguae Graecae natura, eſſe σ. Praeterea mutationes omnes, quae in *futuris* cernuntur, tantum a diverſitate Dialectorum proficiſci, iiſque ſuam originem debere. Ac denique, non niſi *unicum futurum* revera in lingua Graeca, exſtitiſſe. Nam ejus etiam, quod *Mox futurum*, vel *Paullo poſt futurum*, vocatur, aliam atque vulgo ſtatuunt, rationem eſſe, deinceps apparebit.

CAPUT QUINTUM.

DE

Praeteritis temporibus & Augmento.

Futurum excipiunt *tempora praeterita*, quae, ob majora intervalla, vel minora, quadrifariam diviſa vulgo ſtatuuntur, in Lingua Graeca. Nimirum in *Perfectum*, *Plusquamperfectum*, *Imperfectum*, & *Aoriſtos*.

Horum autem ſingula, ſicut *formatione*, ita *ſignificatione* quoque, differunt. Nam, etſi *praeteritum perfectum*, cum *Aoriſtis*, aut alia etiam *praeterita* tempora, cum aliis *praeteritis*, aliquando permiſcentur a ſcriptoribus; ita ut alterum, in alterius loco, ponatur, vel etiam *diverſa* tempora *praeterita* conjungantur in eadem ſententia: revera tamen diverſam ſignificationem habent; & quidem *Praeteritum perfectum* notat tempus *finitum*, *certum*, quo actio facta, & quaſi *perfecta* intelligatur, quod tempus vel expreſſe additur in oratione, vel, ex orationis contextu, eliciendum eſt.

Aoriſtum vero tempus reſpicit omne *praeteritum infinitum* & *incertum*. Ita πεποίηκα quando dico, reſpicio tempus *praeteritum certum* & *definitum*; quo aliquid a me factum intelligi volo.

Quan-

Quando vero dico ἐποίησα, tempus quidem reſpicio potiſſimum *praeteritum*, ſed plane *indefinitum* & *generale:* ſive revera actio praeterita ſit, ſive etiamnum duret, ſive dudum praeterita, ſive modo ante facta, intelligatur. Ex quo facilis ratio eſt, quare etiam tempus iſtud *praeſens* quoque nonnunquam reſpiciat; uti v. gr. in illo Matth. III, 17. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Ubi εὐδόκησα non ſimpliciter aut tempus *praeteritum* notat, aut *praeſens*, ut multi interpretantur, ſed ſimul & *praeteritam* actionem & *praeſentem*, vel adhuc durantem, habet; quaſi dicas, *in quo acquievi*, & *acquieſco*, & *ſemper acquieſcam*; vel *in quo acquieſcere perſevero.* Id quod minime locum haberet, ſi praeteritum perfectum εὐδόκηκα ibi fuiſſet adhibitum. Tunc enim ſententia eſſet, quaſi, aliquod tempus fuiſſe, quo in filio ſuo *acquieverit* Devs, nulla habita ratione temporis ſequentis, ſive tum in eo porro acquieverit, ſive minus.

Quod autem attinet ad tempus *Praeteritum Imperfectum*, & *Pluſquamperfectum*, cum eadem tempora ſint, quae apud Latinos, eadem quoque ſignificandi virtute gaudent: ut adeo de iis aliquid ſingulatim monere opus non ſit.

Tranſeo itaque, ad *Praeteriti perfecti* formationem veram & naturalem. Diſcimus ex vulgaribus Grammaticis, duplicem illud ſubire mutationem; alteram ratione *augmenti*, alteram ratione *terminationis*, & literae *characteriſticae.* De

De utraque igitur pauca exponenda ſunt: & quidem, primo loco de *augmento*. Quod cum in omnibus temporibus *praeteritis* locum habeat, nec tamen, in ſingulis, idem eſſe videatur, imo, in *iisdem temporibus*, diverſum appareat eſſe: ejus rei ratio explicanda eſt paullo enucleatius.

Quod ad antiquiſſima Graecorum tempora attinet, vix aliquod *augmentum* locum videtur habuiſſe; ut multa veſtigia, in antiquiſſima dialecto Jonica conſpicua, docent. Dein autem augmentum *unicum* tantum & quidem ε, ab initio, veriſimile eſt verbo adjunctum fuiſſe. Id quod etiam praecipue dialectus Jonica, reliquarum omnium antiquiſſima, docet. Ad hanc normam, Jones a verbo κλάομαι, vel κλαω, formarunt ἔκληκα *praeter. perf. activ.* & ἔκλημαι, *praeter. paſſiv.* atque inde *praeterit. pluſquamperf.* κλήμην.

Sic apud *Herodotum* [Lib. IV, 64.] *tertia praeter. perf. paſſ.* ἔκληται, & [Lib. III, 39.] *tertia pluſquamp. paſſ.* ἔκλητο inveniuntur. Atque frequens hoc potiſſimum in *verbis*, a *duplici* conſonante incipientibus. Idem tamen locum habuiſſe in aliis verbis, varia exempla, apud ſcriptores Jonicos, *Herodotum*, alioſque obvia, docent.

Sic apud *Herodotum* [Lib. I, 165.] *tertia plural.* Plusquam perf. Paſſ. ἐβουλευντο legitur pro ἐβεβουλευντο.

Neque hoc tantum in verbis, a conſonante incipientibus, ſed in iis etiam cernitur, quorum

pri-

prima litera *vocalis* eſt: ut ſunt multa hujus generis verba, apud *Homerum*, ſcriptorem itidem *Jonicum*.

Ita Praeter. perfect. paſſ. ἔελσαι reperitur, [Iliad. Φ, 295] ab ἕλω; ἔειϰται, ab εἴϰω. Unde quoque ſimili ratione ἔοιϰα eſt, [Odyſſ. H, 209, 348.] Porro ἐάγη [Il. Γ, 367. &c.] ab ἄγω, aliaque multa. Quae, per omnia tempora *praeterita*, tam *imperfecta*, quam *perfecta*, *pluſquamperfecta*, & *aoriſtos*, ε *commune* habent *augmentum praefixum*: quod adeo antiquum eſt, ut etiam, in *nominibus* derivatis *verbalibus* antiquiſſimis, conſervatum appareat.

Ad hanc rationem, a ſecunda perſona *Praeter. perf. paſſ.* ἔεϱσαι, verbi ἔϱω, ſupereſt non tantum nomen ἕϱση, ſed etiam, cum *augmento* verbi, ἐέϱση. A *tertia Praeter. perf. paſſ.* ἔοϱται, verbi ὄϱω, adjectivum ἔοϱτος, cum *augmento* praepoſito, pro ὄϱτος peperit *foemininum* ἔοϱτη, *ſpiritu* tantum mutato; quod *ſubſtantive* poſitum, *feſtum* ſignificat. Ad eandem rationem a verbo ἔϱγω, ſeu ejus *praeterito*, quod dicitur, *medio*, ἔοϱγα ortum eſt nomen ἔοϱγη *tudicula*: quod, contra omnem analogiam, vulgo a verbo ὀϱγάω derivant; quocum nihil habet commune, niſi originem cognatam ὄϱγω.

Hoc fundamento jam poſito, facilius erit, rationem reddere mutationum, quae in *augmentis* vulgo cernuntur.

Quod itaque attinet ad augmentum *temporale*,

ut vocatur; quod in multis verbis, a *vocali* vel *diphthongo mutabili* incipientibus, locum habet: eſt illud nihil aliud, niſi ε, quod cum *prima* verbi *vocali* contractum coaluit. Ita v. gr. ἤκουκα *praeteritum perfectum* verbi ἀκούω, eſt pro ἐάκουκα. Vocales, nempe, εα ſaepius, a Graecis, contractae ſunt in η. Id quod in *Doricis* vocabulis quam plurimis, nec non *Jonicis*, cernitur. Sic porro ab ἐλεέω, eſt ἐελήεκα, & contractum ἠλέηκα. Similis porro contractio aliarum *vocalium*, in alias *vocales* cernitur. Ita a verbo ὀλέω, antiquum praeteritum *perfectum* ἐόλεκα contractum fuit in ὤλεκα, atque ſic in reliquis omnibus ſimilibus.

Eadem porro ratio eſt verborum, quorum augmentum ſtatuitur formari per ει: quod itidem fit *contractione*. Sic ab ἔχω, antiquiſſimum *imperfectum* fuit ἔεχον; & dein, εε contracto in ει, εἶχον.

Neque hoc *augmentum* tantum cernitur in verbis, ab ε incipientibus, ſed etiam aliis quibusdam, quorum prima litera conſonans eſt; praeſertim apud Atticos, quemadmodum εἴληφα, εἵμαρμαι, aliiſque non paucis: de quibus obſervandum eſt, proprie *praeterita* haec eſſe a formis verborum, quae proxime oriuntur a *praeteritis perfectis* verborum primitivorum, conſervato *augmento*; quales verborum formae, a praeteritis *perfectis* verborum primitivorum, quam plurimae inveniuntur, in antiquiſſima Lingua Grae-

Graeca ſuperſtites; partim in aliis dialectis; partim vero, & quidem in primis, in *Dorica*.

Ad hanc rationem verborum formae inveniuntur ἑστήκω ab ἕστηκα, praeterito *perfecto* activo verbi στάω: δεδοίκω a praeterito δέδοικα verbi δείω, cujus loco uſurpatur δείδω: πεφύκω, a πέφυκα, verbi φύω, Ad hanc itaque rationem ſi exigamus praeteritum memoratum εἰλήφω, apparebit, ortum eſſe ab εἴληφα; hoc autem a *praeſenti* ἐλήφω, quod denuo repetendum a praeterito ἔληφα verbi λήβω, vel λάβω: & ſic in aliis; ut a στάω eſt ἕστηκα, ἑστήκω, ἑέστηκα, & plusquamperf. ἑεστήκειν, & contractum εἱστήκειν, quod, in ſcriptis veterum, frequens eſt.

Ex dictis, porro non difficulter cognoſci poteſt ratio eorum verborum, quae duplex habere augmentum, praeſertim apud Atticos, dicuntur: quemadmodum ἑωράκα, ἔωγα, & ſimilia. Quae quo minus oriri ſtatuantur a verbis derivatis, quae proxime orta ſunt a *praeteritis perfectis* primitivorum, nihil adeo obſtat. Sic ἑωράκα oriri potuit ab ὡράκω, & hoc a *praeterito* ὥρακα, contracto ex ἑόρακα, verbi ὁράω, ἔωγα vero hac ratione, proxime pertinet ad ὤγω, & hoc ortum ab ὦγα, praeterito, quod contractum pro ἔοιγα verbi οἴγω.

Reſtant verba, a conſonante incipientia: in quorum praeterito *perfecto*, ante ε, prima conſonans verbi repetita cernitur: quemadmodum in τέτυφα, & ſimilibus, quod ſive ſtatuas, eupho-

phoniae cauſſa, ne ita facile hiatus in oratione oriretur, concurſu vocalium, factum eſſe; ſive proprie non eſſe *augmentum*, ſed *reduplicationem* primae conſonae cum ε: non adeo multum differt. Amant, nimirum, Graeci reduplicationes ejusmodi, cum in aliis verbis multis, tum etiam in verbis, quae dicuntur, in μι, ubi prima conſona verbi, cum ι repetitur, quemadmodum in δίδωμι, a δόω, τίθημι a θέω. Quod poſterius ſi ſtatuatur, dicendum eſt haec praeterita *perfecta* proprie formata eſſe, ad normam praeteritorum *Jonicorum*, qui primis temporibus augmenta videntur ignoraſſe. Qua de re jam ſupra. Atque ita cernitur, in temporibus praeteritis *Jonicis* verbi ἐργάζομαι: a quo non tantum imperfectum ἐργάζοντο, ſine augmento, ſupereſt apud *Homerum* [Odyſſ. Ω, 209.] ſed etiam tertia plusquamperfecti κατέργαστο apud *Herodot.* [Lib. I, 123.] atque ſic in aliis multis.

Cernitur autem iſta *reduplicatio*, non tantum in tempore Praeterito *perfecto*, ſed etiam in variis *Aoriſtis*, qui dicuntur, *ſecundis*, & *imperfectis* apud Jones: idque non tantum in *Indicativo*, ſed etiam in reliquis modis; ubi in iis temporibus, *augmento*, ſic proprie dicto, locus non eſt.

Prius tamen ſi quis ſtatuere velit, non valde repugnabo: tametſi, apud Atticos praeſertim, alias quoque reduplicationes, in *perfectis* lo-

locum habere conſtat. Ita ab ὀρύσσω *perfectum* oritur ὤρυγα, &, repetita vocali initiali cum ſequente conſonante, ὠρώρυγα: quae quoque ſimilium aliorum ratio eſt. Sic eodem pertinet ἀκήκοα, formatum ab ἤκοα, quod, more *Jonum*, pronuntiatum eſt, pro ἤκοκα, & hoc ab ἐάκοκα, verbi ἀκόω, cujus loco deinceps pronuntiatum ἀκούω. Eodem referendum *Praeteritum*, quod reperitur, ἐδήδοκα, quod pro ἤδοκα: hoc vero ab ἔεδοκα, cujus *praeſens* eſt ἐδόω; ut jam obſervavit *Euſtathius*, [pag. 1403: 43 & 1918: 60.] Haec de *Augmento.*

CAPUT SEXTUM.

DE

Terminatione temporis praeteriti perfecti, aliorumque praeteritorum.

Praeter *Augmentum*, in formatione Praeteritorum, ſpectari quoque debet *terminatio*, ex qua *Praeteritum* tempus potiſſimum cognoſci poteſt, nec non diverſae *praeteriti* formae diſtinguuntur.

Flectitur *Praeteritum perfectum*, per *perſonas*, & *numeros*,

in Singulari;	in Duali;	in Plurali.
α, ας, ε.	ατον, ατον.	αμεν, ατε, ασι.

Perinde autem eſt, ſive ſtatuas, ut vulgo fieri ſolet, *Praeteritum perfectum* formari a *Futuro*, terminatione ω mutanda in α, & σ in κ, ſive, a *Praeſenti*, ω in κα mutando: modo id teneatur, veram *Praeteriti perfecti* notam eſſe terminationem κα, & quaecumque etiam *Praeterita perfecta* inveniantur, eo eſſe reducenda.

Manifeſto autem *characteriſtica* litera apparet in iis verbis, quae *purae* vocantur; ut ποιέω *praeter. perfect.* πεποίηκα, vel, ut antiquitus fuit pronuntia-

tiatum, πεποίεκα. In primis enim antiquam verborum formationem hic ſpectamus.

Ut autem verba in δω, θω, & τω, *Futura* ſua formant a verbis *ſimplicioribus*, in ω *purum*: ſic etiam *Praeterita perfecta*. Ita ab ἀείδω, vel potius ejus primitivo ἀείω, *Praeteritum perfect.* eſſe debet ἐάεικα, & inde ἥεικα; a πλήθω, vel potius πλέω, πέπλεκα, ejuſque loco πέπληκα; ab ἀνύτω, ſeu primitivo ἀνύω, ἤνυκα; atque ſic in reliquis: in quibus omnibus eadem ratio omittendae literae *lingualis*, quam in *futuro* eſſe vidimus.

Eandem praeterea, tempora *praeterita perfecta* formandi, viam ſequuntur verba, quorum litera, antecedens ω, eſt *liquida*; ut ψάλλω, vel ψάλω, cujus *Praeteritum perfect.* ἔψαλκα eſt; φαίνω, vel φάνω, a quo πέφαγκα; ubi ſolummodo litera ν, *euphoniae* gratia, mutatur in γ: quemadmodum ante *literas palatinas* fieri ſolet. Porro a σπάρω, cujus loco forma vicina σπείρω uſurpatur, *perfectum* fit ἔσπαρκα. Idem enim, in hoc tempore, obſervandum eſt, quod in *futuro*, ubi, in *penultima* ſyllaba, literam α, loco ε, eſſe vidimus. Quae vero ex his *praeterita perfecta* adjuncta ſibi habent, in ηκα deſinentia; quemadmodum ſunt νενέμηκα, τετέμηκα: de iis fere idem ſtatuendum, quod de multis *futuris*. Oriuntur, nimirum, haec *perfecta* a formis derivatis puris, ut τεμέω, νεμέω, ſimilibuſque, quae oriuntur a τέμω, (cujus loco dicitur τέμνω) & νέμω.

Atque idem porro obſervandum in verbis in

ζω, & σσω, quorum *Praeterita perfecta*, in κα deſinentia, ad ſormas vicinas, proprie referenda ſunt. Ita πέφρακα, una cum *Futuro* φράσω, formatur, tanquam a φράω, & refertur ad φράζω, πέπλακα a πλάω, unde derivatum πλάσσω, atque ſic in aliis formis ſimilibus.

Verba porro, quorum litera *characteriſtica* eſt *palatina*, ſive κ, ſive γ, ſive χ, revera eodem modo formata eſſe putem. Ita, a λέγω, primum factum videtur *praeteritum* λέλεγκα; a πλέκω, πέπλεγκα; a βρέχω, βέβρεχκα; ſed in his, & ſimilibus verbis, concurrentes literas *palatinas*, molliotis pronuntiationis cauſſa, unica litera χ pronuntiare maluerunt Graeci, atque ad eam normam dixerunt λέλεχα, πέπλεχα, βέβρεχα.

Eadem autem ratio eſt verborum deſinentium in κτω: quae, ut *futura* ſua, ab aliis formis vicinis verborum, ita *perfecta* quoque adjuncta habent, quemadmodum τίκτω futurum ſibi adjunctum habet τέξω, a verbo τέκω. Sic quoque *perfectum* τέτεχα, cujus eadem eſt ratio, quae verbi ante memorati πέπλεχα.

In verbis autem, in quibus ante ω litera *labialis* eſt, ut durior concurſus, literae *palatinae* κ cum litera *labiali*, evitaretur, literam κ, in ſimplicem adſpirationem, quae literis *palatinis* vicina eſt, mutatam literae *labiali* π adjunxerunt; atque ſic *characteriſticam perfecti*, literam adſpiratam φ fecerunt. Ita pro τέτυπκα, a verbo τύπω, dixerunt τέτυφα; pro λέλειβκα, verbi λείβω, λέλειφα; pro

γέ-

γέγραφκα, verbi γράφω, γέγραφα: & ſic in ſimilibus aliis.

Ea autem Praeterita *perfecta*, quae ω tantum in α mutatam habent, praefixo augmento, qualia ſunt ὦπα, & inde, reduplicatione Attica, ὄπωπα, ὦλα, & inde ὄλωλα; rectius referuntur ad praeterita, quae dicuntur, *Media*, de quibus deinceps: ſicut etiam ea, quae *Attica* dicuntur; qualia ſunt πέπομφα, βέβροχα; verborum πέμπω & βρέχω. Notari autem hic velim, Jones, ſolemni more, cum alias ſaepiſſime, *conſonantem*, inter duas vocales, omittere; tum etiam, in temporibus *praeteritis*, literam κ: quemadmodum cernitur in ἕςακα, quod pronuntiant ἕςαα; unde *participium* ἑςαὼς, quod contractum peperit ἑςὼς, atque ſic in aliis ſimilibus omnibus.

A Praeterito Perfecto formatur Plusquamperfectum, quod propterea etiam ad eadem themata referendum eſt, ad quae praeterita perfecta pertineant. Mutat autem hoc tempus vulgo terminationem praeteriti perf. α in ειν, & novum accipit augmentum naturale ε: ut apparet ex verbis, a conſonante incipientibus; quemadmodum ἐτετύφειν, a τέτυφα. Id tamen in Jonica dialecto omittitur, ſervata tantum praeteriti perfecti reduplicatione. Flectitur autem Pluſquam perfectum, per terminationes; in

Sing.	Dual.	Plur.
ειν, εις, ει.	ειτον, είτην.	ειμεν, ειτε, εισαν.

 In

In verbis porro a vocali incipientibus, etſi multa ſunt, in quibus augmentum, ſive ε, demum aſſumendum omittatur: proprie tamen idem locum habuiſſe, quod in illis a conſona incipientibus, facile patet ex praeteritis plusquamperfectis Atticis, quemadmodum ὀρωρύχειν, formatum a Praeterito ὀρώρυχα. Praepoſito enim ε, literae ο, perfecti, quod in reduplicata ſyllaba eſt, & contractione facta, (eodem modo, ut in Praeterito Perf. fieri vidimus,) ab ὀρώρυχα, primo fit ἐορωρύχειν, & deinde, contractione, ὠρωρύχειν. Idem quoque apparet, in aliis hujus generis verbis, ut ἐῴκειν, quod formatum a praeterito perf. ἔοικα, ἐώλπειν ab ἔολπα, ἐώργειν ab ἔοργα, quae, etſi proprie pertinent ad Praeterita Media, cum vulgo ad Activum referantur, quumque eadem, in verbo *Medio*, quae in *activo*, augmenti ratio ſit, praeſenti negotio commode inſervire poſſent. Oriuntur nempe a perfectis, in quibus augmentum ε, cum ſequenti vocali, contractionem, (de qua Capite antecedente dictum eſt) ſubiit; adeoque ab ᾦκα pro ἔοικα, ὦλπα, pro ἔολπα, ὦργα pro ἔοργα, praefixo, nempe, novo Plusquamperfecti augmento ε, produxit ἐώργειν.

De terminatione unum hoc addo, Iones pro ειν pronuntiare εα, quam terminationem dein *Attici* contrahunt in η, unde κεχήνη, (omiſſo augmento Plusquamperfecti,) dicitur pro κεχήνεα, quod ab ἐκεχήνειν, & hoc a Praeterito Perf. κέχηνα, verbi χήνω, vel χάω, obſoleti, cujus loco uſur-

uſurpatur χαίνω, *hisco*. Simili ratione ἤδη pronuntiatur pro ἤδεα, vel etiam tertia perſona ἤδεε. Eſt autem ἤδεα, pro ἤδειν, quod ab ἦδα, & hoc contractum ex ἔειδα, verbi εἴδω. Similiter, pro ἤειν, dicitur ἤεα, & hoc ortum a *Perfecto Jonico*, veluti ἔια, pro εἶκα, verbi εἴω. Quod autem apud Homerum [Od. I, 206] legitur ἠείδει, quaſi ortum videtur per contractionem, primum ex ἐειείδει, εε nempe, contracto in η, hoc vero a perfecto, ἔειδα, quod contractum ex ἔεειδα, ortum a verbo ἐείδω, quod pertinere videtur ad verba derivata, a perfectis primitivorum.

Praeter Praeteritum Perf., a Futuro quoque oriuntur Aoriſti, ii nempe, qui *primi* dicuntur, mutanda terminatione ω in α, & praefigendo augmento, quod, in hoc tempore, ſemper ſimplex ε eſt, nec tot mutationes, quot in *perfecto*, ſubit.

Hoc modo itaque a ποιήσω eſt ἐποίησα; a λέξω ἔλεξα; a τύψω ἔτυψα: ubi proinde idem, quod in *futuro* notandum, characteriſticam, nimirum, Aoriſti naturalem & veram eſſe σ ante α, ſecus atque in Praeterito perf., ubi literam κ, ante α poſitam, verum Perfecti praeteriti indicium eſſe, vidimus.

Quemadmodum autem in Futuris verborum in λω, μω, νω, & ρω, σ veram *futuri* characteriſticam eſſe, ſupra docui; ſic in *aoriſto* horum verborum, rem quoque ſeſe habuiſſe, abunde apparet, ex quibusdam antiquis *aoriſtis*, qui in

veteribus ſcriptoribus, & praeſertim *poëtis*, inveniuntur: ut ſunt *aoriſti Infinitivi* κέλσαι, ἀμέρσαι, κένσαι, aliique hujus generis; qui ab Aoriſtis Indicat. ἔκελσα, ἤμερσα, & ἔκενσα ſunt profecti. Sunt tamen, cum aliorum, tum horum quoque verborum, Aoriſti, in quibus litera σ non reperiatur, qui omnes ſerioribus temporibus in Linguam Graecam videntur recepti. Ut autem haec verba *futura* a formis vicinis ſibi adjuncta habent, ſic quoque *aoriſtos*, ab aliis formis vicinis factos, iis adjunxerunt Grammatici, quum veros aoriſtos, antiquosque, aut raro, aut nunquam, invenirent. Praeterea litera characteriſtica σ, quemadmodum ea *praeteriti* κ, facilioris cauſſa pronuntiationis, fuit praetermiſſa. Hac ratione videmus, *aoriſtum* ἔστειλα pronuntiari pro ἔστειλσα, idque proprie, non tam a στέλλω vel στέλω, quam a στείλω, oriri. Similiter a νείμω (cujus loco in libris veterum reperitur *praeſens* νέμω) proprie ortum ἔνειμσα, amiſit σ, pronuntiatumque fuit ἔνειμα, atque eadem ratio aliorum ſimilium eſt. Hujus itaque generis quoque eſt ἔχηνα, pro ἔχηνσα, verbi χήνω, quod, Jonico more, pro χάνω, unde in uſu ſupereſt *praeſens* χαίνω. Sic ἔψηλα eſt pro ἔψηλσα, verbi ψήλω: quod pro ψάλω; unde uſitatum ψάλλω. Similiter Atticum ἔγημα fit, pro ἔγημσα, a γήμω, & hoc pronuntiatum pro γάμω, unde derivatum in uſu γαμέω. Atque eadem porro ratio eſt Aoriſtorum, qui vulgo dicuntur, characteriſticam Praeteriti vel

Prae-

Praeſentis habere, quales ſunt εἶπα, ἤνεγκα, ἤνεικα, ἔθηκα, ἔδωκα, ἧκα, ſimiliumque. Horum autem tria, primo loco commemorata, ad antecedens Aoriſtorum genus referenda ſunt, cum ſimilibus aliis, ut facile apparet, ſi modo obſervemus, ea orta eſſe ab ἔπω, ἐνέγκω, & ἐνείκω, a quibus verbis veri aoriſti eſſe debuerunt εἶψα, ἤνεγξα, & ἤνειξα, horum loco vero ſublato σ, pronuntiarunt εἶπα, ἤνεγκα, & ἤνεικα.

Quod ſi quis cum reliquis quoque componat, non dubitabit, quin ii quoque Aoriſti ſic pronuntientur, pro ἔθηκσα, ἔδωκσα, ἧκσα, quae a formis obſoletis repetenda ſunt, θήκω, δώκω, & ἥκω, quum hae formae oriantur a primitivis θέω, δόω & ἕω. Ex quibus apparet θήκω, & reliqua proprie pertinere ad illud genus verborum derivatorum, quae a *perfectis* primitivorum oriuntur: de quibus jam ſupra dictum. Omiſſio porro literae σ, in Aoriſtis verborum purorum, ne quidem inſolens eſt. Ita ἔχεα pronuntiari videmus pro ἔχευσα, verbi χέω; ἔκηα pro ἔκησα, quod a futuro κήσω, verbi κάω, unde καίω, *uro*; ἔκεια pro ἔκεισα a futuro κείσω, verbi κείω, quod a κέω, & ſic in aliis. Id autem, in quibusdam verbis Atticis ſolemne, proprie tamen ex Dialecto Jonica repetendum eſt, ubi σ, inter duas vocales ſimiliter atque in *praeterito* perfecto κ, paſſim ejicitur. Atque haec de temporibus a futuro ortis.

A praeſenti autem, praeter futurum, oritur

 etiam

etiam tempus Praeteritum Imperfectum, ω nimirum mutando in ον, & praeponendo augmento ſimplici.

Hujus flexio, per perſonas & numeros, proprie haec eſt. In

Sing,	Dual.	Plur.
ον, ες, ε.	ετον, έτην.	ομεν, ετε, ον.

Supereſt *Aoriſtus*, qui vocatur *ſecundus*; quem formari a *futuro ſecundo*, non ſine aliqua veri ſpecie, ſtatuunt vulgo Grammatici. Id tamen ſi diligentius paullo rem conſideremus, a veritate maxime alienum eſſe, mox apparebit, ſi modo meminerimus eorum, quae de *futuro ſecundo* ſunt diſputata. Quum enim, ita dicta, *futura* ſecunda nulla ſint in Lingua Graeca, a reliquorum *futurorum* natura diverſa: apparet quoque, Aoriſtos, qui dicuntur, *ſecundos*, proxime ad alia tempora ſua origine referenda eſſe. Quae autem Grammaticos impulit, ad futurum ſecundum in verbis Graecis agnoſcendum, ea cauſſa haud dubie fuit, *aoriſti ſecundi* confingendi: ignoratio nimirum formarum vicinarum, quae, ut ſupra vidimus, tempora inter ſe communia acceperunt; quum quaeque forma propria ſua tempora amiſiſſet. Quum autem Grammatici viderent, maximam eſſe convenientiam temporis illius, quod *Aoriſtum ſecundum* dixerunt, cum eo, quod *futurum ſecundum* voluerunt eſſe: illud ab hoc formari, ſtatuerunt.

Vidimus ſupra, multa futura, non tantum ea quae ſe-

ſecunda, ſed etiam, quae prima vocantur, non a verbis uſitatis, quibus adſcribuntur, oriri, ſed a vicinis formis, modo ſimplicioribus, modo etiam productioribus, & magis articulatis. Idem autem ſi hoc in loco conſideremus, facile apparebit, huius temporis formationem abſolvi, ſi praeſentis temporis illius formae, ad quam proxime hoc pertineat, terminatio ω in ον mutetur, & praefigatur augmentum. In qua formandi ratione, quum idem plane fieri appareat, quod in *Praeterito imperfecto*, quumque eadem plane flexio, eaedemque hujus temporis affectiones ſint, quae temporis *imperfecti*; dubitari non poteſt, quin Aoriſtus hicce ſecundus revera referri debeat ad Imperfecta praeterita, quae a formis verborum vicinis obſoletis oriuntur: ut adeo mirandum non ſit toties Aoriſtum hunc ſecundum, a ſcriptoribus, eodem ſenſu, quo Imperfectum, poſitum reperiri. Cum itaque revera nihil aliud ſit, quam Imperfectum praeteritum, non aliam eſſe eius flexionem, per perſonas & numeros, quam quae Imperfecti ſit, apparet: neque huic ſententiae obſtare, quod in Aoriſto ſecundo Paſſivi alia, per perſonas & numeros, flexio ſit; ſuo loco docebitur. Confirmant autem mirifice noſtram ſententiam ii Aoriſti ſecundi, qui a praeſentibus temporibus uſitatis oriuntur, atque adeo, eodem iure, imperfecta, quam Aoriſti ſecundi dici poſſunt; ut εἶκον ab εἴκω, εἶλον, contracte pronun-

ua-

tiatum pro ἔελον ab ἔλω, εἶπον, pro ἔεπον ab ἔπω, εἶδον, pro ἔϊδον ab ἴδω, & huius generis alia; in quibus eandem contractionem augmenti, cum prima verbi vocali, locum etiam habere apparet, ex quibusdam verbis; ubi in hoc tempore contractio non eſt inſtituta, ut ἔαγον pro ἦγον, a verbo ἄγω.

His itaque patefactis, facillimum erit, omnes hos Aoriſtos *ſecundos*, vel potius imperfecta praeterita, ad vera ſua themata referre. Ita ἔτυπον pertinet ad τύπω, unde, producta forma, τυπέω, futurum produxerat τυπέσω, & inde, ut antea vidimus, contractum τυπῶ: quale verbum purum, non tantum a τύπω, ſed etiam a τύπτω, nimirum τυπτέω, olim formatum fuiſſe, apparet ex futuro Attico τυπτήσω, obvio apud *Ariſtophanem*, [in Pluto vs. 21 & Nubib. vs. 1445.] Hac porro ratione, a λάβω, fit ἔλαβον; a σάπω, cujus loco pronunciatur σήπω, eſt ἔσαπον; a μάθω, ἔμαθον; a τράγω, cuius loco in uſu eſt τρώγω, eſt ἔτραγον; a κάω, unde καίω, eſt ἔκαον; a πάω, unde παύω, eſt ἔπαον; a φύγω, cui vicinum φεύγω, eſt ἔφυγον; a λίπω, cui vicinum λείπω, eſt ἔλιπον; a σπάρω, quod verbo σπείρω vicinum, praeter Futur. σπαρῶ, de quo ſupra, eſt ἔσπαρον; a κάρω, cui vicinum κείρω, eſt ἔκαρον; ab ὀφέλω, unde ὀφείλω, eſt ὤφελον; ab ἐγέρω, unde ἐγείρω, eſt ἐέγερον & contracte ἤγειρον, & ſic porro in aliis.

Quae autem referuntur ad verba in χω, ut ἔσμυ-

ἔσμυγον, quod ad σμύχω referri ſolet, ea pertinent ad formas vicinas, quemadmodum ἔσμυγον, ad σμύγω. Atque ita ἔῤῥαφον pertinet ad ῥάφω, quod vicinum verbo ῥάπω, unde uſitatum ῥάπτω. Similiter ἔῤῥιφον ad ῥίφω; quod vicinum verbo ῥίπω, unde uſitatum ῥίπτω. Porro ſicut vidimus, futura in ξω cadentia verborum in σσω, proprie pertinere ad verba in γω, unde etiam, quae vocantur futura, ſecunda originem habent, ita ad easdem formas pertinent tempora, quae vocantur, *aoriſti ſecundi*. Qualia ſunt ἔπραγον, a πράγω, cui vicinum eſt πράσσω; ὤρυγον ab ὀρύγω, quod vicinum verbo ὀρύσσω. Qui vero Aoriſti hujus generis in δον, deſinunt, ut futura ſecunda, ad formas verborum, in δω cadentium, referenda ſunt: quemadmodum ἔφραδον, a φράδω; unde ortum φράζω. Porro quae hic illic inveniuntur hujus generis tempora, reduplicatione Praeteriti Perf. inſtructa, loco augmenti, ut ſunt κέκαμον, quod vulgo ad κάμνω referunt; πέπιθον, quod ad πίθω; κέχαδον, quod ad χάζω; δέδαον, quod ad δάω; & alia, ea omnia rectius referuntur ad formas verborum derivatorum, quae a praeteritis perf. ſimpliciorum oriuntur; conſervata reduplicatione praeteriti perf.; quales formas verborum, ut v. gr. πεφύκω, iam ſupra vidimus. Ad hanc normam itaque κέκαμον, omiſſo augmento, more *Jonum*, eſt pro ἐκέκαμον, verbi κεκάμω, quod a κέκαμα, pro κέκμηκα, verbi κάμω; unde uſitatum

κάμ-

κάμνω. Sic πέπιθον, eſt pro ἐπέπιθον, a πεπίθω, quod a πέπιθα, verbi πίθω, cui vicinum πείθω, & ſic in reliquis.

Atque haec de temporibus Indicativi modi; ex quibus intelligitur, vera Graecorum tempora tantum eſſe *Praeſens*, *Praeteritum perfectum*, & *Futurum*, &, quae eo proxime pertinent, *Imperfectum*, *Plusquamperfectum*, & *Aoriſtum*: quaeque porro adduntur, Futura *ſecunda*, & Aoriſtos *ſecundos*, tempora ficta tantum eſſe a Grammaticis, ignorantibus veras verborum formas, ad quas iſta tempora referri debeant.

De reliquis modis breviter. Quum enim reliquorum modorum tempora ſingula formentur a temporibus iisdem Indicativi, horum omnium ratio conſtat. Quae vero ad eorum formationem pertinent, abunde e vulgaribus Grammaticorum libris hauriri poſſunt.

Quod itaque ad Imperativum, hoc tantum obſervetur, *Perfectum* Imperativi, cum ubique terminationem Praeſentis ſequatur, imo praeſentis ſignificationem induat, rectius forſan dici praeſens formae derivatae a Praet. perfecto, ut τέτυφε a τετύφω, quod a τέτυφα. Eodem certe modo a πεφύκω, (quod ante vidimus ortum a φύω,) praeſens foret πέφυκε, & ita in aliis.

Unum hoc moneo, tempora Aoriſta ſecunda etiam ad tempora *praeſentia* pertinere, vel *imperfecta*: ut facile apparebit, ſi ad diverſas verborum vici-

cinorum formas attendamus. Sicut enim a τύπτω, Praeſens Imperativi eſt τύπτε, ita a τύπω, eſt τύπε. Eadem porro ratio eſt Imperativorum ἐλθὲ, εὑρὲ, ſimiliumque, quae, vere *praeſentia* vel *imperfecta* Imperativorum, oriuntur a formis obſoletis ἔλθω, εὕρω, unde Aoriſti ſecundi Indicativi ἦλθον, εὗρον, revera ſunt Imperfecta, analogice formata. Neque enim, quod vulgo dicitur, ἦλθον eſt pro ἤλυθον, ſed vere hoc Imperfectum formae vicinae ἐλύθω, quod cognatum alteri ἐλεύθω, oritur ab ἐλύω, quod a ſtirpe ἔλω, unde factum antiquum ἔλθω quod (ut ἐλύθω, ἤλυθον,) ſimiliter produxit ἦλθον.

Sequitur Optativus Modus, ubi etiam parum admodum obſervandum venit, niſi Aoriſtum ſecundum ad Praeſens vel Imperfectum, eodem modo, ut in Imperativo vidimus, referendum eſſe. Sic τύποιμι, a τύπω repetendum; quod propterea etiam eandem, quae in praeſenti eſt, flexionem per perſonas & numeros ſervat. Quemadmodum autem in Indicativo vidimus, reduplicationem *perfecti*, in hoc tempore, aliquando locum habuiſſe, ita & hic idem, apud Jones obtinet. Sic τετύποιμι, ἀγάγοιμι, & ſimilia, Jonica ſunt a verbis τετύπω, ἀγάγω; cujus verum Imperfectum eſt ἤγαγον, & ſimilibus. De temporibus autem Praeſentibus per οιην pronuntiatis, quemadmodum ab Atticis pro οιμι fit; ſicut διαβαλλοίην pro διαβάλλοιμι: alio loco dicetur.

Por-

Porro generatim hic dici poterit, tempora in $\mu\iota$ cadentia, proprie originem habere verborum in $\mu\iota$, qua de re etiam deinceps. De Subiunctivo nihil etiam monendum adeo, niſi Aoriſtum *ſecundum*, ut in reliquis modis, ita & hic ad Praeſ. & Imperf. referendum eſſe. Idem de Aoriſto ſecundo Infinitivi & Participii ſtatuendum; uti etiam, quae ſit *futuri ſecundi* ratio, ex iis, quae de *futuro* Indicativi *ſecundo* dicta ſunt, facile intelligi poteſt.

Haec de verbo Graecorum Activo, ſeu eius formatione.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

DE

VERBO PASSIVO, ET DIVERSORUM IN EO TEMPORUM FORMATIONE.

A VERBO Activo formatum Paſſivum, nomen habet a *patiendo*: quod ſemper perſonam patientem indicat. Flectitur hujus *Praeſens* vulgo, per

Sing.	Dual.	Plur.
ομαι, η, εται.	όμεθον, εσθον, εσθον.	όμεθα, εσθε, ονται.

ubi notandum eſt, ſecundam perſonam ſingularis numeri, (ut nunc vulgo habetur,) non eſſe veram & antiquiſſimam hujus temporis terminationem. Fuit, nimirum, ea per εσαι, cuius loco Jones, ſublato σ inter duas vocales, pronuntiarunt εαι. Hoc vero deinceps Attici, ne hiatus eſſet in numero, contraxerunt in ῃ, atque ſic pro τύπτεσαι, pronuntiatum Jonice τύπτεαι, extulerunt τύπτῃ. Porro notandum, Atticos, quum nondum longae vocales ab iis eſſent receptae, (ut Capite II. de *Literis* p. 3. dixi) pro ῃ poſuiſſe ει, quae terminatio, (praeter verba βύλομαι, οἴομαι, & pauca alia, quae conſtanter

E vul-

vulgo retinuerunt antiquam terminationem ει, ut *βούλει*, pro *βούλῃ*:) in multis Tragicorum locis, & apud Ariſtophanem cernitur. Quam in rem vide, quae notavit Clariſſ. Valken. ad *Eurip.* Phoen. p. 216. 217.

Sicut autem in Activo, ita hic ſubiungo mox *futuri* formationem. Etſi enim vulgo ſtatuunt Grammatici, oriri hoc tempus ab Aoriſto primo, ſicut etiam futurum ſecundum ab Aoriſto ſecundo repetendum eſſe volunt, revera tamen aliunde illud proficiſci, veriſimillimum eſt. Nam, ne dicam, ipſam rei naturam, & veterem ſimplicitatem, quam in linguis ſummam obſervamus, obeſſe iſti ſententiae, obſtant quoque quaedam futura, quae ad aliam ſimplicioremque flectendi normam exigenda videantur. Id quod maxime in *Futuris* quibusdam *ſecundis*, uti vocantur, conſpicuum eſt. Nam, ut in Activo verbo oſtendi, neque futura *ſecunda* neque Aoriſta *ſecunda*, eſſe in Lingua Graeca; idem de Paſſivo dictum accipi velim: ubi eadem ratione ad futura prima verborum vicinorum referenda ſunt, quae vulgo futura ſecunda vocantur. Cumque nec in verbo Paſſivo ſint Aoriſti ſecundi, apparet, aliam omnino ſtatuendam eſſe temporum horum formandorum normam.

Sicut vero in Activo vidimus, in diverſorum Modorum, & ſingulorum in iis temporum, formatione, ſimpliciſſimam hanc inveniri rationem, qua ſingula tempora in unoquoque Modo

a

a vicinis Indicativi Modi formentur, quemadmodum, a *Praeſenti praeſentia* tempora reliquorum modorum, atque ſic porro: ſimiliter rem ſeſe habere in Paſſivo, cum ipſa natura rei, tum etiam varia exempla, ex Lingua Graeca deſumta, valde ſuadent. Quum enim nullum ſit futurum ſecundum, facile apparet, eiusmodi futura, quae vulgo ſecunda dicuntur, ut φιλήσομαι, τιμήσομαι, & huius generis alia, derivanda eſſe a futuro primo Activi φιλήσω, τιμήσω &c. ω duntaxat in ομαι mutando: ut adeo hujus futuri formatio plane eadem ſit, quae praeſentis; &, quemadmodum a φιλέω oritur Praeſens Paſſivi φιλέομαι, ita a *futuro* activi φιλήσω oriatur φιλήσομαι. Quod ipſum locum quoque habere in vulgaribus futuris primis, clarius patebit, ſi in memoriam revocemus, quae de verborum formis vicinis, a ſe invicem tempora mutuantibus, ſaepius iam dicta ſunt. Ita ab ὀρέγω proprie non oritur ὀρεχθήσομαι, ſed ab ὀρεχθέω, forma vicina: idque eadem ratione, ut a φιλέω deſcendit φιλήσω, & inde φιλήσομαι. Similiter enim progrediendo ab ὀρεχθέω, habebimus ὀρεχθήσω, ὀρεχθήσομαι. De quo in hoc quidem verbo eo minus dubitari poteſt, quod ipſum verbum ὀρεχθέω, ab ὀρέγω formatum, ſuperſit apud ſcriptores veteres: quibus plura huius generis exempla addi poſſent, niſi res ipſa ſua ſe ſimplicitate ſatis commendaret.

Oriuntur itaque futura haec omnia, in θήσομαι cadentia, a formis verborum ſive uſitatis, ſive,

ut pleraque ſunt, obſoletis, quae terminantur vel
in χθέω, vel φθέω, vel σθέω, vel θέω: & quidem
eorum Futuris Activis, in futura Paſſiva mutan-
dis, ſubſtituendo, in locum literae ω, termina-
tionem Paſſivam ομαι. Atque idem porro de re-
liquis omnibus futuris Paſſivis eſt exiſtimandum.
Sic verbi gr. Futurum τυφθήσομαι eſt a Futuro
Activo τυφθήσω verbi τυφθέω, quae forma vicina
eſt verbo τύπτω: τυπήσομαι vero, quod futurum ſe-
cundum dicitur a Futuro Activo τυπήσω, verbi τυ-
πέω; quam formam, ortam ab antiquo τύπω, pe-
periſſe futurum, quod vulgo dicitur, *ſecundum* τυ-
πῶ, jam ſupra vidimus. Atque ad eandem ra-
tionem, ſi, in reliquis omnibus, procedamus, fa-
cile apparebit, futura Paſſiva ratione formati-
onis revera nihil differre a Futuris Mediorum.
Sicut enim ab ὀρεχθέω, ſeu Futuro ὀρεχθήσω,
fit ὀρεχθήσομαι, ita ab ὀρέξω, verbi ὀρέγω, eſt ὀρέ-
ξομαι. Sicut a τυφθέω, ſeu ejus futuro τυφθήσω,
oritur τυφθήσομαι, ita a τύψω eſt τύψομαι: ut adeo
eiusmodi futura, non, niſi forma, inter ſe diffe-
rant, & eodem modo a verbis vicinis formentur.
Ex quibus facile intelligitur, futurum Medii re-
vera non aliud eſſe atque Futurum Paſſivi, ut
deinceps, ubi de Verbo Medio dicetur, clarius
etiam apparebit. Ad commemoratam itaque ra-
tionem, ſi porro exigamus Futurum ποιήσομαι, di-
cendum id erit Futurum Paſſivum verbi ποιέω,
Futurum vero ποιηθήσομαι Futurum paſſivi verbi
obſoleti ποιηθέω: quae quoque reliquorum hujus
gene-

generis omnium ratio eſt; quum eadem ratione facillime ad veras ſuas formas veraque themata referri poſſint.

Praeter haec jam *futura*, aliud etiam in Paſſivo cernitur futurum; quod vulgo dici ſolet *mox futurum*, vel *paullo poſt futurum*; vel, ut Graeci vocant, ὁ μεθ᾽ ὀλίγον μέλλων χρόνος: cujus temporis formationem vulgo Grammatici ſtatuunt abſolvi, literis σμ poſitis ante αι *finale*, in *ſecunda* praeteriti perfecti paſſivi. Quod, etſi, per omnia verba, bene procedit; ut adeo expedita ſatis formandi via videatur: nihilo minus tamen, quum ſimplicitati, quae in linguis cernitur maxima, vehementer repugnet, revera ita ſe habere minime exiſtimem. Impoſuit, nimirum, Grammaticis, qui artis regulas primi fecerunt, reduplicatio, quam in hoc tempore habemus, praeteriti perfecti paſſivi; cujus ratio quum minus eſſet explicata, hoc tempus neceſſario oriri debere a *praeterito perfecto*, ſunt opinati: quumque pronuntiatione viderent id proxime accedere ad *ſecundam perſonam* praeteriti perfecti paſſivi, inde derivandum eſſe ſtatuerunt.

Qui vero meminerit eorum, quae de verbis, reduplicatione ab initio auctis, jam ſupra diſſerui, tum horum quoque, quae de formatione futuri paſſivi modo diximus, is facile animadvertet, hoc ipſum quoque futurum eandem plane, quae *futuri primi* paſſivorum eſt, formationem ſequi; & quidem fieri, ω activi in σομαι paſſivi

mutando. Hac ratione τετύψομαι ſit à τετύψω, verbi τετύφω, vel τετύπω: cui vicinum eſt τύπτω. Similiter πεποιήσομαι eſt, a πεποιήσω, verbi πεποιέω; quod reduplicatum, pro ποιέω. Cujus generis verba reduplicata, in vetuſtis poëtis Graecis praeſertim, obvia, praeter hoc noſtrum futurum, etiam peperiſſe tempora *imperfecta Jonica*, quemadmodum τέτυπον, & ſimilia; probabile valde eſt: quum Jones plerumque omittere, ſic proprie dictum, augmentum, ſoleant; ut jam alibi obſervatum eſt. Sive itaque ſtatuas, *paullo poſt futurum* revera differre ſignificatione; ut *tempus* deſignet, *quod brevi inſtat*, (quod tamen demonſtrari poſſe haud opinor;) ſive proprie convenire ſignificatione ſua cum reliquis futuris, atque adeo in *paſſivo* non magis, tanquam diverſum futurum, inveniri tempus *paullo poſt futurum*, quam in activo, ubi nulla plane ejus veſtigia: id certum eſt, quae vulgo ſtatuantur, diverſa *tempora*, *futurum primum*, *&* *ſecundum*, *paſſivi*, ut & *futura media*, & *paullo poſt futura*, quod ad formationem ſaltem, eadem eſſe, in idemque tempus convenire, referenda tantum ad diverſas verborum formas vicinas; atque adeo horum omnium formationem ſimpliciſſimam abſolvi, terminationem ω futuri activi, in eam paſſivi ομαι, mutando; ſervata ubique eadem, quae in activo eſt, futuri Characteriſtica.

Quod ad flexionem, per *perſonas* & *numeros*; ſicut in futuro activo vidimus: ita in his futu-

ris

ris quoque eadem eſt, quae praeſentis paſſivi.

Sicut perfectum activi, ita illud paſſivi, reliquis temporibus, plures ſubiiſſe mutationes videtur: quo fit, ut, de antiquiſſima ejus formandi ratione, minus certo aliquid concludere liceat. Id tamen certum eſt, ſicut reliqua tempora verbi paſſivi, ita hoc quoque, a vicino tempore, praeterito perfecto activi, formari: cujus etiam retinet augmentum.

Praeter augmentum autem praecipue hic ſpectanda eſt *terminatio*, quae quidem, quantum ex linguae reliquiis confici poteſt, fuit

Sing.	Dual.	Plur.
μαι, σαι, ται.	μεθον, σθον, σθον.	μεθα, σθε, νται.

Ea enim flectendi ratio cernitur in verbis *puris*; ubi aliquid immutandi minor neceſſitas eſt, quam in aliis verbis *non puris*; ubi conſonantium concurſus ſaepe efficit, ut una, aut altera, litera omittatur: quemadmodum ſaepe fit in *ſecunda* & *tertia* Dualis numeri. Ita v. g. τέτυφθον pronuntiatur, cum proprie dicendum eſſet τέτυπσθον. Graeci vero, ejusmodi conſonantium durum concurſum non ferentes, literam σ ejicere maluerunt, ac deinceps literam tenuem π, in cognatam adſpiratam φ (ob ſequentem *adſpiratam*) mutare; ut eſſet τέτυφθον.

Praeteriti itaque *perfecti* paſſivi formatio perfici-

ficitur, terminationem praeteriti perfecti Activi κα in μαι mutando, vel, ſi κ in activo fuerit omiſſum, terminationem praeteriti perfecti activi α in μαι mutando: quae ratio, etſi forte omnium ſimpliciſſima, & antiquiſſima, nondum dici poteſt; eam tamen hic commode ſequi poſſumus.

Videtur, nimirum, omnium ſimpliciſſima haec eſſe ratio, ut terminatio activi α, in eam paſſivi αμαι fuerit mutata; eodem modo, ut in Aoriſto medio α activi in άμην mutatum fuit: in praeſentibus vero temporibus, litera ο, vel deinceps ω, in ομαι, terminationem paſſivi. Et hoc quidem quo magis mihi perſuadeam, efficit tertia pluralis, hujus temporis praeteriti paſſivi, apud Jones; ubi flectitur in αται, ut videtur, pro ανται, quemadmodum τετύφαται: quam rationem, apud Jones, etiam ſequitur a praeterito formatum plusquamperfectum, ut τετύφατο, & ſimilia.

Ad priorem formandi rationem, quam hic ſequor, quod attinet; notandum eſt, literas palatinas κ & χ, terminationem μαι antecedentes, euphoniae cauſſa, in γ mutari; dum labiales π, β, & φ, ob eandem rationem in μ; ac denique τ & θ, in literam mediam δ, tranſire: cujus generis mutationes, in Lingua Graeca, per diverſas dialectos etiam frequentiſſimae ſunt.

Litera autem ν, in verbis liquidatis, ubi retinetur, euphoniae quoque gratia, ante literam

μ,

μ, vel terminationem μαι, in μ etiam mutari ſolet: ſic ut in πέφαμμαι fit, a φάνω, vel φαίνω.

Duae praeterea, in hoc tempore, cernuntur mutationes: quae diverſis verborum formis vicinis adſcribendae videntur.

In primis autem hic obſervanda ſunt praeterita perfecta, quae cadunt in σμαι; cujusmodi longe plura in Lingua Graeca, inveniuntur, quam vulgo ſtatuunt Grammatici. Ita ad Grammaticorum regulas ſi perfectum paſſivi exigamus, a verbo ἀγαπάω; aliud praeteritum paſſivi non poteſt oriri, niſi ἠγάπημαι. Reperitur tamen derivatum nomen ἀγαπησμὸς, quod oriri non potuit, niſi ab ἠγάπησμαι: quemadmodum hujus generis multa alia.

Cernitur praeterea eadem terminatio in ἤκουσμαι, quod ad ἀκούω refertur: praeterea in κέκλεισμαι, quod ad κλείω; in σέσεισμαι, quod a σείω repetunt; atque ita, in aliis hujus generis multis: in quorum thematibus, ſeu praeſenti activo, literae σ nullum veſtigium eſt. Vel itaque ſtatuendum eſt, praeteriti perfecti paſſivi *duplicem* fuiſſe terminationem olim, μαι, nimirum, atque (euphoniae gratia, addito σ) σμαι; vel, quod magis probabile videtur, praeterita iſta, in σμαι cadentia, referenda eſſe, proprie, ad formas vicinas, maximam partem obſoletas.

Quumque in verbis in ζω deſinentibus, ac ſimilibus, ubi, in praeſenti, σ eſt, manifeſta ratio appareat literae σ ante μαι, poſitae, in *per-*

fecto paſſivi: parum abeſt, quin, ad ejusmodi verborum formas, omnia haec praeterita perfecta referenda eſſe exiſtimen. Analogice enim progrediendo, a φράζω futurum haberemus φράζσω, ſive, a φράσδω, quemadmodum Dores (reſoluta duplici) pronuntiant, futurum eſſet φρασδσω. Sed δ, ob difficilem pronuntiationem, quam Graeci reſpuunt, ejecto, hujus loco eſt φράσσω, cujusmodi futura olim exſtitiſſe in Lingua Graeca, ex multis reliquiis, a Graecis Poëtis conſervatis, apparet. Quod enim hodie huic verbo tribuitur futurum, φράσω, proprie pertinet ad thema φράω: niſi ſtatuas, pro φράσσω, mollioris pronunciationis cauſſa, pronuntiatum dein φράσω.

Ab hoc jam futuro φράσσω, ſecundum noſtras formandi regulas, eſt πέφρασκα perfectum activi; cujus loco Graeci, a futuro φράσω formatum, πέφρακα maluerunt.

A memorato autem perfecto πέφρασκα, ad regulam praeteriti *perfecti paſſivi* formandi, ſupra a me traditam, oriri debuit πέφρασμαι, terminatione activi κ in eam paſſivi μαι mutando; id quod in omnibus verbis, in ζω cadentibus, locum habet: ut adeo, non injuria, ſtatui poſſe videatur, omnia perfecta, quae in σμαι cadant, proprie referenda eſſe ad formas verborum in ζω terminantium; etiamſi ſint obſoletae. Hac itaque ratione, praeteritum ἠγάπησμαι, ad ἀγαπήζω referendum eſt; quod ejusdem formae verbum

eſt

eſt, cujus eſt uſitatum χρήζω, ortum a χράω. Quod vero eſt praeteritum perfectum ἠγάπημαι, pertinet ad uſitatum ἀγαπάω, unde deductum alterum ἀγαπήζω.

Atque eadem ratione porro, in omnibus hujus generis praeteritis perfectis, progrediendum eſt. Imo huc quoque referendum, quod ſtatuunt Grammatici, Atticos literam μ in σ mutare, ante μαι, in hujusmodi verbis; ut πέφασμαι, παρώξυσμαι: qualia, pro πέφαμμαι & παρώξυμμαι, dicta volunt; a verbis φάνω, ſeu φαίνω, & παρόξυνω, declinata.

Rectius autem dicerent, orta eſſe a formis obſoletis φάζω, παροξύζω, et ſimilibus. Neque quidquam obſtat huic ſententiae, terminatio ſecundae perſonae πέφανσαι aut tertiae πέφανται, cum hae perſonae ad verbum φάνω, πέφασμαι vero ad φάζω, referri poſſit. A φάνω, nimirum, proprie perfectum paſſivi declinandum eſſet πέφαμμαι, πέφανται &c.; a φάζω vero πέφασμαι, πέφασσαι, aut, mollioris pronuntiationis cauſſa, πέφασαι, πέφασται: quemadmodum naturalis flexio, per perſonas & numeros, docet; quam, in hoc tempore maximi momenti eſt probe cognoviſſe, propter ingentem derivatorum numerum, quae a *tribus* perſonis hujus verbi oriuntur.

Quod ſupra, de temporibus paſſivi, monui, ſingula, nimirum, tempora in hoc verbo, a cognatis ſuis temporibus verbi activi oriri; mu-

mutata duntaxat terminatione activi in eam pasſivi: de *praecipuis* tantum *temporibus* intelligendum eſt; non vero de iis, quae veluti primariis ſubjecta ſunt, eorumque ſignificationem, leviter immutatam, retinent: quae, ut ſignificatione, ita formatione proxime, ad tempora ſua primaria paſſivi, accedunt.

Sunt autem haec, veluti ſecundaria tempora, *plusquamperfectum* & *imperfectum*: quorum prius veluti ſubjectum eſt *praeterito perfecto*; poſterius vero *praeſenti*. Quod clarius etiam percipitur, ex reliquis Modis, in quibus, hanc ob cauſſam, praeſens & imperfectum; perfectum item & plusquamperfectum, plane coincidunt, & eandem omnino flexionem habent: ut adeo appareat, arctiſſimum horum nexum fuiſſe.

Ceterum, ſicut in activo vidimus, plusquamperfectum oriri a perfecto; a quo parumper tantum ſignificatione differt, imperfectum autem a praeſenti: ſic in paſſivo, plusquamperfectum a perfecto, imperfectum vero a praeſenti pasſivi, oriuntur; & quidem, terminatione praeſentis & perfecti in eam imperfecti & plusquamperfecti, mutanda, & novo *augmento* praeponendo, cujus eadem hic, atque in plusquamperfecto activi, ratio eſt.

Praeter augmentum itaque plusquamperfecti formatio perficitur, terminatione perfecti μαι in μην mutanda. Neque alia ratio eſt imperfecti; ubi itidem μαι in μην mutatur: ut adeo utriusque tem-

temporis formatio eadem ſit; neque flexio per perſonas & numeros, diverſa eſt, quippe quae, in utroque tempore, ſic proprie ſeſe habet in

Sing.	Dual.	Plur.
μην, σο, το.	μεθον, σθον, σθην.	μεθα, σθε, ντο.

Ita, in plusquamperfecto, ἐτετύμμην, a perfecto τέτυμμαι, formatur. Secundam perſonam proprie habet ἐτέτυμσο, cujus loco pronuntiatur ἐτέτυψο; ob easdem, quas ſupra in praeterito commemoravi, cauſſas: quae etiam, in tertia ἐτέτυπτο, obſervandae ſunt. Dualis porro numerus, ſicut, in perfecto, literam σ, (ubi, propter concurſum conſonantium opus eſt,) abjicit; ita ſecunda & tertia perſona, in hoc verbo, pronuntiantur ἐτέτυφθον, ἐτετύφθην: quum revera deberent efferri ἐτέτυπσθον, ἐτετύπσθην, uti fit in ἐβεβόησθον, ἐβεβοήσθην. Reliqua huc pertinentia ex iis, quae de *perfecto* dicta ſunt, facile cognoſci poſſunt & intelligi.

De imperfecto autem obſervandum eſt, ſecundum communem hanc flectendi rationem, modo memoratam, a τύπτομαι formatum, verbi gratia ἐτυπτόμην, proprie debuiſſe flecti, ἐτυπτόμην, ἐτύπτοσο, ἐτύπτοτο; in Duali, ἐτυπτόμεθον, ἐτύπτοσθον, ἐτυπτόσθην; in plurali, ἐτυπτόμεθα, ἐτύπτοσθε, ἐτύπτοντο; tametſi vulgo, in *imperfecto*, flecti ſolet ἐτυπτόμην, ἐτύπτου, ἐτύπτετο; in Duali ἐτυπτόμεθον, ἐτύπτε-

πτεσθον, ἐτυπτέσθην; in Plurali ἐτυπτόμεθα, ἐτύπτεσθε, ἐτύπτοντο. Ubi videmus, ante terminationem, qua ſupra omnem mutationem, in hoc tempore, abſolvi diximus, loco literae ο, in ſecunda ac tertia Singularis, & Dualis, nec non in ſecunda Pluralis, ε reperiri. Secunda enim Singularis, per ου pronuntiata, ne quem offendat, cogitandum eſt, hanc terminationem eſſe contractam ex εο; quae Jonibus propria flexio eſt. Hi enim pro ἐτύπτου pronuntiabant ἐτύπτεο vel ſine augmento τύπτεο; hoc vero, more Jonum ſolemni, literam σ, inter duas vocales, in flexione temporum, omittentium, pro τύπτεσο eſt: ut adeo ου in ſecunda perſona, ex εσο ſit ortum.

Eodem autem modo, ut in hoc tempore, ita quoque in *praeſenti* in iisdem perſonis, pro ο, reperiri ε ſolet; quemadmodum τύπτομαι, τύπτεσαι &c. de cujus temporis flexione jam dictum ſupra.

Quaerat igitur quis, unde haec oriantur: ratio obſcura non videtur. Qui enim comparaverit verba in μι, quae vulgo dicuntur, ſive eorum *praeſentia* & *imperfecta*: facile animadvertet, veram flexionem in *praeſenti* fuiſſe, in

Sing.	Dual.	Plur.
όμαι, οσαι, οται.	όμεθον, οσθον, οσθον.	όμεθα, οσθε, ονται.

quae

quae naturalis flectendi ratio eſt in *δίδομαι*, quemadmodum vulgo notum, vel etiam in

Sing.	Dual.	Plur.
μαι, εσαι, εται.	έμεθον, εσθον, εσθον.	έμεθα, εσθε, ενται.

quorum prius cernitur, in flexione verborum in *ομι* naturali; de qua deinceps: poſterius in illa verborum in *ημι*. Imperfecta autem horum verborum flectuntur in

Sing.	Dual.	Plur.
όμην, οσο, οτο.	όμεθον, οσθον, όσθην.	όμεθα, οσθε, οντο.

vel in

Sing.	Dual.	Plur.
έμην, εσο, ετο.	έμεθον, εσθον, έσθην.	έμεθα, εσθε, εντο.

quemadmodum cernitur in antiquiſſima flexione verborum *ἐδιδόμην* & *ἐτιθέμην* a verbis *δίδομαι* & *τίθεμαι*, ſimiliumque.

Ex duplici itaque hac forma, flexio Praeſentis & Imperfecti Paſſivi verborum, in *ω* cadentium, per *perſonas* & *numeros* compoſita eſſe cenſeri debet: quaſi v. g. a *τύπτομαι* (ad ſimilitudinem verbi *δίδομαι*) perſonae eſſent, prima dual. *όμεθον*, ac plur. *όμεθα* & tertia plur. *ονται*; a *τύπτεμαι* vero ad ſimilitudinem verbi *τίθεμαι* inflexo, ſecunda & tertia Sing. *τύπτεσαι*, *τύπτεται*, ſecunda

&

& tertia Dual. τύπτεσθον, ſecunda Plur. vero τύπτεσθε. Ab ἐτυπτόμην, ad normam verbi ἐδιδόμην, Dualis ἐτυπτόμεθον, prima Plur. ἐτυπτόμεθα & tertia, ἐτύπτοντο. Ab ἐτυπτέμην vero ad normam verbi ἐτιθέμην inflexo, ſecunda & tertia Sing. ἐτύπτεσο, ἐτύπτετο, ſecunda & tertia Dual. ἐτύπτεσθον, ἐτυπτέσθν, ſecunda Plur. denique ἐτύπτεσθε.

Ex quibus omnibus adparet, opinor, veram eſſe, quam ſupra poſui, regulam, „ imperfectum Paſſivi, & plusquam perfectum, a „ praeſenti, & perfecto, formari, eadem plane „ ratione μαι in μην mutando, eaque tempora „ eandem antiquitus flexionem per perſonas & „ numeros habuiſſe".

Superſunt Aoriſtus primus & ſecundus: quorum primum vulgo deducunt, a tertia perſona perfecti paſſivi; tenuibus literis, in adſpiratas, & αι in ην mutandis: detracta etiam litera geminationis, quae, in praeteritis, vulgo cernitur; ſicut in ἐτύφθην, a τέτυπται formato, cernitur.

Quae regula, etſi ſimplicitati naturali contraria, ferri tamen poſſet, ſi ubique valeret. Quum vero multa inveniantur verba, quorum Aoriſtus primus paſſivi ab hac norma recedit, apparet facile, minus veram eſſe iſtam, quam vulgo Grammatici ſtatuunt, regulam.

Melius paullo procedit, quod de aoriſti *ſecundi* formatione tradunt: quem fieri volunt ab aoriſto ſecundo activi; terminatione ον in ην mutanda. Sed, quod antea ſatis demonſtratum arbi-

tror, revera nullos eſſe Aoriſtos ſecundos, idem hic quoque obſervandum eſt.

Quid itaque? an, ut in Activo, hic aoriſtus ſecundus revera imperfectum eſt? imo vero non *hunc* tantum *aoriſtum* ſecundum, ſed etiam aoriſtum primum, non niſi antiqua imperfecta, eſſe puto, & quidem orta illa & formata, ad normam imperfecti verborum in μι: quales formae verborum in μι, in antiquiſſima Lingua Graeca, quam plurimae exſtiterunt, ut abunde ex iis, quas ſuperſtites habemus, apud poëtas praeſertim, reliquiis apparet.

Hoc tamen ne temere a me ſtatui videatur, paullo diligentius examinanda res eſt. Conſtat, multa tempora, apud Graecos, verbi Paſſivi uſurpari Active, & contra, verbi Activi, Paſſive. Mirum itaque videri non poteſt, ſi duo haec tempora, quae vulgo aoriſtus primus & ſecundus dicuntur, etiamſi ad Paſſivum referantur, (quia paſſive plerumque uſurpantur,) formatione tamen ad Activum verbum pertinere dixero.

Imo obſervandum, haec ipſa tempora non ſemper *paſſive*, ſed interdum etiam *active* ſignificare; et quidem tempus, quod *aoriſtum primum* vocant, (ut ἐλύφθην) antiquioribus ſcriptoribus Graecis, quod vero *ſecundum* dicant, (ut ἐλύπην) recentioribus praeſertim in uſu fuiſſe.

Qui jam conſideraverit Imperfecta verborum

in μι, ſine magno negotio, inveniet, quo poſſit referre haec duo tempora, quae, et ratione formationis, et flexionis, plane imperfectorum, quae verbis in μι adjunguntur, rationem ſequuntur. Imo in diverſis dialectis, et, quod majus etiam eſt, in Modis diverſis, plane easdem atque illa, mutationes ſubeunt: ut adeo certum videatur, eadem prorſus eſſe tempora, orta tantum a diverſis formis verborum vicinorum.

Eadem ratio itaque, quae imperfectum ἐτίθην, & praeſens τίθημι intercedit: quae verbum ἔφην, & φημὶ intercedit; eadem etiam eſt inter ἐτύφθην & τύφθημι, formam obſoletam; eadem inter ἐτύπην & τύπημι, quae forma etiam obſoleta. Horum autem ſuperius proxime convenit cum τυπέω, unde futurum τυπήσω; alterum vero τύφθημι cum τυφθέω: quae formae diverſae, a ſimpliciore τύπω, ortae.

Neque haec verba in μι aliter differunt, a memoratis formis, quam θέω et θῆμι, cujus loco, cum reduplicatione, dicitur τίθημι. Quae tamen reduplicatio nonnunquam etiam negligitur: ut apparet e verbo φημὶ a φάω, quod reduplicatum pronuntiandum eſſet πίφημι; ſed hoc in uſu non eſt.

Quum itaque proprie aoriſti hi ad imperfecta verborum in μι pertineant, ea, quae ad accuratiorem horum tractationem faciunt, explicacabuntur; ubi de verbis in μι agetur.

Pro aoriſtis autem hisce alterum ſubſtituimus, et

et quidem, qui hodie dicitur *aoriſtus primus* Medii; ut ἐλυψάμην. Quod tempus, ſi formationem ſpectes, male a Grammaticis ad verbum Medium relatum, recte tamen derivatur ab Aoriſto primo activi, ut ἔτυψα, addita terminatione μην. Sicut autem terminatione, ſic flexione, plane convenit cum imperfecto et plusquamperfecto Paſſivi, atque hanc flexionem propriam habet in

Sing.	Dual.	Plur.
μην, σο, το.	μεθον, σθον, σθην.	μεθα, σθε, ντο.

Recedere quidem ab hac flectendi ratione videtur ſecunda perſona Singularis, ſicut ἐτύψω; ſed obſervandum, in iſta perſona, perinde atque in ſecunda imperfecti, contractionem eſſe factam. Quum enim proprie deberet flecti ἐτύψασο, hujus loco, eliſo σ, Jones pronuntiarunt ἐτύψαο. Hoc jam Attici, more ſolemni vocales contrahentes, pronuntiarunt ἐτύψω, atque ſic in aliis hujus generis omnibus. Haec de Indicativo verbi Paſſivi.

Quemadmodum autem in Activo verbo reliquorum Modorum tempora ſingula, a ſingulis cognatis Indicativi Modi oriuntur; ſic etiam in Paſſivo fit. Ita, quod vulgo dicitur *praeſens* vel *imperfectum imperativi* ut τύπτου, proprie non aliud eſt, niſi ſecunda perſona imperfecti

indicativi, praetermiſſo augmento; ab ἐλυπλόμην, ἐλύπλεσο, ἐλύπλεο, ἐλύπλου, et ſic tandem ſit λύπλου, quemadmodum in reliquis hujus generis omnibus.

Flectitur autem, per perſonas, hoc tempus in

Sing.	Dual.	Plur.
σο, σθω.	σθον, σθων.	σθε, σθων.

quod poſtremum Atticis proprium remanſit. Quae enim vulgo tertiae pluralis flexio habetur per σθωσαν, ex Dorum dialecto, repetenda eſt: qui itidem, in aliis quibusdam temporibus, pro litera ν, in tertia plurali habent σαν.

Sequitur praeteritum perfectum, vel plusquamperfectum; quod a ſecunda plusquamperfecti oritur, eadem ratione, ut in praeſenti vidimus: ſublato tantum augmento. Ita a plusquamperſecto ἐλελύμμην ſecunda perſona ἐλέλυψο, Imperativum peperit λέλυψο. Flectitur porro hoc tempus, eadem ratione qua praeſens; quemadmodum πεποίησο, πεποιήσθω. cet. Ubi in verbis, non puris, ob conſonantium concurſum (ſicut alibi fieri vidimus, atque in hoc ipſo tempore indicativi) σ tollitur, quemadmodum λέλυψο, in tertia perſona λελύφθω, pro λελύπσθω.

Quod autem ad Aoriſtum primum & ſecundum Imperativi attinet, referri haec tempora pro-

prie

prie debent, ſicut in Indicativo vidimus, ad verba in *μι*.

Proprie autem, quemadmodum in Indicativo, huc pertinet aoriſtus primus Medii, qui eadem ratione, ut reliqua tempora hujus Modi, formatus ab aoriſto primo Indicativi, et quidem ab ejus ſecunda perſona: ut adeo in hoc tempore vera flexio fuerit in ſecunda ſing. *τύψασο*, in tertia *τυψάσθω*, & ſic porro. Maluerunt vero Graeci in ſecunda ſingulari, loco imperativi, uſurpare aoriſtum primum infinitivi Activi, *τύψαι* nempe, quod nemini mirum videbitur, qui ſecum reputaverit, Infinitivos antiquitus, pro Imperativis, Græcos poſuiſſe.

De ſignificatione autem (quum ipſum tempus aoriſtus primus indicativi rariſſime paſſive ponatur) facile apparet, quare Grammatici infinitivum activi huc retulerint, quum nusquam ſecundam imperativi veram invenirent.

Sequitur Optativus, cujus tempora formata ſunt ab Indicativo, inſerendo *ι* ante *μην*, et quidem praeſens, vel imperfectum, ab imperfecto indicativi; perfectum a plusquamperfecto; futurum primum a tempore inuſitato, quod cum aoriſto maximam adfinitatem habuit: ablato ſimul augmento. Ita ab *ἐτυπτόμην*, eſt praeſens *τυπτοίμην*; ab *ἐπεποιήμην* eſt *πεποιήμην*; ab *ἐτυψόμην*, ſimili ratione, oriri debuit *τυψοίμην*, quod nunc ad Medium referri ſolet. Ab alia autem forma

 ἰτυ-

ἐτυφθησόμην, τυφθησοίμην, quod nunc ad Paſſivum refertur.

Quum autem tempus hoc ἐτυψόμην in uſu non ſit, in futuri formatione, obſervari debet, (ſi tempora uſitata tantum conſideremus) hujus temporis formationem abſolvi, terminatione μαι futuri Indicativi ante in μην mutanda, tum autem, ut in reliquis temporibus, inſerendo ι.

Ad Aoriſtos quod adtinet, pertinent hi ad Verba in μι.

De Subjunctivo tantum obſervetur, vocales breves fieri longas: ſimiliter ut in Activo.

Praeſens itaque flecti debet τύπτωμαι, τύπτῃ, τύπτηται, cet. Sic πεποίημαι, πεποίῃ, πεποίηται: ubi notandum, pro πεποίημαι aliunde invaluiſſe πεποιῶμαι.

Qui autem additur, Aoriſtus primus, quemadmodum ποιηθῶ, ad verba in μι pertinet: quum verus Aoriſtus primus in verbo Medio reperiatur; ubi a futuro ποιήσομαι, in Subjunctivo, ποιήσωμαι, tametſi iſtud tempus, ratione formationis, verius futurum, quam *aoriſtus* primus, dicitur.

In Infinitivo tempus praeſens, etſi aliter revera res ſe habet, deduci tamen poteſt a tertia ſingulari, ται in σθαι mutando; ſicut τύπτεται, τύπτεσθαι; quae ratio quoque in reliquis temporibus valet.

Aoriſtus primus autem & ſecundus ad verba in

in μι referendi ſunt. Aoriſtus primus vero Medii, (qui huc proprie pertinet) ab Aoriſto indicativi deduci poteſt, το in σθαι mutando, ut ἐτύψατο, ἐτύψασθαι: &, abjecto augmento, τύψασθαι.

Participia huc pertinentia ſingula formantur a vicinis temporibus Indicativi, μαι in μην mutando: aliter enim cadentia huc non pertinent; ſed ad verba in μι, aut ſaltem verba Activa.

CAPUT OCTAVUM

DE

Verbo Medio.

Superest verbum, quod dicitur, Medium: quod ſic vocarunt Grammatici, quia quaſi *medium* aliquod verbum eſſet, inter activum & paſſivum.

Hujus autem uſus, & vera ſignificandi ratio diu ignota fuit eruditis; qui in eo tantum conſiſtere hujus verbi vim putarunt, ut alia tempora active, alia paſſive caperentur: imo eadem tempora, modo active, modo paſſive, ſignificarent.

Tandem Cl. *L. Kuſterus*, vir Graece ſcientisſimus, et in indole Linguae Graecae verſatiſſimus, diſſertatione de *Verbis Mediis* edita, aliam plane viam ingreſſus eſt, et, multis veterum locis in medium allatis, oſtendit, hujus verbi *medii* uſum non ſolum conſiſtere in ſimplici, vel *activa*, vel *paſſiva*, ſignificatione, ſed in virtute quadam, quae inter utrumque media eſſet, ſive, quae ſimul *active* ſimul *paſſive*, eſſet intelligenda; adeoque, quae *reciprocam* efficeret ſignificationem: per quam, nimirum, *ipſi a nobis* aliquid pati intelligimur, vel etiam ab altero, no-

noſtro *juſſu* et *voluntate*; ita ποιεῖν λόγον τινὶ, Activa ſignificatione, notat, *ſermonem alicui facere*, ſeu, Latinius, *facere copiam dicendi alicui:* Graecum vero ποιεῖσθαι λόγον ſignificat, veluti, *ſibi ipſi ſermonem facere*, vel *copiam facere orationis habendae:* id quod ſimpliciter Latini fere dicunt, *verba facere*, *orationem habere.* Ab hoc genere differt maxime, quando *paſſive* dicitur ὁ λόγος ποιεῖται: id enim ſonat *ſermo habetur*, vel *oratio habetur.* Alterius ſignificationis *mediae* exemplum praebet verbum κείρειν, vel κεῖραι, quod eſt *tonſorum*, qui *tondent* aliquem: *Medium* vero κείρασθαι proprie quidem ſignificaret *tondere ſe*, ſed plerumque ſumitur, pro *ſe tondendum praebere alteri;* adeoque de eo dicitur, qui, *ſuo juſſu et voluntate*, *aliquid patitur ab alio.* Cernitur adeoque facile in hiſce vis diverſa, et ab *activo*, et a *paſſivo*: quare etiam *media*, ſeu Graece μέσα, haec verba vocantur.

Poſt *Kuſterum*, *Joannes Clericus*, vir doctiſſimus, ſed ſeverioribus ſtudiis magis addictus, quam iis rebus, quibus, ad linguæ alicujus indolem perſpiciendam, aditus paratur, *Kuſteri* ſententiam deſtruere conatus eſt, et verba *media*, neque formatione, neque ſignificatione, proprie differre ab *activo* et *paſſivo* voluit. *Kuſteri* partes ſecutus *Clerico* ſe objecit *Chriſtophorus Wollius*, utroque longe inferior; neque huic liti dirimendae par: qui contendit, verba *media*,

non tantum *ſignificatione*, ſed etiam *formatione*, ab *activo* et *paſſivo* eſſe diverſa.

Hac ratione, quod proſpere ſatis feliciterque ceſſerat *Kuſtero*, male *Clerico*, *Wollio* ceſſit peſſime. *Kuſterus* enim uſum horum temporum, quae verbo *medio* adſcribuntur, tantum reſpexit, et ſignificandi rationes, in multis, ab *activa* et *paſſiva*, virtute diverſas eſſe, oſtendit; de formatione ipſa non ſollicitus: *Clericus* vero, ut probaret, verba *media* nulla eſſe, ipſe quoque ſignificandi *rationem* et *uſum* (in quo non valde verſatus erat ille) in dubium vocavit; *Wollius* utrumque probare conatus eſt.

Quod ad ſignificandi rationem, et uſum multorum verborum, attinet, non tantum, quae *media* dicuntur, ſed etiam *aliorum temporum*, quae, vel ad activum, vel ad paſſivum vulgo referuntur, vera eſt *Kuſteri* ſententia: quod vero ad formationem, recte exiſtimavit *Clericus*, eam convenire cum verbis activis et paſſivis; tametſi ipſe veram formandi viam ignoravit.

Ab hac ſententia *Wollius*, neque *Kuſterum* tantum de *uſu*, et *ſignificatione*, loqui animadvertens, neque analogiae ulla gaudens cognitione, *exteriorem* temporum *formam* cum *ſignificandi virtute*, male confudit. Itaque, ut ſignificationem *mediam* multis verbis, ſeu temporibus mediis, (quemadmodum *praeſenti*, *aoriſto primo*, aliisque) cum *Kuſtero* concedimus; ita e contrario,

ra-

ratione formationis, ab *activo* et *paſſivo* diverſum *medium* eſſe verbum negamus. Ne de *praeſenti* et *imperfecto* dicam, (quae paſſivo ſimilia ipſi grammatici vulgo ſtatuunt;) qui meminerit eorum, quae de *aoriſto* primo, *futuro* primo, et, quod praeterea adnumeratur, *futuro ſecundo* dixi; is nullo negotio intelliget, et *aoriſtum* primum, et haec *futura*, formatione ad *paſſivum* pertinere, et quidem, *futura* ſecunda oriri vulgo a forma verbi *obſoleta*, quae uſitatae ſit vicina. Vidimus, nimirum, futurum paſſivi formari ab activo, ω in ομαι mutando: atque ad hanc rationem, a futuro activo τύψω, fieri τύψομαι; a futuro activo alius formae τυφθήσω, τυφθήσομαι.

Neque alia ratio eſt futuri ſecundi, quod dicitur, τυπῦμαι; quod a futuro Jonico τυπέω: unde primum τυπέομαι et dein contr. τυποῦμαι.

Superſunt itaque *aoriſtus ſecundus*, *praeteritum perfectum*, et *pluſquamperfectum*. Et *aoriſtus* quidem *ſecundus* nihil aliud eſt quam *imperfectum* paſſivi, a diverſa verbi forma ortum. Sicut enim a τύπτομαι, eſt ἐτυπτόμην, ita a τύπομαι, verbi τύπω, eſt ἐτυπόμην. Quod autem ad reliqua duo tempora attinet, *perfectum* et *plusquamperfectum*, pertinent haec ad ſua tempora Activi; et quidem, ſicut praeteritum perfectum Activi formatur, v. gr., τέτυφα a τύπτω, ita quoque *praeteritum*, quod dicitur, *medium*. Plane enim eodem modo formantur τέτυπα et τέτυφα: ſi modo obſerventur ea, quae de *literarum* vicinarum *permu-*

mutatione in temporibus, dicta ſunt ſupra. τέτυπα autem, a forma obſoleta τύπω eſt; τέτυφα vero, ut ſupra vidimus, repetendum a τύπτω: niſi malis ſtatuere, *praeterita perfecta*, in quibus *adſpirata* litera eſt, proprie orta eſſe a formis verborum, per *adſpiratam* quoque, pronunciatis; ut, ad hanc rationem, τέτυφα ſit a τύφω, quemadmodum, quod vulgo praeteritum *medium* eſſe dicunt grammatici, κέκυφα, non ab uſitato κύπτω, ſed a vicina forma κύφω, derivant.

Hac ratione de perfecto activi et medii in univerſum dici poteſt, *idem* non tantum eſſe *tempus*, ſed etiam, in ejus formatione, eandem retineri conſonam, quae in *praeſenti* ſit; niſi durior concurſus literarum id impediat.

Ne autem quem offendant ea praeterita perfecta media, in quorum penultima eſt litera ο, pro ε; ſicut λέλοχα a λέγω: obſervandum eſt, hoc non adeo diverſi temporis characterem eſſe, quam a diverſa dialecto vel pronuntiatione repetendum. Ita, teſtantibus grammaticis, praeterita activa, apud Atticos ſunt βέβροχα a βρέχω; κέκλοφα a κλέπτω; quae ceteroquin pronunciari deberent κέκλεφα, βέβρεχα; quemadmodum a λέγω eſt λέλεχα; cujus loco Attici itidem malunt εἴλοχα. In his autem omnibus fortaſſe non adeo mutatio literae ε, in ο, primum locum habuit, ſed diverſae verborum formae vicinae originem dediſſe videntur huic mutationi: ut adeo εἴλοχα revera pertineat ad obſo-

lo-

letam formam λόχω; βέβροχα ad βρόχω, atque ſic in aliis.

Ut ut eſt, illud certum eſſe videtur, ex iis, quae jam ſupra ad activum, de praeterito perfecto dixi (ſi cum his componantur) non aliam hujus atque *praeteriti activi* formationem ſtatui poſſe: atque adeo *unum idemque* tempus eſſe, quod, pro diverſa ſignificandi ratione, modo ad *activum*, modo ad *medium* verbum, retulerunt grammatici.

Sicut autem praeteritum perfectum, ita plusquamperfectum, quod dicitur Medii, ab illo Activi, non differt. Quemadmodum enim ἐτετύφειν fit a τέτυφα, ita ἐτετύπειν, quod medium dicitur, a τέτυπα manifeſtum eſt oriri: atque ſic in reliquis verbis omnibus.

Similis porro ratio eſt modi Imperativi, aliorumque: ut adeo facile appareat, ratione *formationis*, verbum medium diverſum ab *Activo* et *Paſſivo* nullum eſſe. Quaenam vero tempora hujus verbi, quod dicitur, medii, *activa*, quaenam *paſſiva*, aut etiam virtute *media*, gaudeant: uſu praeſertim, et lectione veterum ſcriptorum cognoſci poteſt. Legi inprimis hac de re meretur ſupra commemorata *Kuſteri* diſſertatio, *de verbis mediis*: [edita primum Pariſiis An. 1714. dein vero repetita L. B. An. 1717.] qui tamen omnia, quae ad hanc Linguae Graecae partem pertinent, pertractaſſe minime cenſendus eſt.

At-

Atque haec de formatione (quantum ſcopo noſtro inſervire poſſe arbitramur) verborum, quae vulgarem flectendi rationem ſequuntur. Ex quibus facile intelligitur, in omnibus iis verbis, quae vulgo in varias claſſes a grammaticis diſtribuuntur, dum diverſas numero conjugationes ſtatuunt, eandem flectendi rationem locum habere: atque adeo *unicam* tantum *conjugationem*, ſeu *flectendi rationem*, per tempora eſſe, exceptis verbis in μι; de quibus nunc breviter quaedam reſtant monenda.

CAPUT NONUM.

DE

Verbis in μι eorumque formatione.

Multa ſunt, quibus probari poſſit, ne haec quidem verba, antiquiſſimis Graecorum temporibus, atque adeo in prima Linguae Graecae infantia, a reliquis formatione diverſa fuiſſe: ſed uno eodemque modo omnia eſſe formata. Hoc tamen quum et ab inſtituto noſtro alienum ſit, & exquiſitiorem, penitioremque, cognitionem, cum linguae ipſius ejuſque dialectorum, tum aliarum rerum requirat: Linguam Graecam, prout, florentibus Graecis, ea viguit, atque, per monumenta vetera, ad noſtram cognitionem pervenit, tantum conſiderabimus; atque analogiam, in verbis in μι, a reliquis quidem, in nonnullis temporibus, parumper deflectentem, in ipſis autem verbis in μι, amice conſpirantem, in primis explicabimus.

Generatim autem hic obſervandum, ea tempora horum verborum, quae aliter flectuntur atque in reliquis verbis, diverſum, ad quod referenda ſint, thema habere videri, quam ea, quae cum reliquis verbis conveniunt; quaeque eandem, ac verba *pura*, in ω, flexionem et terminationem ſequuntur.

Ita

Ita praeteritum perfectum τέθεικα ortum eſt a θείω, pro θέω: inde autem plusquamperfectum ἐτεθείκειν; ſicut a πεποίηκα, ἐπεποιήκειν. Porro a θέω eſt ἔθηκα, ſed, in hoc aoriſto, pro σ, ſicut in pauciſſimis aliis, reperitur κ: ut jam antea, ubi de praeteritis reliquorum verborum egi, [pag. 73.] me monere memini.

Ab eodem themate θέω eſt futurum θήσω; atque eadem ratio horum temporum eſt, in reliquis verbis in μι.

Superſunt itaque tantum tempora, *praeſens*, *praeteritum imperfectum*, et *aoriſtus*, qui dicitur, *ſecundus*; a reliquorum verborum rationibus recedentia. Quod autem ad *praeſens*, ut τίθημι, (cujus loco antiqui ſcripſerunt τίθεμι) vulgaris opinio eſt, formari haec verba a verbis puris, ω, in μι mutando; et litera initiali ι repetenda: ut, ea ratione a θέω ſit τίθεμι, a δόω, δίδομι, atque ſic in reliquis. De vocalium enim *brevium* in *longas* mutatione, in quibuſdam perſonis, hic non agitur, quum haec ſcribendi ratio recentior ſit, neque adeo ſpectanda, in antiqua verborum et temporum formatione.

Qui conſideraverit attentius horum verborum in μι flexionem, per varia *tempora*; ac praeterea diverſa hujus generis verba inter ſe comparaverit; facile in eam opinionem veniet, in his verbis, non tam ω in μι mutari, quam terminationem hanc μι, (aliunde adjectam) verbis non tam in ω deſinentibus adjungi, quam ſimpliciter ca-

cadentibus in quinque vocales naturales ο, α, ε, ι, υ: ſive verba ea ſint *monoſyllaba*, ſive e pluribus conſtantia ſyllabis; ſive, a principio reduplicatione aucta, quemadmodum δό ea ratione parere potuit δόμι; addita aliunde terminatione ſive ſyllaba μι. Sic στά, στάμι; unde deinceps ἵστημι: θέ, θέμι: ἰ, ἴμι; cui vicinum εἰμι: δυ, δύμι: atque ita in reliquis.

Hoc enim ſi admittatur, mox amica horum, cum reliquis verbis, conſpicietur convenientia; in plerisque ſaltem temporibus; imo ſimplicior etiam in his verbis, quam in reliquis, analogia: ut adeo dubitari non poſſit, quin hae verborum formae, in μι, reliquis, per ω inflexis, antiquiores ſint; cujus rei luculento teſtimonio *Homerus* eſt, Poëta longe antiquiſſimus; in quo longe plura, hujus generis verba in μι, quam in reliquis ſcriptoribus Graecis, inveniuntur. Accedunt variae Graecorum dialecti & in primis *Aeolica:* quae, quum minorem, quam Attica dialectus mutationem ſubiit, quam plurima etiam verba in μι nobis ſubminiſtrat; qualia ab Athenienſibus per ω flectuntur.

Vidimus jam in verbo *paſſivo*, praeſens, ut τύπτομαι, per perſonas & numeros, flecti, quaſi quaedam perſonae ſint a τύπτομαι, quaedam a τύπτεμαι; ad eandem rationem ut δίδομαι & τίθεμαι: in quorum priori ubique manet ο, ante terminationes μαι, σαι, ται cet. in poſteriori vero τίθεμαι, ubique manet ε. Tollamus igitur ter-

minationem *primae perſonae* praeſentis temporis μι, & tertiae perſonae, σι; habebimus eandem, quae in reliquis verbis obſervatur, flexionem. Ponamus, τίθεμι, ablatis memoratis ſyllabis μι & σι, perſonas ſuas formare, in

Sing.	Dual.	Plur.
τίθε, τίθες, τίθε.	τίθετον, τίθετον.	τίθεμεν, τίθετε, τίθεσι.

δίδομι autem, ablato μι & σι, ſic flecti, in

Sing.	Dual.	Plur.
δίδο, δίδος, δίδο.	δίδοτον, δίδοτον.	δίδομεν, δίδοτε, δίδοσι.

Quod ſi jam componamus perſonas verborum in ω, videbimus, *primam* Singularis, tum etiam *primam* & *tertiam* Pluralis convenire cum formis verborum in ομι, ablata terminatione μι; ut τύπτο cum δίδο, τύπτομεν cum δίδομεν, τύπτοσι cum δίδοσι. Ita enim tertia pluralis ſeſe habere deberet in δίδομι; quod autem nunc eſt, διδοῦσι, repetendum eſt a forma productiori διδόω: unde multa tempora verbo δίδομι adhaeſerunt. Terminationem autem tertiae pluralis, in antiqua Lingua Graeca οσι fuiſſe, pro ουσι, vel ex eo intelligitur, quod vocales ι & υ *ſubjunctivas* diphthongorum, in plerisque, ignoravit antiqua Graecia. Praeterea *ſecunda* & *tertia* Singularis, *ſecunda* & *tertia* Dualis, & *ſecunda* Pluralis conve-

veniunt cum formis verborum in εμι. Ita τύπτες; ut τίθες; τύπτει ut τίθει; ablata, nempe, (quemadmodum dixi) terminatione σι. Sic in dual. τύπτετον ſimile eſt *ſecundae* & *tertiae* τίθετον; *ſecunda* pluralis τύπτετε ſimilis eſt *ſecundae* pluralis τίθετε. Sic, nimirum, olim has perſonas inflexas fuiſſe, conſtat.

Flexio itaque verborum, in ω deſinentium, partim cum verbis in εμι, partim cum verbis in ομι, convenit; &, ex utriusque generis flexione, veluti, compoſita poteſt videri: quum eadem in verbis in μι ſimplex adhuc ſit. Ita ut terminationes in

Sing.	Dual.	Plur.
μι, ς, σι.	τον, τον.	μεν, τε, σι.

verbis *nudis*, in unam ex quinque vocalibus deſinentibus, additae, perſonas & numeros diſtinguant: ad quam regulam generalem omnia verba in μι, ſine diſcrimine, reduci poſſunt; ſi modo obſervetur, *tertias* pluralis, in quibusdam, pertinere ad formas productiores *puras*, quae contractionem ſunt paſſae; cujus indicio eſt *circumflexus* ſupraſcriptus. Hoc tamen, in multis, non fit. Ita verbum φαμὶ, cujus loco dein pronuntiarunt φημὶ, *tertiam* pluralem habet φασὶ: quaſi ortam a verbo nudo φάω. Atque ſic in aliis.

Percurramus jam omnia, quae vulgo, tanquam paradigmata, diverſarum conjugationum in μι, exhibentur a grammaticis vulgaribus: nihil inveniemus, quod non huc referri poſſit; nihil itaque, quod *diverſam* conſtituat conjugationem. Si enim addideris verbis nudis τίθε, ἵστα, δίδο, ζεύγνυ, terminationes memoratas; orietur antiquum *praeſens* in

Sing.	Dual.	Plur.

τίθεμι, τίθες, τίθεσι. τίθετον, τίθετον. τίθεμεν, τίθετε, τιθέεσι. Unde τιθεῖσι, quaſi a τιθέεμι.

Sic in

Sing.	Dual.	Plur.

ἵϛαμι, ἵϛας, ἵϛασι. ἵϛατον, ἵϛατον. ἵϛαμεν, ἵϛατε, ἵϛασι. Pro ἵϛασι, iterum ἱϛᾶσι, quaſi ab ἱϛάαμι.

Similiter in

Sing.	Dual.	Plur.

δίδομι, δίδος, δίδοσι. δίδοτον, δίδοτον. δίδομεν, δίδοτε, δίδοσι. Unde διδοῦσι, quaſi pro διδόοσι, a διδόω.

Tandem in

Sing.	Dual.	Plur.

ζεύγνυμι, ζεύγνυς, ζεύγνυσι. ζεύγνυτον, ζεύγνυτον. ζεύγνυμεν, ζεύγνυτε, ζεύγνυσι: & pro hoc ζευγνῦσι, q. a ζευγνύυμι.

Ex

Ex quibus, mutata parumper orthographia quorumdam, praeſentia ea oriuntur tempora, quae hodie in libris Graecorum inveniuntur, per perſonas inflexa.

Quod ſi porro in memoriam revocamus ea, quae ſupra, de aliorum verborum flexione, dixi, facile ad eandem rationem analogicam exigi poſſe haec verba, adparebit, quae vulgo maxime pro anomalis habentur.

Videamus v. gr. verbum εἰμὶ *ſum*. Hujus perſonae oriuntur a formis vicinis: & quidem ἔμι, & ἔεμι. Eſtque ab ἔεμι verbum εἰμὶ, facta contractione: praeterea ſecunda ἔες contracta in εἶς; quae *ſecunda* perſona, frequenti loquentium uſu, ipſam quoque literam σ amiſit. Ab eadem autem forma itidem *tertia* pluralis εἰσὶ repetenda. Porro, ab altera forma ἐμὶ, cujus loco, geminato μ, Aeoles pronuntiarunt ἔμμι, *tertia* ſingularis eſt ἐσὶ, &, ejus loco, dein ἔτι: quod convenit cum Dorica dialecto. Σ enim, a Doribus ſaepe hoc modo, in ipſo hoc verbo, in τ mutatur. Loco autem *tertiae* perſonae ἐτὶ, inſerta litera σ, ut ſaepe in hoc verbo fieri videmus; tum etiam in aliis, quamplurimis, praecipue in dialecto Dorica (quemadmodum τυπτόμεσθα, pro τυπτόμεθα, & ſimilibus) pronunciari ſolet ἐϛί. Praeterea ἐτὸν, ἐτὸν, & rurſus, inſerto σ, ἐϛὸν ἐϛόν. In plurali ἐμὲν, quod ipſum uſurpatum a Callimacho, vulgo tamen etiam, aſſumit σ; atque ſic *ſecunda* plural. ἐτὲ, & ejus loco ἐϛέ: ac

tandem Doricum in *tertia* plurali ἐντὶ, ſicuti, a τίθεμι, Dorice flectitur τίθεντι; a τύπτω, τύπτοντι; a δίδωμι, δίδοντι; atque ſic in aliis.

Sequitur verbum εἶμι *eo*, quod *perſonas* accepit, partim ab eadem forma, a qua praecedens verbum ἔεμι, partim a vicina forma ἴμι. Et quidem, a priori ſunt in Singulari ἔέμι & contracte εἶμι; ἔες, εἷς; ἔεσι, εἶσι: atque ita in *tertia* Pluralis, ſimiliter, ut τιθεῖσι. Ab ἴμι vero ſunt in Duali ἴτον, ἴτον, in plurali ἴμεν, ἴτε. Huic verbo ſubjungitur paradigma ἵημι *mitto*, quod a verbo τίθημι non recedit. Porro ἧμαι & κεῖμαι: quae ad *paſſivum* pertinent. Dein ἵσημι, quod cum ἵςημι componendum; quemadmodum etiam φημί. Haec de PRAESENTI.

Sequitur IMPERFECTUM ſicut ἐτίθην & alia. Vidimus, in aliis verbis fieri id a *praeſenti*, praeponendo augmento, & terminatione ω in ον mutanda. Quum autem antiquitus in Alphabeto Graeco non exſtiterit litera ω, ſed ejus loco ο ſcriberetur, apparet facile, in verbis etiam, in ω cadentibus, formationem hujus temporis *imperfecti* abſolvi, poſtremae vocali addenda litera ν (augmenti enim ratio in utroque genere verborum eadem eſt) ut τύπτω, τύπτον, &, cum augmento, ἔτυπτον: atque ita in aliis. Jam vero non alia ratio verborum in μι eſt: ſi modo terminationem μι & σι *tertiae* perſonae, aliunde adſumtam, omittamus. Ita a τίθε, pro τίθεμι, fit, addendo ν, τίθεν: cum augmento ἐτίθεν, cujus

jus loco, deinceps inventa litera η, pronunciatum fuit ἐτίθην. Similiter, a δίδο eſt imperfectum ἔδιδον, formatum ut ἔτυπτον; ab ἵστα eſt ἵσταν &, α in η mutato, ἵστην; a ζεύγνυ, eſt ἐζεύγνυν.

Videamus jam flexionem, quae ipſa quoque eadem proprie eſt, quae reliquorum verborum: ita tamen, ut, in verbis in ω, quemadmodum in *praeſenti* compoſita, ita hic ſimplex ſit. Flectitur, nimirum, proprie in

Sing. Dual. Plur.

ἐδίδον, ἐδίδος, ἐδίδο. ἐδίδοτον, ἐδιδότην. ἐδίδομεν, ἐδίδοτε, ἔδιδον, vel, quod, ejus loco, ponitur in *tertia* plurali (ex Dorica dialecto repetendum) ἐδίδοσαν.

Similiter in

Sing. Dual. Plur.

ἐτίθεν, ἐτίθες, ἐτίθε. ἐτίθετον, ἐτιθέτην. ἐτίθεμεν, ἐτίθετε, ἔτιθεν, vel ἐτίθεσαν. Convenit itaque *imperfectum* verborum in ω rurſus cum formis verborum in ομι & εμι: ita ut *prima* Singularis, *prima* & *tertia* Pluralis, verborum in ω, ad normam verborum in ομι, flectantur; reliquae autem perſonae reſpondeant iis verborum in εμι. Dicitur enim ἔτυπτον, ſicut ἔδιδον: *prima* pluralis ἐτύπτομεν, ſicut ἐδίδομεν: *tertia* plural. ἔτυπτον, ſicut ἔδιδον: Ubi obſervandum, terminationem σαν (quemadmodum in ἐτύπτοσαν, ut ἐδίδοσαν inflexo)

 in

in primis in dialecto *Tarentina*, (quae Doricae ſubjecta eſt) locum habuiſſe pro ſimplici ν; ut in ἔτυπτον, quod Atticae dialecti eſt.

E contrario verba, in *tertia* perſona plurali inflexa, ut ἔδιδον & ſimilia, potiſſimum Boeotis placuerunt; quum ἐδίδοσαν, & ſimilia, in communi Graecorum dialecto, uſurpari ſolerent. Jam vero *ſecunda* & *tertia* Singularis, *ſecunda* & *tertia* Dualis, & *ſecunda* Pluralis, conveniunt cum verbis in εμι: ſicut in Singulari ἔτυπτες, ἔτυπτε, ſimiliter flectuntur, ut ἐτίθες, ἐτίθε; *ſecunda* & *tertia* Dualis ἐτύπτετον, ἐτυπτέτην; ut ἐτίθετον, ἐτιθέτην; *ſecunda* pluralis ἐτύπτετε, ut ἐτίθετε. Quae itaque, in verbis ω, *compoſita* flectendi ratio eſt; ea, in verbis in μι eſt *ſimplex*: ita ut omnia verba in μι flectantur per perſonas, additis hiſce terminationibus, in Singulari ν, σ, dum tertia nihil adſciſcit; in Duali τον, την; in Plurali μεν, τε, ν vel σαν. Hac ratione, ſicut a τύπτω fit ἔτυπτον, ita a τίθε (omiſſo, nimirum, μι adſcititio) fit in

Sing.	Dual.	Plur.

ἐτίθεν, ἐτίθες, ἐτίθε. ἐτίθετον, ἐτιθέτην. ἐτίθεμεν, ετε, εν, vel εσαν. Ab ἵσα, in

Sing.	Dual.	Plur.

ἵσαν, ἵσας, ἵσα. ἵσατον, ἱσάτην. ἵσαμεν, ἵσατε, ἵσαν, vel ασαν.

Α διδο

A ἐδίδο

Sing.	Dual.	Plur.

ἐδίδον, ἐδίδος, ἐδίδο. ἐδίδοτον, ἐδιδότην. ἐδίδομεν, ἐδίδοτε, ἔδιδον, vel ἐδίδοσαν.

A ζεύγνυ porro, in

Sing.	Dual.	Plur.

ἐζεύγνυν, ἐζεύγνυς, ἐζεύγνυ. ἐζεύγνυτον, ἐζυγνύτην. ἐζεύγνυμεν, ἐζεύγνυτε, ἐζεύγνυν vel ἐζεύγνυσαν.

Atque hinc, orthographia ad recentioris Alphabeti normam mutata, flexio ea, quae hodie in libris Graecorum cernitur, nata fuit.

Obſervandum autem eſt, pro his *imperfectis* temporibus, plerumque uſitatiores eſſe imperfectorum formas, a verbis derivatis *puris* ortas. Ita, quod vulgo exhibetur ἐτίθουν pro ἐτίθεν eſt a τιθέω; ἐδίδουν a διδόω; atque ita in aliis nonnullis, ubi uſus conſulendus eſt.

Huc porro refer anomala, quae dicuntur, & primo quidem ἦν ab εἰμὶ *ſum;* quod cum reliquis convenit: modo obſervetur, contractionem in eo factam eſſe ex ἔεν, quod pertinet ad ἕμι; cujus imperfectum ἕν, &, addito augmento ἔεν, ſic ut a τίθεμι, ἐτίθεν. Flectitur autem hoc tempus in

Sing.	Dual.	Plur.

ἔον, ἔες, ἔε. ἔετον, ἐέτην. ἔεμεν, ἔετε, ἔεν, vel ἔεσαν. Idem autem, contractum, produxit ἦν, ἦς, ἦ, cujus loco in tertia ἦν, cum addito ν, in libris Atticorum reperitur, in Duali ἦτον, ἤτην, in Plurali ἦμεν, ἦτε, ἦν, vel ἦσαν: in quorum perſonis quibusdam, etiam, ut in praeſenti, σ interponitur. Quod autem vulgo addunt huic verbo, tanquam *imperfectum* activi ἤμην, alienum eſt. Pertinet enim ad *paſſivum*, ut deinceps videbimus.

Sequitur imperfectum verbi εἶμι eo, quod partim ab eodem themate ἔμι, partim ab ἴμι ſuas accepit perſonas, & quidem ab ἔμι ſunt, *prima*, *ſecunda*, *tertia* Singularis ἔεν, ἔες, ἔε, &, ſimili contractione facta, ut in εἶχον, pro ἔεχον, horum loco εἶν, εἶς, εἶ. Reliquae autem perſonae pertinent ad ἴμι; ut, in Duali ἴτον, ἴτην, in Plurali ἴμεν, ἶτε, ἴσαν.

Imperfectum autem verbi ἵημι, ἵην plane convenit cum ἐτίθην; ἵστην vero, a verbo ἵστημι, cum ἵστην ab ἵστημι.

Sequitur AORISTUS, qui dicitur, SECUNDUS; qui, ut in aliis verbis, idem quod *imperfectum*, &, eodem plane modo, a ſuis propriis thematibus formatur. Ἔθην itaque pertinet ad θέμι, ſicut ἐτίθην ad τίθημι; ἔστην ad στήμι; ut ἵστην ad ἵστημι: niſi quod, in altero, augmentum additur; in altero omittitur. Sic ἔδων ad δώμι, ut ἐδίδων ad δίδομι. In ζεύγνυμι autem aoriſtus ſecun-

cundus nullus exhibetur: cujus rei cauſa non alia eſt, niſi quod alius formae *imperfectum* nullum invenerunt grammatici, quod, tanquam *aoriſtum ſecundum*, huic verbo adjungerent. Idem accidit verbo εἰμὶ *ſum*; cui etiam nullus aoriſtus ſecundus adſignatur. In verbo autem εἶμι *eo*, aoriſtus ſecundus, qui exhibetur, ἶον, ἶες, ἶε, revera *imperfectum* eſt verbi ἴω; ut ἔτυπτον inflexum per perſonas; quocum etiam convenit formatione. Porro ad ἵημι *mitto*, referunt vulgo *aoriſtum* ἧν, quod proprie ab ἕμι; unde in Singulari ἕεν, contracte ἧν; ἕες, ἧς; ἕε, ἧ; in Duali, praetermiſſo augmento ἕτον, ἕτην; in Plurali ἕμεν, ἕτε, ἕσαν. Aoriſtus ſecundus autem verbi φημὶ, eſt ἔφην. Similiter atque imperfectum: ut idem eſſe tempus facile appareat, quod cum ἵστημι flexione convenit.

Reliqua tempora INDICATIVI, ad regulas, ante traditas, facile exigi, &, ad ſua quaeque themata referri, poſſunt.

Sequitur IMPERATIVUS, quemadmodum τίθετι, ubi, ſi terminationem θι, aliis etiam verbis interdum additam, auferas, habebis τίθε, verbum nudum, quod cum τύπτε plane convenit. Atque ſimilis ratio eſt verborum ἵσαθι, δίδοθι, ζεύγνυθι. Tempus itaque hoc conſiſtit ex verbo nudo, in unam e *quinque* vocalibus cadente, cum addita ſyllaba θι, quae orta videtur ex ſyllaba, *ſecundae* perſonae, ut ſupra vidimus, adjici ſolita, σι. Literae enim σ, θ, &

& τ, ſrequentiſſime inter ſe permutantur; praeſertim in verborum declinatione. Flexio autem per *perſonas* perficitur; verbo nudo addendis terminationibus, in

Sing.	Dual.	Plur.
θι, τω.	τον, των.	τε, τωσαν, vel hujus loco, των

apud Atticos. Habemus hac ratione *imperativum* in Sing. τίθετι, (θ enim hic, ob praecedentem adſpiratam, in τ mutatur:) τιθέτω; in Duali τίθετον, τιθέτων. In Plurali τίθετε, τιθέτωσαν. Simili ratione flectuntur δίδοθι, ἵσαθι, & ζεύγνυθι. Quae vero praeterea his verbis tribuuntur *tempora*, *imperativa* Attica ut τίθει, δίδου cet., a formis verborum aliis ſunt; quemadmodum τίθει pro τίθεε, proprie eſt a τιθέω, ſicut ποίει pro ποίεε, a ποιέω: atque ſic in reliquis. Huc porro referenda, quae dicuntur, anomala ἴσθι ſecunda perſona praeſentis imperativi, quod eſt pro ἴθι, a verbo obſoleto ἴμι. Quae porro adjungitur, *ſecunda* perſona ἴσο, cum *paſſivo* convenit; quod ab ἴμι ut τίθεσο, imperativus, a Verbo τίθεμι; quod formatur ut ποίεσο, cujus loco dicitur ποιοῦ: quemadmodum Attici quoque τιθοῦ pronunciant. Tertia ἴσω atque Dualis ἴσον, ἴσων, & Pluralis ἴσε, ἴσωσαν, eandem ſequuntur tionem, quae eſt *tertiae* τιθέτω & reliquarum perſonarum, per numeros, inſerto ſolummodo

do σ, more fere, in hoc verbo ſolemni. Oriuntur autem hae perſonae omnes a forma praeſentis indicativi ἵεμι.

Porro ἴθι *imperativus* verbi εἶμι *eo* cum reliquis ſuis perſonis referendum eſt ad ἴμι, tum ἵεθι oritur ab ἵεμι: ad quod vulgo etiam refertur. Praeterea ad ἵσαμι pertinet imperativus ἵσαθι, cum reliquis perſonis; ad eandem normam formatus ut ἵςαθι ab ἵςαμι. Idem autem contracte effertur ἴσθι in *tertia* ἴςω &c. niſi malis ſtatuere, ἴσθι *ſciendi* notione etiam proprie ortum eſſe ab ἴμι, interpoſito, ut ſupra vidimus, σ. Reperitur porro, verbi φημὶ, imperativus φάο apud *Homerum*; ſed proprie pertinet ad *paſſivum*, &, ſicut ab ἵςασο ſecunda imperativi paſſivi eſt ἵςαο (contracte ἵςω) ita a φάσο eſt φάο: e *paſſivo*, nempe, verbi φαμὶ, quod forma tantum differt a φημί.

Sequitur jam (praeter ea tempora, quae plane conveniunt cum iis reliquorum verborum imperativis) AORISTUS SECUNDUS. Dixi ſupra, terminationem θι ortam eſſe ex σι. Hanc itaque ſyllabam ſi addideris, habebis proprium tempus, quod *aoriſtus* dicitur *ſecundus*. Ita a θέμι, ablato μι, fit θέσι, &, omiſſo in ſecunda perſona θὲς, θέτω cet. In aliis autem, loco σι, ut in *praeſenti*, maluerunt θι. Ita a ςῆμι, eſt ςῆθι, vel antiquum ςάθι a ςάμι: quod cum ἵςαθι convenit, formato ab ἵςαμι. Sicut autem θὲς a θέμι, ita δὸς a δόμι oritur: atque eadem ratio reliquorum verborum, ubi hoc tempus reperitur. Conve-

venit igitur formatione, cum ante memorato tempore Imperativi; eſtque non aliud quam *praeſens*, vel *imperfectum*, imperativi. Porro aoriſtus ſecundus, qui verbo εἶμι, *eo*, tribuitur, ἴε, fit a verbo ἴω, ſicuti τύπτε a τύπτω: aoriſtus vero ſecundus ἕς, qui refertur ad verbum ἵημι, eſt ab ἕμι; ſicuti θές a θέμι.

Imperativo ſubjungo OPTATIVUM, qui, primo adſpectu, vehementer videtur differre ab illo aliorum verborum; neque tamen, ſi rite res conſideretur, adeo multum differre apparebit. Praeter tempora, quae cum iis reliquorum verborum conveniunt, *praeſens* & *aoriſtus ſecundus* ſunt: quorum diverſa formatio locum habere videtur, neque tamen revera habet.

Ponamus utriusque temporis (quod proprie idem eſt) formationem abſolvi, ante terminationes temporum cognatorum *imperfecti*, & *aoriſti ſecundi*, indicativi, verbo nudo adjecta, inſerendo literas ιε; ita ab ἐτίθεν, omiſſo augmento, fit τιθείεν, &, vocali brevi in longam mutata, τιθείην. Similiter ab ἔθεν fit θείην; ab ἵσαν, ἱσαίην; ab ἔσαν, σταίην; ab ἐδίδον, διδοίην; ab ἔδον, δοίην ab ἔεν, verbi εἰμὶ *ſum*, omiſſo augmento, εἴην, ſicut τιθείην; atque ita ad verbum εἶμι *eo*, optativus refertur εἵην, ubi *aoriſtus ſecundus*, qui dicitur, ἴοιμι fit ab ἴω, ſicuti τύπτοιμι a τύπτω.

Porro ab ἵην verbi ἵημι, eſt ἱείην; aoriſtus vero ſecundus εἵην pertinet ad ἕεν verbi ἕμι. Ad verbum autem φημὶ, unde ἔφην, referendum φαίην,

for-

formatum, ut σταίην, ab ἔσταν. Flectuntur autem haec tempora eodem plane modo, quo imperfecta indicativi.

Obſervandum tamen eſt, poſt longas vocales introductas, pro literis ιε poſitas fuiſſe ιη, in omnibus perſonis: excepta tertia plurali; ubi εῖεν eſt; ut in τιθεῖεν, διδοῖεν. Addita vero terminatione σαν in loco literae ν, de qua ſupra dictum, longam receperunt: ut in τιθείησαν cet. Cum iis autem, in ιεν cadentibus, tertiis pluralibus, plane conveniunt tertiae plurales reliquorum verborum. Ita a τύπτοιμι tertia pluralis eſt τύπτοιεν; a ποιέοιμι, ποιέοιεν, &, contracte ποιοῖεν; quo cum plane convenit διδοῖεν: ubi itidem *circumflexus* contractionis indicium eſt. Eſt nimirum διδοῖεν, pro διδόοιεν a prima διδοοίην, verbi διδόομι; atque ſic in reliquis.

Imo, ſi ulterius inquiramus in veram horum temporum analogiam, apparebit, eandem plane, in omnibus verbis, rationem locum habuiſſe, & antiquum optativum v. gr., verbi τύπτω, fuiſſe quoque τυπτοίην, atque ita in reliquis: cujus generis *tempora optativa*, quemadmodum τυπτοίην, ποιεοίην contracte ποιοῖην, in Attica dialecto, potiſſimum conſervata fuerunt. Addita autem huic tempori, ſicut in Indicativo vidimus, ſyllaba μι, ad morem verborum in μι, ab hoc tempore, veluti, formata ſunt Optativa, in ειμι cadentia. Sic a τύπτοιεν, vel, praetermiſſa terminatione imperfecti temporis ν, τύπτοις, ortum

tum videtur τυπτοίεμι, & inde τύπτοιμι; atque ita in reliquis. Similis ſane omiſſio cernitur literae ε in flexione verborum in μι; ubi non tantum in Plurali eſt διδοίημεν, διδοίητε, ſed etiam διδοῖμεν, διδοῖτε; ut ποιοῖμεν, ποιοῖτε; a διδόοιμεν, διδόοιτε, verbi διδόοιεν vel διδόοιμι, quod ab indicativo διδόεμι, vel διδόω: atque ſimilis ratio eſt aoriſti ſecundi.

Reliqua tempora, ſimili modo, facile ad analogiam exigi poſſunt: modo ad literas *originales*, in verbis nudis, attendamus.

Subjunctivus a reliquorum verborum ſubjunctivo proprie non differt: modo ea obſerventur, quae de diverſis verborum formis, ſeu earum temporibus, ad unum thema uſitatum a grammaticis redactis, ſaepius diximus; tum illa, quae de *flexione per perſonas*; in aliis ſimplici, in aliis verbis compoſita, monuimus.

Infinitivus praeſens, ſicuti τιθέναι, formatur, verbo nudo addenda terminatione ναι. Ita a τίθεμι, ablato μι, fit τιθέναι; atque ſic ἱστάναι, διδόναι, ζευγνύναι; quam formandi rationem antiquioribus Graecorum temporibus quoque locum habuiſſe in aliis verbis, concludere licet, ex *praeterito*, ut τετυφέναι, & ſimilibus. Ita v. gr. formatum τυπτέναι, quaſi ab antiquo τύπτεμι, unde deinceps, ablata terminatione αι, oriri potuit antiquus Infinitivus τύπτεν, qui deinceps, in dialecto Dorica, remanſit; quum Attici, alii-

aliique, ι ſubjunctivum adjunxerunt, & pronunciarunt τύπτειν.

Non alia ratio eſt reliquorum temporum Infinitivi. Haec vero, ſi ea, quae hactenus de verbis diſſerui, rite obſerventur, omnia facillime explicari poterunt.

In Participio rurſus, a reliquis verbis, differre videntur *praeſens* & *aoriſtus ſecundus*; ita tamen, ut haec inter ſe conveniant. Revera tamen horum quoque una eademque ratio videtur fuiſſe. Communis enim terminatio fuit νς, verbo nudo adjuncta. Ita a τίθε, praetermiſſo μι, fuit τιθενς, ex quo cauſa repetenda eſt, cur in *genitivis* participiorum horum ν eſt; ut in τιθέντος. Pro τιθενς autem, omiſſo ν, pronunciatum τιθὲς, dein peperit τιθεὶς. Simili ratione ab ἵςα, participium ἱςὰνς fuit; unde caſus obliqui ἱςάντος etc., nec non Latinorum *ſtans*; ubi litera ν; ut in aliis participiis Latinis omnibus, ſervata eſt: manifeſto indicio, antiqua participa Graeca ſimiliter in νς deſiiſſe. Huc refer porro *participium* διδονς; unde διδόντος etc. at hoc, ſicut in θὲς, omiſſa litera ν, & dein addita litera ſubjunctiva, pronunciatum fuit διδούς.

Quae autem deſinunt in ων, participia reliquorum verborum; ut τύπτων etc., ea proprie formata videntur plane ut διδόνς. Sicuti enim a διδονς, genitivus διδόντος; ſic a τυπτονς, genitivus τύπτοντος oriri debuit: uſu autem factum, ut σ finale fuerit ablatum, atque dein vocalis *brevis* in *lon-*

 gam

gam mutata. Sic adeoque pronunciatum τύπτων, pro τύπτον, quorum hoc convenit cum neutro διδοῦ, ubi ſimiliter aufertur ς, retinetur ν. Atque haec quidem hactenus de Activo.

Subjungerem *Paſſivum*, niſi ea omnia, quae ad hoc verbum referuntur, explicari facillime poſſent ad eorum normam, quae de *paſſivo* verbo, ſupra generatim differui: ſi modo obſerventur, in *flexione* per *perſonas*, eaedem regulae, quas propoſui; ubi de Activo verborum in μι egi. Quumque verbum Medium convenire partim cum Activo, partim cum Paſſivo, (quod ad formationem) in aliis verbis, vidimus; idem, in verbis in μι, locum habere exiſtimandum eſt; ut in iis diutius haerere, neceſſe non ſit.

In verbis denique, quae *anomala* dicuntur, ſimili modo inſtituendum; ut in quibusdam temporibus ſupra oſtendi: quando ſingula tempora, & ſingulae quorumvis temporum perſonae, facillime ad vera themata, ſeu proprias formas *praeſentis* temporis, reduci poterunt; ſi modo obſervemus, ad Activum interdum relata eſſe, quae ad Paſſivum pertineant, & contra.

CAPUT

CAPUT DECIMUM

DE

Proximis verborum Derivatis.

Praemissis iis, quae ad formationem verborum, diverſorumque temporum in iis, pertineant, tranſeo ad *Nomina*: quorum *natura* & *derivandi leges* quum a verbis primitivis, (quae linguae veluti radices & ſtirpes ſunt) omnia oriantur; explicari nullo modo recte poterunt, niſi ante eae verborum recte fuerint perſpectae.

Ut autem per *Verba* intelligo, *vocabula* ea, *quae per perſonas*, *numeros*, *tempora*, *modoſque*, *flectuntur*: ſic *Nomina* ea proprie ſunt *vocabula*, quae *declinatione* per *numeros* & *caſus*, mutantur; ſive ea *rem* aliquam *ipſam*, ſive *certam* aliquam ejus *proprietatem*, notent.

Ex quo apparet, non tantum ea, quae *ſubſtantiva* vocantur, ſed etiam *adjectiva*, nec non magnam partem *reliquarum* orationis *partium*, quae *particularum* nomine vulgo veniunt; ut *adverbia*, *conjunctiones*, *praepoſitiones*, *articulos*, aliaſque proprie eo pertinere. Horum enim, omnium maxima pars non, niſi *caſus obliqui*, ſunt nominum, quorum *reliqui caſus*, interierunt; ii vero qui remanſerunt, naturam acceperunt *particularum*.

Ne tamen nimium excreſcant hae obſervationes, praecipuas ſubjungam regulas de *natura*, & *derivatione* ejuſmodi *vocabulorum*, quae hodie etiam ad *nominum* claſſem referuntur a Grammaticis, & in *adjectiva* & *ſubſtantiva* diſtribuuntur:

Generatim autem obſervandum eſt, maximam copiam, cum in aliis *linguis omnibus*, tum etiam in *Graeca*, eſſe, quae, etiamſi vulgo ſubſtantiva habeantur, revera tamen *adjectiva* ſunt; ob frequentem eorum uſum primum *elliptice* uſurpata, atque ſic dein pro ipſis *ſubſtantivis* habita; quorum naturam ſignificandi uſu acquiſiverunt. Ex hoc genere v. gr. eſt nomen ἡμέρα, *femininum* a *maſculino* ἥμερος, Latine *placidus*, *amoenus*; cujus feminino ſi adjungas nomen ὥρα, ſignificabit *tempus* naturae legibus deſinitum, quod ſit *placidum* & *amoenum*; atque inde tempus *diurnum*, atque ſic tandem eximie *diem*, oppoſite ad *noctem*, *tempus ingratum* & *inamoenum*: atque eadem ratio etiam eſt quamplurimorum aliorum nominum. Nos de nominum *derivatione* generatim dicemus.

Formantur autem nomina a *tribus* temporibus naturalibus *praeſenti*, *futuro*, & *praeterito*, tam Activi verbi, quam Paſſivi. Quae enim a *praeterito perfecto Medii*, formari dicuntur, quum *praeteritum medium* ad *Activum* pertineat; ea rectius a *praeterito Activo* formata ſtatuuntur.

A *triplici* hoc tempore formata derivata alia

prox-

proxima dici poſſunt, alia *remotiora*. Et quidem *proxima* ea dico, quae, mutata, ad *ſimilitudinem* aliorum, *terminatione verbi*, in eam *nominis* formantur; *remotiora* vero illa, quae, intercedente aliquo *derivato* deperdito, (ope Analogiae reſtituendo) aut alio quocumque vocabulo uſitato, a verbo originali propagata ſunt.

Primum itaque de *proximis* derivatis agendum: quumque inter ea praecipue *participia*, quae vulgo ad verborum claſſem referuntur, principem obtineant locum, de his, ante omnia, quaedam praecipienda ſunt. Etſi enim ſaepe verborum naturam & ſtructuram, ratione *ſignificationis*, ſequuntur, ſaepe tamen eam *nominum* acquirunt: quumque mutentur per *numeros* & *caſus*, merito inter *prima* verborum *derivata* nomina habentur.

De *Formatione* autem, quantum ſatis eſt, jam ſupra dictum, ubi de verbo egi. Fiunt, nimirum, omnia, *terminatione verbi* in *eam nominis*, ſeu *participii*, mutata. Praeter ea, quae *participiorum* naturam retinent, ad nos nunc maxime pertinent illa, quae, prius *adjective* uſurpata, deinde *ſubſtantive* per ellipſin nominis poſita, ſubſtantivorum loco fuerunt habita; quemadmodum ſunt γέρων, ἄκων, & quam plurima alia; nec non participia, ad normam verborum in μι formata; ſicut ὀδοὺς, ἀκεὺς, & ſimilia multa: a quibus, ſignificandi ratione, quodammodo differunt ea, quae *adjectivorum* naturam retinuerunt;

runt; ſicut ἑκὼν, & alia multa. Nullum autem tempus, e tribus memoratis temporibus participii, eſt, quod toties nominis naturam induat quam praeſens. Sic ad *maſculina participia* praeſentia pertinent, ſubſtantive uſurpata, vocabula ἄκων, γέρων, θεράπων, κρέων aliaque quam plurima. Inter haec ἄκων revera nihil aliud primum ſignificare potuit quam *pungens*, a verbo ἄκω *pungo*; voluit autem uſus, ut ſpeciatim ſic nominaretur *inſtrumentum pungens*; & quidem ſpeciatim *jaculum*, quare deinceps ſubſtantivis fuit adnumeratum.

Idem autem dici poteſt de forma vicina ἀκὸς quae proprie ab ἄκων non differt, niſi hoc uno, ut ἄκων ſit formatum, ſicut τύπτων; ἀκοὺς ſicut διδοὺς, quod participium eſt verbi δίδομι. Ἀκοὺς itaque proprie etiam non aliud notat quam *pungens*; cujus generis etiam eſt ὀδοὺς, ὀδόντος nempe quaſi participium verbi ἔδομι ab ὄδω, et hoc vicinum verbo ἔδω ſuperſtiti in Lingua Latina; ubi notum verbum *edo*, reſpondens uſitatiſſimo Graeco ἐσθίω: cui quod quod jungitur, *futurum*, ἐδοῦμαι, manifeſta veſtigia antiqui verbi Graeci ἔδω monſtrat. Ab ἔδω itaque ὀδοὺς proprie notat *edens*, & ſpeciatim *inſtrumentum edens*; & ſic tandem ſubſtantive *dentem*, quod ipſum *dens*, non niſi participium Latinum eſt, ſubſtantive poſitum, omiſſa litera *e*, pro *edens* verbi *edo*. Talia enim, ut in Lingua Graeca, ſic etiam in Latina longe ſunt plurima: quemadmodum *ſerpens*, *infans* & alia bene multa.

Por-

Porro, quod ſupra poſui, γέρων, in uſu *ſenem* notans, proprie nihil aliud eſt quam Latinum *gerens*, & hinc ſpeciatim homo *gerens munera* & *dignitates*, quibus cum cura reipublicae ſit conjuncta.

Quibus rebus quum, ob prudentiam & rerum experientiam, ſenes potiſſimum apti viderentur, γέρων generatim *ſenex*, fuit appellatus; intellecto nomine ſubſtantivo ἀνήρ, ſimilive, quod ipſum ἀνὴρ interdum nomini huic γέρων additum reperitur apud veteres; tum autem γέρων naturam adjectivi retinet. Imo non ſolum de *homine*, ſed etiam de *re* dicitur interdum, adjective, γέρων. Ita quod Latini *vinum* vocant *generoſum*, Graecis οἶνος γέρων interdum audit. Ab hujus vocis γέρων feminino γεροῦσα, ſuperſtes derivatum, γερούσιος; qua voce utitur Homerus, dum γερούσιον ὅρκον vocat, id eſt, *jusjurandum ſenatorium.*

Sequitur θεράπων, in uſu, *famulum* notans, quum proprie ſonat *calefaciens*, a verbo θεράπω, quod a ſimpliciori θέρω *calefacio*. Quamquam autem θεράπω in uſu non eſt, peperit tamen, praeter noſtrum participium, derivata non pauca: unde olim in uſu fuiſſe cognoſcas, et quidem proprie uſurpatum de *medicis*, qui *calidis medicamentis* vulnera foverent, pro more antiquiſſimorum temporum. Unde factum eſt, ut inde formatum, θεραπεύω generatim *ſanandi* notione poſuerint dein Graeci. Ab iſta memorata ſignificatione *fovendi*, veluti *calidis medicamentis*

ſponte fere nata eſt ea *curandi*, & *colendi*: ſicut Latini, quos *curari* vel *coli* intelligunt, eos dicunt *foveri*. Ut adeo intelligatur, quo modo veteres poëtae alicujus Dei *cultores* θεράποντας dicant. Quemadmodum ſaepe ab Homero θεράποντες Ἄρηος, id eſt *Martis cultores* vocantur ſive *milites ſtrenui*. Quum autem famulorum etiam ſit, dominos ſuos *fovere*, iidem quoque θεράποντες ſpeciatim appellantur. In omnibus autem intelligitur nomen ἀνὴρ vel ſimile.

Tandem quod poſui κρέων, Lat. *imperans*, proprie participium eſt, ab antiquo κρέω Lat. *impero*: ut adeo κρέων, ſcilicet ἀνὴρ, *vir imperans* ſit; atque ſic tandem ſonet *imperatorem* vel *regem*] Uſus autem dein voluit, ut proprium nomen regis fuerit factum: quum Corinthiorum rex, filius Siſyphi, praeterea Thebanorum rex, filius Menoecii, aliique κρέοντες ſint nominati. In loco autem participii κρέων, quum nominis proprii naturam, jam antiquiſſimis temporibus accepiſſet, tanquam appellativum Homerus uſurpavit, vicinam formam participialem κρείων, tanquam a κρείω. Ita ſaepe κρείων ἀγαμέμνων, id eſt *Agamemnon imperator*, vel *rex*, celebratur, in Homeri carminibus; ubi, ut hoc obiter notem, ipſum nomen ἀγαμέμνων proprie *participiale* eſt vel ſaltem proxime a participio ortum, ſignificans quaſi *valde recordantem*.

Huc porro refer nomina *participialia*, a verbis in μι; cujus generis jam ſupra vidimus nomen

ὀδοὺς;

ἰδοὺς; atque ſimiliter alia ſunt, a verbis in αμι, ημι, ιμι, & υμι formata. Ita nomen κλεὶς cum participio τιθεὶς convenit; ἐθὰς cum participio ἱςὰς; & ſic in aliis. Sicut autem *maſculina* participia, ſic quoque feminina, nominum naturam acceperunt. Sic v. gr. a maſculino memorato κρείων fem. κρείουσα, ſcil. γυνὴ, notat *imperantem feminam*, adeoque *imperatricem*, vel *reginam*. Hac ratione *Laothoë* ab Homero Il. X, ℣. 48 κρείουσα dicitur γυναικῶν: ubi proprie quidem *reginam* notat, figurate autem, ut ſimilia non pauca, de *Laothoë* dicitur, ob formae *praeſtantiam*. Idem autem in nomen proprium abiit; quum plures mulieres, *Crëuſae* nomine, olim ſint vocatae; ſicut, praeter noſtrum, μέδουσα, fem. participiale a maſc. μέδων, nominis proprii naturam accepit. Sic, nimirum, nominata fuit olim filia Phorci, ex Ceto, marina bellua: proprie autem μέδουσα fem. eſt a maſc. μέδων: quod modo *adjective*, ab Homero, poſitum *imperantem*, modo *ſubſtantive*, *moderatorem* reddas; ortum a verbo μέδω, quod idem fere ac βασιλεύω, id eſt, *rex ſum*.

Diſtinguenda autem hujusmodi participia a nominibus in οῦσσα cadentibus, quae contracta ex nominibus in όεσσα, ab adjectivis in όεις, oriuntur: quemadmodum ὀφιοῦσσα pro ὀφιόεσσα quod femininum a maſc. ὀφιόεις, hoc autem derivatum ab ὄφις *ſerpens*.

Sunt autem hujus generis vocabula alia tan-

quam appellativa uſurpata; alia vero, non parvo numero, propria facta variis locis, ob hanc, illamve, terrae proprietatem ejusmodi nomine deſignatis.

Praeter haec autem participia, *ſubſtantive* potiſſimum uſurpata, alia multa adjectivorum naturam retinuerunt; ſicut notiſſimum ἑκὼν, cujus femininum ἑκοῦσα, ejuſque compoſitum ἄκων ex ἀέκων contractum. Eſt, nimirum, ἕκων nihil aliud, quam participium verbi ἵκω *venio*: unde pr. notat *veniens*, & adjective *voluntarius*, *volens*; dum is, qui *voluntarium aliquid facit*, id ἕκων facere dicitur, & contra, qui *invito*, ἄκων. Ad hujuſmodi autem adjectiva participialia referenda porro ſunt nomina multa, quae vulgo *Comparativa* vocantur: ut κρείσσων, vel Attice κρείττων; ἥσσων, vel ἥττων & ſimilia. Oriuntur autem haec a κρείσσω & ἥσσω, quorum illud idem ac κρείω, Latine *ſuperior ſum*: unde ſponte nata *Comparativi* poteſtas, quo *ſuperiorem*, *melioremve*, notat ἥσσω autem idem eſt quod *inferior ſum*; unde nomen ἧσσα *jacturam*, vel *cladem*, ſignificat. Eſt que ἥσσω idem fere quod ἡσσάομαι, a nomine ἧσσα ortum; ſignificans *cedo*, *vincor*: cujus origo quaerenda eſt in ſimplici verbo ἕω, vel, ſpiritu mutato ἔω; unde derivatum εἶμι, Latine *eo*, cui *cedendi* ſignificatio vicina eſt. Qui autem *cedit*, & *vincitur cedendo*, is *inferior* eſſe intelligitur.

Praeter nomina participialia in ων, alia etiam ſunt,

ſunt, ad normam verborum in μι pronunciata, quae *adjective* uſurpantur; ut, inter alia nomen πᾶς, πᾶσα, πᾶν: ut manifeſto declarant caſus obliqui πάντος &c. inflexi, ut ἱςὰς, ἱςάντος &c. Ipſum autem πᾶς circumflexum, contractione factum eſt ex πάας, quaſi a verbo πάαμι; ſicut σπᾶς, & nomen proprium Dei paſtorum *Pan*, a ſimpliciori παμὶ, quod convenit cum πάω *curo*, *poſſideo* cet.

Non diſſimilis quoque ratio nominis εἷς eſt; ut manifeſto docet neutrum ἓν: quod convenit cum τιθέν. εἷς autem contractum eſt ex ἑεὶς, quod ab ἕεμι, & ſimpliciori ἕμι, unde eſt ἵημι *mitto*. Ab his autem diverſae originis nomen femininum μία eſt; quod a verbo μίω repetendum, ſignificante *minuo*.

Sunt praeterea alia nomina *participialia*, ad participia *paſſiva* referenda; praecipue ea, quae deſinunt in μένος, μένη, μένον, quaeque contracta cadunt in μνὸς, μνὴ, μνόν. Ad primum genus, pertinet nomen οἰκουμένη femin. a maſc. οἰκούμενος, quod a verbo οἰκεῖν Lat. *habitare*. οἰκουμένη itaque, ſcil. γῆ, ſubſtantive notat *terram habitabilem*: quare ſpeciatim Romani imperium ſuum, quod per totum terrarum orbem fere extenderant, οἰκουμένην dixerunt.

Huc porro, referenda nomina non pauca propria, ſive *perſonis* ſive *locis*, quemadmodum, ὀρχόμενος, participium verbi antiqui ὄρχεσθαι: unde fluxit uſitatum ὀρχεῖσθαι, vulgo ſignificans

ſal-

ſaltare. ὄρχεσθαι autem oritur ab ὄρω *excito*; ſicut ἔρχεσθαι ab ἔρω *necto*, *impello*: quae ipſa verba ἔρω & ὄρω vicina ſunt. Speciatim autem ὀρχόμενος dictus fuit filius Jovis: inde autem variis *locis* idem nomen aſſignatum. Non diſſimilis ratio nominum κλύμενος & κλυμένη: quae oriuntur a verbo κλῦμι *audio*, ut ζευγνύμενος, a ζεύγνυμι. Κλύμενος autem, proprie ſignificans *audiens*, vel inde *celebris*, ſpeciatim, tanquam nomen *proprium* Heroi fuit aſſignatum: fem. autem κλυμένη nomen proprium fuit miniſtrae Helenes, quae conſiliorum dominae particeps erat. Contracta participia ſunt, ut κρημνὸς, ὕμνος, γύμνος, nec non foeminina ποίμνη, μεθύμνη, & alia ſimilia, quae vel *praeterita perfecta* participii paſſivi, omiſſo augmento, vel formata ſunt, ut participia verborum in μι, ſicut τιθέμενος, ac terminatione μενος in μνὸς contracta. Hac ratione κρημνὸς eſt pro κρήμενος, quod vel a κρῆμι repetendum, vel, praetermiſſo augmento, a κεκρήμενος *praeterito perfecto* eſt, notatque *pendentem in alto*, formatum a verbo κρέω. Hoc autem quum ſignificet *ſuperior ſum*, peperit verbum κρεμᾶν ſignificans *ſuſpendere*; ut adeo κρημνὸς aptum nomen ſit *loco in alto pendenti*, ſeu *praecipitio*, deſignando. Porro ὕμνος contractum eſt ex ὕμενος: ſive id repetas, tanquam *praeſens*, ab ὕμι, ſive tanquam *praeteritum*, a vicina forma ὕω, vel ὕδω. Hoc autem cum *fluendi fundendique* notionem habeat, facilem ſignificandi flexionem accepit, in eam *canendi*, atque

que ſic ὕμνος *cantum* notat. Uſus autem voluit, ut ſpeciatim ὕμνον dicerent veteres *carmen*, vel *cantum*, *quo deorum landes celebrantur.* Reſpondet huic, natura ſua, fere Lat. *cantus*; quod proprie etiam eſt adjectivum participiale, a *cano*. Praeterea γυμνὸς *nudus* non aliud eſt, niſi participium, pro γύμενος verbi γύμι, vel, pro γεγυμένος, a vicina forma γύω, quod convenit cum verbis originalibus γάω, γέω, χάω cet. quibus notio *explicandi*, *aperiendi*, *detegendi* ve fere propria eſt; ut adeo γυμνὸς proprie ſonet *apertum detectum* vel ſimile; quemadmodum adjective uſurpatur: ſpeciatim autem *nudum* notat, ſive *veſtimentis non tectum.*

Inter feminina participia, ſupra recenſita, ποιμνὴ eſt, pro ποιμένη, vel pro πεποιμένη, & proprie notat *paſtam* vel *paſcendam*, inde autem ſubſtantive, *gregem paſtum*, vel, generatim magis, *gregem*. Fit autem a verbo ποίμι, vel ποίω, unde etiam nomen proxime derivatum ποία *gramen* notat: ποιμὴν autem *paſtorem*. ποίω vero, a ſimpliciori πόω, vicinum eſt verbo βόω; unde βόσκω *paſco*: quod ipſum *paſco* a vicino Graeco πάω eſt.

Tandem μεθύμνη ad nomina *propria* participialia referendum eſt. Sic enim nominatur Macaris filia, uxor Lepydni, nec non civitas Lesbi. Oritur autem a verbo μεθύω, vel μεθύμι; unde participium μεθυμένη, vel μεμεθυμένη, atque adeo μεθύμνη ſignificat proprie *inebriatam*, vel *vinoſam*,

ut

ut adeo aptum nomen ſuerit urbis Lesbi, optimo (quod produxit olim) vino celebri; quare apud Propertium etiam celebratum *merum Methymnaeum.* Dicitur autem, quaſi plena locutio eſſet γῆ μεθυμνή· i. e. *terra vino abundans*; atque haec de nominibus *participialibus.*

His proxime accedunt derivata a *praeſenti* activi; terminatione verbi in eam nominis mutata. Huc itaque pertinent nomina δέος, μένος, γένος, ἦθος; ἔρος, aliaque ſimilia multa: praeterea *adjectiva*, ut ςενὸς, κενὸς, & ſimilia; quae omnia oriuntur a tempore praeſenti verborum, tam obſoletorum, quam uſitatorum, ut ſunt δέω, μένω, γένω, ἔθω, ἔρω, ςένω, κένω cet. δέος itaque, ortum a δέω, *ligo id* proprie eſt *quod nos ligat*; ſeu *membra noſtra; timor* adeoque *rei preſentis*: μένος proprie *id* quod *manet*, & inde idem quod *mens* Latinor: a verbo μένω. Praeterea idem fere q. d. *id*, quod *cupiditate fertur*, quo ſenſu fere μένειν uſurpatum eſt ab Homero; & convenit cum vicinis formis μάω, μάνω & μαίνω, quibus *vehemens deſiderium* exprimi proprie ſolet; unde μένος ſpeciatim *animi ardorem* notat; atque inde porro *iram* ſimiliaque. Γένος porro (unde Lat: GENUS) ortum a γένω, quod vicinum verbo γίνω, inter alia, ſupereſt in Latino *genui*; quod vicino verbo Lat. *gigno*, tanquam *praeteritum*, adiungitur; tum etiam in temporibus ἐγενόμην, γένεσθαι; quae vicinis formis γίνομαι & γίγνομαι tribuuntur.

Ad

Ad haec ἔθω (unde nomen, ἔθος *mos*, *conſuetudo*, ortum a ſimpliciori ἔω proprie notat *id quod eſſe ſolet*, *facere* vel *ſolere*; atque inde ἔθος *morem*. Similiter ἔρος ab ἔρω *necto*, *nexum* notat, quo hominum animi *junguntur*, atque ſic *amorem*. Porro adiectiva ſunt στενὸς *anguſtus* a στένω, quod metaphorice quidem notat *ſuſpiria duco ex anguſto pectore*; adeoque *gemo* ſignificat: proprie tamen de eo ponitur, quod *anguſtum* eſt; oriturque a ſimpliciori στέω, *condenſo*, *obſtruo*: unde στενὸς *anguſtus*; ſicut proprie dicitur στενὴ ὁδὸς, *via anguſta*. Praeterea κενὸς, quod adjective ſumitur, *vacuum* ſonat; a verbo κένω, unde κενόω *vacuefacio*. Ex hujuſmodi autem *adjectivis*, foeminina etiam ſunt, *ſubſtantive* poſita; ut μαῖα *obſtetrix*, antiquum γαῖα *terra* &c. μαῖα, nimirum, eſt a maſc. μαῖος, quod pro μάος, & hoc a μάω, ſignificante *diligenter inquiro*; unde ad *obſtetricem*, in derivato, translata poteſtas eſt. Sic γαῖα a maſc: γαῖος eſt, quod ſuperſtes in nomine proprio Lat. *Cajus*, vel, ut ejus loco Graeci ſcribunt, Γαῖος. Eſt autem γαῖος pro γάος, quod a γάω, ſignificante *aperio*, *pateo*, *hiſco*: ut adeo γαῖα proprie ſignificet *patulam*, atque ſic dicatur *terra*, ob immenſam terrae apparentis latitudinem. Convenit igitur γαῖα cum vicino γῆ, quod tantum a forma diverſa γέα, per contractionem, ortum eſt. Praeter haec derivata alia ſunt, quae etiam ſimili modo a *praeſenti* oriri videntur; ut ἔρις, ἑδὰς &c., quae tamen com-

commode etiam a 2*da perfecti* paſſivi vel 1*ma futuri* activi deduci poſſunt; praetermiſſa, nimirum, terminatione verbi: quomodo pertinent ad verba ἐρίζω & ἐθάζω: Verius tamen opinor, haec & ſimilia, oriri a ſimplicioribus verbis; & quidem a praeſenti: verba autem ejuſmodi in ζω, quemadmodum ἐρίζω &c., ab hujusmodi nominibus oriri, eorumque ſignificationem ſequi.

Pertinent praeterea ad hoc genus derivatorum nomina alia, quemadmodum ἄηρ ab ἄω; cujus loco etiam pronunciatum ἀὴς, in compoſitis ſupereſt; quemadmodum in ἀκραὴς, δυσαής. Imo monoſyllaba (quemadmodum κὰρ, κὸρ, &c.) non aliunde repetenda videntur, niſi a *praeſentibus*; praetermiſſa fortaſſe terminatione verbi, quemadmodum κὰρ a κάρω, & ſimilia quaedam alia.

Proxime autem hoc genus derivatorum excipit id, quod quidem mutationem paullo majorum ſubiit, hoc ipſum tamen tempus ſtirpis loco habet: ut ſunt adjectiva, in ρὸς cadentia accedente conſonante; ſicut ἁδρὸς ab ἅδω, ἀκρὸς ab ἄκω, σαπρὸς a σάπω, cujus loco uſurpatur σήπω. Neque ea in ρος tantum, ſed multa alia ſimili fere modo formantur; facile dignoſcenda ex litera originali terminationem antecedente, ut generalis haec regula ſtatui poſſe videatur, *nomina omnia tam adjectiva, quam ſubſtantiva, origine Graeca, in quibus nulla alius temporis nota apparet, ſi ſint verbalia, quomodocunque etiam deſi-*

nant;

nant, *oriuntur a praeſenti tempore verborum*, *ſive derivatorum*, *ſive primitivorum*: quae quomodo diſtingui poſſint, & dignoſci, deinceps oſtendetur.

Praeter tempus *praeſens*, a FUTURO etiam multa nomina repeti poſſunt. Quum vero ea plane conveniant cum derivatis a *ſecunda praeteriti perfecti paſſivi*, eo etiam, cum pleriſque Grammaticis, haec referre malo.

A PRAETERITO autem PERFECTO activi oriuntur ea potiſſimum, quae characteriſticam perfecti manifeſtam habent, ante terminationem nominis: quemadmodum eſt ἀκωκὴ *mucro*, *cuſpis*, formatum ab ἤκωκα verbi ἀκόω, cui reſpondet Latin. *acuo*, & originem debet Graecum ἀκούω, metaphorice uſurpatum pro *audio*. Similis ratio eſt nominis λεχὸς *lectus*, a λέλεχα verbi λέχω *cubo*. Sic βαφὴ *tincturam* notat a βέβαφα, verbi βάπτω, vel βάπω. De his tamen omnibus dubitari quodammodo poteſt, utrum revera orta ſint a *praeteritis perfectis*, an proxime a verborum formis, quae a *praeteritis perfectis* verborum ſimplicium orta ſunt: de quo genere verborum jam ſupra alibi quaedam dixi. Ita v. gr. nomen ἰωκὴ *perſecutio* aeque oriri potuit, ab ἰώκω (unde ſuperſunt nomina ἴωξις, ἰωχμὸς, quam a *perfecto* ἴωκα: quod ab ἰόω; hoc ab ἴω ortum. Ad eandem rationem dubium videri poteſt, utrum θᾶκος *ſedes*, & vicinum θάοκος, unde θῶκος, & Laconicum θάβαχος, inſerto β, more Laconum,

pro θάαχος; utrum haec, inquam, oriantur a *praeſenti* θάκω, θαίκω & θαάκω, an vero a perfecto τέθακα, verbi antiqui θάω Lat. *ſedeo*, cum τεθάσκα verbi producti θαόω, denique τεθάακα, verbi θαάω.

Oriri tamen nomina a *praeterito perfecto activo*, manifeſto apparet ex ejuſmodi derivatis, in quibus *augmentum* conſervatum eſt: quemadmodum ὠκὺς *celer*, formatum eſt ab ἔοκα, & contracte ὦκα, verbi ὄκω, quod convenit cum ἄκω, & formis vicinis. Similiter ἑόργη *tudicula* oritur ab ὄργω, vel ἔργω, retinuitque praeteriti augmentum.

Vidimus autem jam ſupra, praeterita perfecta, quae dicuntur *Media*, proprie eſſe *praeterita activa*; in quibus literae ε in ο mutatio derivanda eſt, ex Atticiſmo: ut adeo appareat, ea nomina omnia, quae vulgo dicuntur a praeterito perfecto *Medio* oriri, revera ad hoc nominum derivatorum genus pertinere; ut λόγος, quod a λέλογα verbi λέγω repetunt; τόπος, a τέτοπα, verbi τέπω; πόος, unde ποῦς, a πέποα verbi πέω: de quibus omnibus non injuria dici poteſt, ea oriri poſſe a *praeſenti* verborum, quae, in *penultima*, habent ο, adeoque a λόγω, τόπω, πόω; ut a verbo βόω formatum βόος, βοῦς.

Praecipue autem nomina oriri dicuntur a praeterito *perfecto paſſivo*, & quidem a *triplici* ſingularis numeri perſona; quod etſi forſan minus ſe revera habet (quum derivata a *ſecunda* perſo-

na

na rectius a *futuro* primo repetantur) tamen hic commode admitti poteſt; quum eadem derivationis ratio ſit, ſive ab hac perſona, ſive a futuro, repetantur haec nomina.

A *prima* itaque perſona oriuntur nomina omnia, quae literam μ *perfecti paſſivi* characteriſticam, ante terminationem nominis, habent; niſi forſan excipienda ſint denominativa quaedam, a nominibus *verbalibus* orta: quae tamen longe pauciſſima ſunt. Merito itaque huc referri poſſunt omnia in μος, μη, μων, μα, μας, μις, μιν, & quae plura hujus generis inveniuntur: ut δεσμὸς, μνήμη, πνεῦμα, ἑρμὰς, ἑρμὶς, ἑρμὶν, φράδμων &c. Oriuntur autem haec omnia vulgo, abjecto augmento, & terminatione verbi in eam *nominis* mutata. Δεσμὸς itaque a δέδεσμαι, verbi δέω *ligo*; μνήμη a μέμνημαι, verbi μνάω *recordari facio*; πνεῦμα a πέπνευμαι, verbi πνεύω, quod a πνέω. Nomina autem ἑρμὰς, ἑρμὶς, & ἑρμὶν a praeterito ἔερμαι, vel ἧρμαι, verbi ἕρω: φράδμων tandem a φράζω.

Ad ea autem derivata, quae excipi poſſunt, & a *nominibus* proxime oriuntur, pertinet v. gr. ὀνήσιμος, ubi, etſi litera μ poſtremam ſyllabam incipit, tamen proxime hoc oritur ab ὄνησις: ut adeo in hiſce terminatio non abſolvatur, ſyllaba μος, ſed literis σιμος, ſimilive ratione. Praeterea inter nomina in μων haud dubie etiam multa ſunt, quae, proxime a nominibus orta, ſic tandem repetenda ſunt a *prima* praeteriti perfecti

paſſivi; ut nomina in μων collectiva: ad quod genus pertinet πνεύμων *locus ubi colligitur ſpiritus*, adeoque *pulmo*, ortum a nomine πνεῦμα, quo intercedente illud oritur a πέπνευμαι. Sunt porro nomina alia quaedam in μος, quae fortaſſe ad derivatorum genus a *praeterito Activo*, vel *Medio*, referenda ſunt: ut δόμος repeti poteſt a praeterito δέδομα, verbi δέμω, vel etiam a perfecto paſſivo δέδομαι verbi vicini δόω.

Similiter a δέω repeti poteſt δέμας *corpus*: idem tamen a praeſenti δέμω aeque facile repetitur. In his itaque, & ſimilibus, parum refert, utrum repetantur a *perfecto paſſivo*, an ab aliis memoratis temporibus: quum origo certa ſit & eadem.

Praeter haecce derivata, a *praeteriti perfecti prima* perſona, in quibus characteriſtica μ ſive ſola, ſive cum conſonante verbi huic praemiſſa, conſpicitur, ut in διωγμὸς &c., reperiuntur quamplurima, quae, etſi levem ſubierunt mutationem, ad hanc tamen claſſem nominum derivatorum pertinent: ut ſunt nomina in θμος, θμη, θμων; niſi poſtrema haec proprie *denominativa* eſſe velis, ut multa, in ων deſinentia, intercedentibus nominibus, a prima perfecti paſſivi orta. Hujus generis nomina ſunt θμος v. gr. ut ἀριθμὸς, ῥυθμὸς; in θμη, quemadmodum εἰσίθμη, quod apud *Homerum* [Odyſſ. Z, 264] ſignificat *introitum*.

His vicina ſunt nomina in τμὸς & τμή; quemadmodum ἐρετμὸς, ἀϋτμὴ, ἐφετμή: in quibus omnibus obſervandum eſt, literas τ & θ ortas

eſſe,

eſſe, ex σ, quae in multis perfectis paſſivis antecedere terminationem μαι ſolet. Ad hanc rationem a verbo ἀρίω, vel ἀρίζω (cujus ſtirps eſt ἄρω *apto*) praeteritum eſt ἤρισμαι, unde nomen ἀρισμὸς, ejuſque loco ἀριθμὸς, ſignificans proprie *rem aptam*, atque inde ſpeciatim *numerum*. Porro ab εἰσίω (unde εἰσιέναι *ingredi*) eſt praeteritum εἴσισμαι, unde nomen εἰσίσμη, &, ejus loco εἰσίθμη *introitus*. Praeterea ab ἐρέσσω *remigo* deſcendit praeteritum ἤρεσμαι; unde ἐρεσμὸς &, ejus loco, ἐρετμός. Ab ἄυω *ſpiro* eſt ἤυσμαι, &, inde ἀϋσμὴ, hinc vero ἀϋτμὴ *vapor*, *halitus*. Ab ἑφέω, quod idem atque ἐφίημι, praeteritum ἔφησμαι nomen peperit ἐφεσμὴ, &, ejus loco ἐφετμή.

Praeter haec nomina, alia quoque huc pertinentia inveniuntur; ut nomina in τμὶς, vel etiam aliter cadentia: omnia adeoque, quae, ante characteriſticam *praeteriti*, literam τ, vel θ, habent. Ita v. gr. ἀτμὶς dicitur, pro ἀσμὶς, quod ab ἦσμαι, verbi ἄω vel ἄζω. Imo inveniuntur nomina, in quibus, ante characteriſticam *praeteriti*, duplex conſona cernitur, huc quoque referenda: ut ἀρθμὸς, quod, apud Poëtas antiquiores, *amicitiam* valet, ſeu *nexum amicitiae aptum*, adeoque *ſanctum amicitiae foedus*. Eſt autem pro ἀρσμὸς, quod a praeterito ἦρσμαι: hoc vero repetendum ab ἄρσω vel ἄρω, inſerta in *praeterito* litera σ.

Praeterea huc pertinent nomina plurima contracta in *penultima* ſyllaba: ſive contractio ſit inſtitu-

ſtituta ex ε, *augmenti* loco praefixo, cum *prima* vocali verbi, unde nomen ſit ortum: ſive ex duplici vocali ipſi verbo propria. Ita *augmentum* ε, cum prima verbi vocali, contractum, cernitur in ὦμος *humerus*, quod a praeterito ὦμαι, ex ἔομαι, verbi ὄω, quod inter alia ſignificat *fero*, *porto*; ut patet ex vicino οἴω, cujus *futurum* οἴσω, tanquam *anomalum*, verbo φέρω adjunctum, notionem *ferendi* propriam retinuit: cum *praeſens* οἴω, ad *animum* tranſlatum, vulgo ſumatur pro *opinari*, *exiſtimare*. Similis ratio eſt nominis ἦμαρ, quod Poëtis idem ſignificat atque inde formatum ἡμέρα. Eſt autem ab ἦμαι, & hoc pro ἕεμαι, verbi ἕω, cujus loco uſurpatur ἵημι.

Altera contrahendi ratio cernitur in nomine δῆμος, quod pro δέεμος, hoc autem a δεδέεμαι, verbi δεέω, unde ortum δεήσω: δεέω autem a δέω *ligo*. Δῆμος itaque *multitudinem hominum*, *communi ſocietatis vinculo colligatam*, ſpeciatim ſignificavit. Haec de praecipuis derivatis *proximis*, a *prima* praeteriti perfecti paſſivi ortis.

A *ſecunda* praeteriti perfecti paſſivi oriuntur nomina omnia, quae, ante terminationem nominis, ut ſunt ις, α, ος, &c. characteriſticam *ſecundae* perſonae *perfecti paſſivi* habent; ſive ea characteriſtica *nuda* ſit, ſive ea *lateat* in *duplicibus* ψ vel ξ. Ita ab οἰκέω, nomen fit οἴκησις *habitatio*; ab ὄπτω vel ὄπλομαι, ὄψις viſio; a λέγω, λέξις, *lectio*. Porro, ad eandem rationem nomen δόξα, *opinio*, oritur a δέδεξαι, verbi δόκω, unde δοκέω.

Simi-

Similiter ὕψος eſt ab antiquo ὕπω, unde multa derivata, in quibus *altitudinis* notio ſupereſt; ut ὕπερ, ὕπερος &c., ſicut etiam inde derivatum ὕπτος paſſive ſignificans *ſuperatum*, unde uſitatum ὕπτιος uſurpatur pro *ſupino*.

Reperiuntur autem, praeter haec & ſimilia, nomina, quae aeque a *futuro*, atque a *ſecunda* praeteriti perfecti paſſivi repeti poſſunt, etiam alia, quae literam ε, ex augmento verbi forſan ortam, praefixam habent; ut ἐέρση *ros*, quod pro ἔρση, & hoc ab ἔρω repetendum. Pertinent autem huc quoque, pleraque ſaltem, nomina in ψ & ξ cadentia, quae formata ſunt, omiſſione diphthongi αι, quae in *ſecunda* praeteriti paſſivi eſt, vel vocalis ω, quae eſt in *futuro* primo. Sic ab ὄπω eſt ὄψ, vel a *futuro* ὄψω; a φλόγω, quod cum φλέγω componendum, nomen φλὸξ *flamma*; a πτερύσσω nomen πτέρυξ *ala*; a φαρύγγω, φάρυγξ *guttur* (ſicut a φαράγγω, φάραγξ *barathrum*) formata omnia, ut σφὶγξ a σφίγγω.

A *tertia* tandem praeteriti perfecti paſſivi oriuntur nomina omnia, quae, ante terminationem nominis, characteriſticam τ habent; quocumque modo etiam terminentur, ſive cadant in της, τηρ, τος, τη, τις, τυς, τυρ, τωρ, τρος, τρα, τρον, ſive aliter.

Sunt autem nomina in της, τὴρ, & τος, frequentiſſime obvia: ſicut μαθητὴς, repetendum a μαθέω, quod a ſimpliciori μάθω, unde uſitatum μανθάνω; πατὴρ a πάω *curo*; μήτηρ a μάω *deſidero*:

 por-

porro διδακτὸς a διδάσκω; ἄρτος ab ἄρω, & alia quam plurima. Pertinent autem ad nomina in τος etiam in τη cadentia, quae revera *adjectiva* feminina ſunt, a nominibus in τος; quae omnia proprie, ſignificatione paſſiva, conveniunt cum adjectivis participialibus, apud Latinos: ut διδακτὸς a διδάσκω; κλυτὸς, a κλύω, cum Latino CLYTUS; unde *inclytus*. Ad hujusmodi autem adjectiva feminina, a maſculinis obſoletis orta, & *ſubſtantive* poſita, pertinent v. gr. ἀρετὴ ab ἤρεται, verbi ἀρέω, quod ab ἄρω *apto*: δαιτὴ, quod ab obſoleto δαιτός: hoc a δέδαιται verbi δάιω *divido*; ut δαιτὴ *diviſam* ſignificet, unde ad *convivium* vel *epulas* tranſiit; quod in iis antiquitus ſuae convivis *diviſae* portiones dari ſolebant: porro κιϛὴ, quod a κιϛὸς; hoc a κέκιϛαι, verbi κίω *jaceo*. Ita ἑορτὴ, cum augmento, ab ἕορται, verbi ὄρω *concito*; ut ἑορτὴ ſignificet *concitatam*, ſcil. *multitudinem*, atque ſic *feſtum*.

Praeterea ad nomina in τις pertinent v. gr. μάντις, a μέμανται, verbi μάνω, unde μαίνω, vel μαίνομαι *inſanio*. μάντις itaque proprie *furibundum*, atque *vatem divinitus percitum*, notat. Ita φροντὶς, a πέφρονται, verbi φρόνω, unde φρονέω; πίϛις a πέπιϛαι verbi πίθω, vel πίω, cui vicinum πείθω.

Sunt tamen alia in τις, probe diſcernenda a reliquis; quae feminina ſunt a maſculino in της: ut πολῖτις *haec civis*, a πολίτης; δεσπότις *domina*, a δεσπότης *dominus*.

No-

Nomina porro in τυς huc pertinentia ſunt v. gr. ἐδητὺς, quod ab ἤδηται, hoc ab ἐδέω; quod ab ἔδω *edo*. Proprie tamen haec terminatio ex Aeolica dialecto orta eſt; ubi in υς cadunt, quae vulgo in ος; quod conſpicuum in Latinis nominibus, quae a Graecis in ος orta ſunt. Praeter ἐδητὺς huc pertinet μαρτὺς, ut Attici pronunciarunt, ortum a μέμαρται, verbi antiqui μάρω; unde uſitatum μάρπτω *prehendo*, *capio*: ut μαρτὺς ſit *qui quem comprehendit*, *vel ipſo facto deprehendit*. Hujus autem loco pronunciatum μαρτὺρ, in recentiore dialecto Attica, ortum eſt ex dialecto Laconica. Lacones enim σ finale in ρ mutare ſolent. Sic pro πάππος *avus*, dicebant πάππορ; pro παὶς, παὶρ; pro γενόμενος, γενόμενορ: id quod in vocabulis Latinis explicandis ſaepe uſui venit. Sicut in nomine CELER, a κέλης; CRUOR a κρύος &c. Praeterea ad nomina in τωρ pertinent δυνάστωρ, idem quod δυνάστης, a δεδύνασται, verbi δυνάω, vel δύναμαι; κτήτωρ *poſſeſſor*, ab ἔκτηται verbi κτάω; πράκτωρ, a πέπρακται, verbi πράσσω: quae omnia eandem rationem ſignificandi habent, quam nomina in της & τηρ. Ita a βόω, idem ſignificantia oriuntur βωτὼρ, βωτὴρ, βωτὴς, *paſtor*; a βωτὴς porro eſt femin. βωτὶς: cujusmodi *feminina* formatione etiam diſtinguenda ſunt a *femininis* in τρία; quae itidem ad maſculinum in της vulgo referuntur: revera tamen formata ſunt, intercedentibus aliis nominum formis, a *tertia* praeteriti paſſivi.

Neque aliter revera exiſtimandum de nominibus in τρος, τρα, & τρον, quae terminationes ſunt contractae, ex τερος, τερα, τερον; dum ipſa hujus generis nomina oriuntur a nominibus in τηρ, atque ſic tandem pertinent ad derivata praeteriti perfecti paſſivi.

De triplici autem hoc derivatorum genere obſervandum, nomina in μα cadentia, orta a *prima* praeteriti perfecti paſſivi, proprie ſignificare *rem ipſam, quae actione verbi deſcribitur*; a *ſecunda* perſona orta in σις, ξις, & ψις *hanc illamve actionem, verbo expreſſam*: nomina denique in τηρ, cum vicinis a *tertia* perſona orta, *perſonam agentem.* Reliquorum autem certus uſus & ſignificandi ratio, non ita accurate definiri poteſt: *adjectiva* tamen in τος, & inde orta in τη, ut ſupra dictum, *paſſivam* habent ſignificationem.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM

DE

DERIVATIS QUIBUSDAM SECUNDARIIS.

Derivata *ſecundaria*, ſive, quae oriuntur a *nominibus verbalibus*, varia ſunt & multiplicia. Quum enim, a ſingulis nominum verbalium generibus, oriri nomina poſſint, diverſis terminandi *modis* diverſa; aut etiam *ſignificatione* diſcrepantia: facile animadverti poteſt, numerum horum derivatorum propemodum eſſe *infinitum*. Cui accedit, non tantum a *nominativis*, ſeu *caſibus rectis*, oriri derivata nomina, ſed etiam a *genitivis* & *dativis*: qui, cum *nominativo*, caſus antiquiſſimos, & maxime naturales, deſcribunt.

E multis itaque ſeligenda praecipua ſunt, quibus via ad alia indaganda aperiri poſſit. Primo itaque nomina, in quibus litera ρ ante terminationem ος, ſimilemve, conſpicitur, quemadmodum ὑγρὸς, ὑδρὸς, ἱδρὸς (unde uſitatum ἱδρὼς) paucis examinanda ſunt. Videntur autem haec omnia formata eſſe, contractione, & quidem orta a *derivatis* nominibus *verbalibus*. Ita ὑγρὸς *madidus*, proxime ortum contractione ab ὑγερὸς; quod ab

ab ὑγὸς inuſitato: ſicut a φέρτος, φέρτερος, & alia ſimilia. ὕγος porro derivatum proximum eſt, a praeſenti ὕγω; quod peperit Latinum SUGO, unde *ſuccus*. A Graeco obſoleto ὕγω ortum nomen ὑγιὴς *ſanum* vulgo notat; proprie autem *ſucculentum*, vel *ſucco plenum*. Jam autem ὕγω forma fere tantum differt ab ὕδω; & utrumque quidem eſt ab ὕω, *pluo*, vel *irrigo:* qua virtute de terra ponitur, *quando foecunda pluvia irrigatur*. Ex quibus de vera virtute vocis ὑγρὸς judicari poteſt. Ad eandem originem pertinet ὑδρὸς, & femininum ὑδρὰ uſitatum. Sunt enim haec nomina omnia proprie adjectiva: ὑδρὸς autem, *ſerpentem* notans *aquaticum*, dicitur, pro ὕδερος; quod ipſum, ſignificans *madidum*, ſubſtantive ponitur, & ſpeciatim, apud medicos Graecos, notat *aquam intercutem*: contractum autem peperit nomen compoſitum, Medicis itidem notiſſimum; ὑδρώψ. Oritur autem ὕδερος ab ὕδος, quod, *aquam* ſignificans, proximum derivatum eſt verbi ὕδω, &, σ in ρ mutato, peperit, cum Graecorum ὕδωρ; tum Latinum SUDOR. Verbo ὕδω vicinum ἴδω, cujus derivatum ἰδίω, ſupereſt & reſpondet Latino SUDO: quod a Graeco ὕδω ortum. Hujus autem verbi proximum derivatum ἶδος *ſudorem* notat, peperitque derivatum ἴδερος, & contractum ἰδρὸς; unde vulgatum ἱδρὼς *ſudor*. Similis ratio aliorum hujus generis nominum eſt, ut, v. gr. ab ἄκω formatur ἄκος; inde autem ἄκερος, ac porro ἀκρὸς; ab ἄβω, ἄβος, unde Do-

rice

rice ἄβα, ejuſque loco pronunciatum ἥβη; ab ἄβος autem ἀβερὸς, & contracte ἀβρὸς.

Praeter haec & ſimilia, eadem ratione, a reliquis nominum verbalium generibus, derivata nova oriuntur. Ita a μίω *minuo*, *attenuo*, praeteritum perfectum activi eſt μέμικα, &, inde μίκος; cujus femininum μίκα ſupereſt in Latino MICA. Peperit autem μίκος, praeter Doricum μίκκος, derivatum μίκερος, & contractum μικρὸς, quod ſignificatione reſpondet Dorico μίκκος, cujus loco Aeolice pronunciatum μίκκυς, diminutivum Doribus uſurpatum, peperit μίκκυλος.

Maxime autem hujusmodi derivata oriuntur a nominibus *verbalibus* a *tertia* praeteriti perfecti paſſivi ortis; ut ſunt revera omnia nomina in τρος, τρα, τρον, aut ſimiliter cadentia. Ad hanc nimirum rationem, ab ἰάω *ſano*, nomen ἰατὸς eſt; inde ἰάτερος, contracte ἰατρὸς *medicus*: a praeterito μέμακται, quod ad μάσσω *pinſo* refertur, derivatum μακτὸς peperit μάκτερος, contracte μακτρὸς; cujus femininum μάκτρα uſitatum ſignificat *vas, in quo farina pinſitur & ſubigitur*; a praeterito πέφιλται verbi φίλω (unde uſitatum φιλέω *amo*) derivatum φιλτὸς produxit φίλτερος, &, contracte φιλτρὸς, cujus neutrum φιλτρὸν eximie *poculum* notat *amatorium*.

Obſervandum autem, nomina hujus generis in τρα & τρον, ſubſtantive poſita, generatim ſignificare *inſtrumentum aliquod*, ſeu *id omne, quo intercedente, tanquam cauſſa, hoc illudve efficiatur.*

Unde

Unde porro multa hujus generis ſpeciatim notant *mercedem ejus, quod verbo deſignatur.* Ad hanc normam, διδακτρὸν, a διδάσκω *doceo, pretium* notat *inſtitutionis*, Latine *Minerval; ἰατρὸν pretium ſanationis*, ſeu *merces, medico danda ob morbum ſanatum;* atque ita in multis aliis.

Qui conſideraverit porro ea, quae de hujusmodi nominum contractione expoſita ſunt, facile videbit, ab his parum differre nomina cadentia in ερος, ηρος, ſimiliave *pluriſyllaba;* ſicut κρατερὸς, φαλερὸς, aliaque: quae etiam *comparativorum* loco partim cenſentur, quemadmodum φέρτερος a nomine verbali φέρτος, quod a φέρω. Ad nomina in ηρος autem pertinet, v. gr. ὀδυνηρὸς formatum a nomine ὀδύνη; quod, ſubſtantive poſitum pro *dolor*, ortum eſt a maſculino ὀδυνὸς; hoc autem ab ὄδος, vel Aeolico ὄδυς, unde οἶδος *tumorem* ſignificans; quum proxime a verbo ὄδω, unde οἰδέω, *tumeo*, oriatur.

His vicina ſunt nomina derivata in αρος, ειρος, & ſimilia: quemadmodum ἔσχαρα, femininum *focus*, ab ἔσχαρος, quod ab ἔσχω; μάγειρος a nomine μάγος, quod a μάγω: unde praeteritum μέμαγμαι, quod verbo μάσσω tribuitur. Similiter ἐλάτειρα, ab ἐλάτειρος, ortum a nomine ἐλατὴρ, vel potius vicino obſoleto ἐλατεὶρ, repetendum ab ἐλάω, cujus loco uſitatum ἐλάυνω. Sic porro ἐρευνήτειρα, factum ab ἐρευνητὴρ, vel ἐρευνητὲιρ, quod ab ἐρευνάω. In his autem omnibus obſervandum, etſi orta pleraque videantur a nomi-

nominibus in ος, quod iſtae formae potiſſimum ſuperſunt; ea revera tamen orta eſſe a vocabulis, in ρ deſinentibus, qua litera, promiſcue cum σ, nomina multa terminantur. Cernitur hoc v. gr. in ὕπερος, quod próxime ab ὑπὲρ; ἀτερὸς quod ab ἄτερ *alter* & ſimilibus. Ad hanc rationem itaque μάγειρος revera dicendum eſt, non a μάγος, ſed a vicino μάγειρ, inflexo ut χεὶρ, ortum eſſe proxime. Hoc autem ſi procedit, apparet, nomina in ερος oriri a formis nominum in ερ; nomina in ηρος ab iis in ηρ; in υρος ab iis in υρ, & ſic porro: ut v. gr. ἰσχυρὸς ab ἰσχὺρ, pro ἰσχύς. Quum autem ρ & λ in pronuntiatione ſaepe permutentur, in Graecis vocabulis, apparet, nominum formas in λος cadentium, quae ab aliis nominibus orta ſunt, antecedentibus vicinas eſſe. Hac ratione ad κροτὸς *pulſus*, quod a κρόω, (unde uſitatum κρούω, *pulſo*,) derivatum κρόταλος pertinet, cujus neutrum κρόταλον ſubſtantive ponitur, pro *inſtrumento, quod pulſatum crepitat, crepitaculo* adeoque. A verbo κάπω, quod vertunt *comedo*, vel etiam *flo*, nomina ſunt κάπος: quod redditur *flatus* & femininum κάπη, quod *ſtabulum* ſonat, & reſpondet Latino caupa, copa, cupa. Inde autem nomen κάπηλος in uſu ſpeciatim notat *cauponem*. Similiter autem nomina in υλος formantur; quae pro *diminutivis* haberi ſolent, ut στώμυλος, *dicaculus*, quod a στῶμα; μίκκυλος *parvulus* a Dorico μίκκος, & ſic in reliquis.

Porro

Porro frequens quoque literarum σ & ν, in ſine vocum, permutatio: ut adeo appareat, tanquam *vicina*, huc etiam referenda eſſe nomina in νος deſinentia, ab aliis nominibus orta. Sicut, a πύκω derivatum, πυκὸς, peperit πύκινος *denſus*; a σέλω nomen σέλος, vel σέλας, *ſplendor*, peperit σέληνος, cuius femininum σελήνη proprie *ſplendidam*, ſpeciatim autem *lunam*, notat.

Sunt praeterea alia nomina, in μος cadentia, (a nominibus verbalibus repetenda) probe diſcernenda a nominibus verbalibus ipſis in μος, quemadmodum ὀνήσιμος a nomine ὄνησις, quod ab ὀνέω vel ὀνάω. Sed haec pauciora ſunt, & *adjective* maxime uſurpata; cum ipſa verbalia in μος ſubſtantiva maxime ſint.

Porro nomina in τος quaedam diſtinguenda ſunt a verbalibus in τος cadentibus, ut in primis ſunt ſuperlativi in ατος; quemadmodum πυκινώτατος, quod, ſive proxime a πύκινος, repetere velis, ſive proprie formatum dicere, a nomine πυκινότης, verbi πυκινόω, formati a πυκινὸς, parum refert. Inveniuntur praeterea nomina, ad hanc claſſem pertinentia, quae, ante terminationem ος, aliam etiam conſonantem habent: ut ſunt uſitatiſſima v. gr. nomina in ικος, ſicut τεκτονικὸς, ἱππικὸς aliaque multa: quae, *peritiam hanc illamve* denotantia, recte ad *denominativorum*, quae vocantur, claſſem referuntur. Reliqua huc pertinentia uſus & diligens veterum ſcriptorum lectio, facile ſuppeditabit, ad eandem normam, quam propoſui, explicanda.

Quae

Quae autem in nominibus in τρος cernitur contractio, eadem in multis derivatis *denominativis*, quae memoravi, locum habent: tum nimirum, quando coire conſonantes poſſunt; ut in πυκνὸς pro πυκινὸς; τέκνον pro τέκινον &c.

Sequuntur derivata *denominativa* cadentia in ιος, ια, ιον, ιης, εος, αιος, ειος, aliaque ſimilia; quae paſſim frequentiſſime obvia vel proxime oriuntur a nominibus *verbalibus*, vel etiam horum *derivatis* nominibus. Sic a φίλος eſt φίλιος, quod, Jovis *amicitiae praeſidis* epitheton, apud Latinos quoque ſuperſtes eſt, in nomine FILIUS: hujus autem femininum φιλία *amicitiam* notat, ſubſtantive poni ſolitum a Graecis. Similiter, a ϛρατὸς nomen ϛρατιὸς, femininum peperit ϛρατιὰ, ſubſtantive uſurpatum pro *exercitu*. Porro ab ἀκρὸς, ſeu ejus feminino ἀκρὰ, derivatum ἀκραῖος; ab ἄκμος ſeu feminino ἀκμὴ *vigor*, ἀκμαῖος; ab ὕγος, quod ſupra vidimus, ortum ὑγιὴς denuo peperit ὑγιεινὸς; ab ὁμὸς porro ὁμοιὸς; a θάρσος, θάρσαλος & inde θαρσάλεος; ab ἄργος ἄργαλος & ἀργάλεος, & ſic in ceteris, numero fere infinitis.

Huc porro refer nomina in ήριος, ήρια, ήριον, quae oriuntur a *verbalibus* in ηρ. Ita a σωτὴρ eſt σωτήριος, cujus femininum σωτηρία, quod, *ſubſtantive* poſitum, *ſalutem* notat; a θυσιαϛὴρ eſt θυσιαϛήριος, & *neutrum* θυσιαϛήριον, quod *altare* notat, &, ratione formationis, convenit cum θυμιατήριον, ποτήριον, aliisque.

Eadem ratio eſt nominum in ἐριος. Ita ab ἧμαι, quod ortum ab ἕω, oritur Poëticum ἦμαρ; ejus autem loco pronunciatum, ἦμηρ peperit ἥμερος, unde ἡμέρα: hoc porro ἡμέριος, cujus compoſitum ἐφημέριος; hujus autem *femininum* ἐφημερία, in libris ſacris, in plurali, *vices* eximie *diurnas* notat; ab ἦμηρ porro nomen ἧμερις, unde compoſitum ἐφήμερις *diarium* notat; inde porro adjectivum ἡμερινὸς, ut & ἡμερίδιον, quorum hoc, a Dativo ἡμέριδι, vocis ἡμερὶς, ortum, *diminutivum* eſt: haec enim probe ſecernenda ſunt ab adjectivis, in ιον, *ſubſtantive* licet poſitis. Ita diminutiva, hac ratione, formata ſunt παιδίον, a Dativo παιδὶ, nominis παὶς; φιλημάτιον *baſiolum*, a Dativo φιλήματι, nominis φίλημα *baſium*. Praeter ea nomina in ειον, quae proprie *adjectiva* ſunt, probe diſtinguenda ſunt a nominibus in ειον, quae oriuntur a *Dativis* nominum in ευς, & plerumque *locum aliquem* notant *ubi hoc illudve fit*. Ita a Dativo κεραμεῖ, nominis κεραμεὺς *figulus*, oritur κεραμεῖον, *locum* ſignificans, ubi *vaſa figulina venduntur*.

Sunt porro alia *denominativa*, cadentia in ώδης vel όεις, quorum poſteriora ſaepe contractionem ſubeunt; ut in ὀφιόεις & femininum ὀφιόεσσα, cujus loco ὀφιοῦς, ὀφιοῦσσα, i. e. *ſerpentibus abundans*, a nomine ὄφις *ſerpens*; cujus generis nomina feminina multa diverſis locis, tanquam *propria*, indita ſunt, ut ipſum ὀφιοῦσσα, quomodo *inſula in mari Balearico* fuit dicta.

Prae-

Praeter haec, & alia, *denominativa* quoque ſunt, in ων cadentia, diſtinguenda a nominibus *participialibus* in ων ſimilibusque, quae proprie *collectiva* ſunt; quemadmodum ἐλαιὼν a nomine ἔλαια *olivetum*, ῥοδὼν *roſetum*, & ſimilia multa. Alia autem hujus generis *patronymica* ſunt, ut κρονίων a κρόνος. Alia *amplificativa* dicuntur, quae commode ad antecedens genus referuntur; ut πλούτων a πλοῦτος, λύκων a λύκος &c. Quaedam *comparativorum* ſignificationem acceperunt, ut γλυκίων, a γλυκὺς, & ſimilia multa: quae omnia rite examinare, pro inſtituti ratione, non licet.

Ex his interea facile intelligi poteſt, qua ratione immenſa vocabulorum copia, in Lingua Graeca, a pauciſſimis verbis ſimplicibus oriri potuerit; ſimulque, quemadmodum hoc illudve nomen ad *propriam* ſtirpem reduci debeat.

CAPUT DUODECIMUM

DE

Verbis Originalibus Simplicissimis.

Perspecta analogia diverſorum, in verbis, temporum, nec non nominum derivatorum, facile erit, perſpicere, quaenam *verae* origines haberi, quaenam vero minus, in Lingua Graeca poſſint. Sive enim ipſae *ſtirpes*, ſive inde propagata *nomina* ſuperſint, tuto concludimus, olim verbum originale, unde nomen iſtud derivari potuit, extitiſſe.

Sunt autem alia verba, quae pro originibus habentur, *ſimpliciora*, ſive ex *paucioribus* literarum *elementis* conſtantia, alia *pluribus*. Quo autem paucioribus conſtant, eo certius ſtatui poteſt, veras eſſe, *primaſque*, ſtirpes. Ea enim verba ſimplicitatem primorum temporum potiſſimum referunt: ex quo ſimul apparet, *primitivorum* numerum valde eſſe *exiguum*, ſi cum eo *derivatorum* componatur. Accidit enim interdum, ut, ex uno verbo primitivo, tam *nominum*, quam *verborum derivatorum*, ingens copia orta ſit; quae, ſicut *formatione*, ita *vi* ſignificandi propria, ad communem ſtirpem referenda ſunt: ita tamen, ut reſpiciatur ad *quinque* formas verborum primitivo-

tivorum vicinas, pro diverſis vocalium ſonis diverſas; quemadmodum in βάω, βέω, βίω, βόω, βύω: in quibus quum nulla differentia ſit, niſi *vocalis*, terminationem verbi ω antecedentis, vix ulla ſignificationis differentia ſtatui poteſt; &, quamquam ſingula privam ſibi ſignificandi viam plerumque ſequuntur, univerſa tamen *communem* aliquam *propriam*, eamque ſimpliciſſimam, & a rebus, *in ſenſus corporeos* incurrentibus, deſumtam habent.

Quod autem dico de verbis *originalibus*, per *quinque* vocales variatis, ratione ſignificationis *propriae communis*, idem intelligendum eſt, de formis verborum *productioribus*, eodem modo variatis, & quibusdam aliis: de quibus ſuo loco dicetur.

Sunt itaque ſimpliciſſimae origines verba formata, ope vocalium *ſimplicium*, addita terminatione verbi, ſive ω; ut ἄω, ἔω, ἴω, ὄω, ὕω; ſive terminatione μι, quae *antiquior* videtur, ut ἄμι, ἔμι, ἴμι, ὄμι, ὕμι: quas verborum formas *ſimpliciſſimas* ipſa Lingua Graeca ſuppeditat. Plura enim hujus generis ſimpliciſſima verba, per rei naturam, eſſe non poſſunt.

Quaerat autem quis, utrum revera extiterint haec verba ſimpliciſſima, nec ne, & quam communem habuerint ſignificationem? Quod ſaepe difficile demonſtratu in aliis eſt, in his minorem difficultatem habet. Verbum enim ἄω, vel ἄμι, praeterquam quod ab *Heſychio* citatur evor-

 tere

tere ſcriptore, etiam reperitur apud Apollonium Rhodium; ubi *imperfectum* ἄεν, de *vento* poſitum, ſignificat *flabat*, *ſpirabat*. Imo verbum ἠμὶ *dico*, imperfectum reliquit ἦν *dicebat*, paſſim obvium apud Platonem, male enim illud ἦν vulgo Grammatici repetunt a φημὶ, omiſſa litera φ, quod analogia reſpuit. *Secundum*, quod poſui, ἕω vel ἕμι, extitiſſe olim, abunde apparet ex iis, quae de verbis εἶμι, εἰμὶ & ἵημι, eorumque temporibus diverſis, dicta ſunt ſupra. Eadem autem demonſtrant quoque, extitiſſe *tertiam* formam ἴω vel ἴμι. Inde enim oriri vidimus perſonas ἴτον, ἴμεν, ἴτε aliasque. Praeterea inde derivatum adjectivum verbale ἰτέος *eundus*, a tertia perfecti paſſivi ἶλαι nec non nomen ἴθμα *greſſum* notans, quod eſt pro ἴσμα a prima praeter. perf. paſſ. ἴσμαι: de quo genere dictum ſupra. *Quarta* forma eſt ὄω vel ὄμι, quod, rarius uſurpatum, ut pleraeque formae verborum in όω, nec non in ίω & ύω, rariores ſunt; quum e contrario verba in άω & έω ſint frequentiſſima. Quanquam autem ὄω nulla tempora, quantum memini, ſuperſtitia habet, extitiſſe tamen id in Lingua Graeca, praeter certam analogiam, manifeſto docent ejus derivata; ut ſunt verbum οἴω, nec non nomina derivata ὄϊς, ὄα, ὄαρ, ὦμος, ὖς: quae non, niſi ab hoc verbo, oriri potuerunt. Verbum denique ὕω, vel ὕμι, cum ſenſu *pluendi* ſuperſit, ulteriore inquiſitione non eget. Manifeſtum itaque eſt, extitiſſe in antiqua Lingua Grae-

Graeca has *quinque* formas ſimpliciſſimas, easque adeo merito *primas* Linguae Graecae *origines* dici.

Praeter has origines eodem in loco haberi debent ea verba, quae, a *conſonante* incipientia, in has *quinque* formas, veluti cadunt; qualia multa, per rei naturam, eſſe potuerunt: & quidem pro numero conſonantium LV. Conſonantes enim in antiquo Alphabeto fuerunt *undecim*; qui numerus, *quinquies* ſumtus, eum quem dixi, LV. producit. Ita, a litera β incipientia, ſunt

βάω, βέω, βίω, βόω, βύω; vel βάμι, βέμι, βίμι, βόμι, βύμι.

Similiter

πάω, πέω, πίω, πόω, πύω; vel πάμι, πέμι, πίμι, πόμι, πύμι;

atque ita in reliquis, de quibus omnibus rurſus obſervandum eſt, verba vicina, per *quinque* vocales tantum diſtincta, ſicut βάω, βέω &c. ſignificationem *primam* & vere *propriam* habere *communem*.

Praeterea eas verborum formas, quae quidem a *diverſa* conſonante, *vicina* tamen illa, incipiant, *ſignificandi* quoque convenientiam habere, & fortaſſe primum idem ſignificare videntur. Sunt autem literae praeſertim *vicinae* (ut ante vidimus) β & π, γ & κ, δ & τ; praeterea *li-*

quidae inter ſe fere omnes, quae adeoque in pronunciando facile permutari potuerunt, & revera, in Lingua Graeca, ſaepe permutantur: ſicut enim *liquidae* quaedam cum *mutis*. Oportet tamen, in his omnibus cautos nos eſſe, ne quid ſtatuamus, quod non aliquo ſaltem modo, ex ipſis linguae reliquiis demonſtrari poſſit.

TERTIA primitivorum claſſis cenſeri ea poteſt, quae formas verborum, iisdem quidem literis conſtantes, complectitur, alia tamen diſpoſitis ordine; ita ut, inter vocales conſonans *media* ſit: quemadmodum ἄβω, ἔβω, ἴβω, ὄβω, ὔβω; cujus generis formae verborum in ω cadentium, itidem LV. potuerunt eſſe. Sin vero verba in μι ſpectamus, (quae, nempe, ſyllabam μι adſciverunt) numero eſſe potuerunt CCLXXV. Pro uno enim ἄβω *quinque* formas habemus ἄβαμι, ἄβεμι, ἄβιμι, ἄβομι, ἄβυμι, inflexa ut ἵςαμι, τίθεμι, ἵμι, δίδομι, ζεύγνυμι, atque ita in reliquis: de quibus omnibus rurſus, quod ad formas vicinas, idem, quod de antecedentibus, eſt obſervandum.

Porro tenendum eſt, inter haec ipſa verba eſſe, quae non amplius *primae* ſtirpes ſint habenda; ſed quaedam formata a verbis ad *prius* genus pertinentibus, praefixa vocali: ſicut fieri videmus in verbo ἐθέλω pro θέλω; ἔσχω pro σχῶ, vel σχόμι; ἵςαμι pro στάμι; ὄκελλω pro κέλλω &c. Hujusmodi aliquid v. gr. accidiſſe putem in verbo ἄγαμι, cujus Medium ἄγαμαι uſitatum; hoc enim

enim ab ea *explicandi*, quae verbo γάω vel γάμι ejuſque formis *vicinis* & *derivatis* quibuſdam ineſt, quaeque maxime in derivato ἀγάλλω, ſimilibuſque, cernitur, accepit: quare factum id arbitror a γάμι, praefixo α, quae litera, vocabulis Graecis praemiſſa, ſaepe eorum vim *intendit*, nonnumquam etiam plane otioſa videtur. Ita pro πᾶς *omnis* (quod proprie *participium* verbi πάμι) ἅπας dicitur, aucta ejus virtute, ut ſit quaſi *omnis omnino:* haec autem etſi ſic ſeſe habere revera videntur, non ita tamen accipienda ſunt, quaſi primis temporibus omnes has verborum formas in Lingua Graeca uſitatas fuiſſe vellem: id quod, poſt tot annorum millia, in hac Linguae Graecae penuria, nemo facile definiverit. Sufficit nobis, ex certis analogiae Graecae regulis confici poſſe, has origines exiſtere olim potuiſſe; atque adeo, in vocabulis pure Graecis ad origines reducendis, has ſemper ſpectandas eſſe. Imo hoc ipſum ſaepe indicio eſt, hoc illudve verbum originale in prima Ling. Graeca exſtitiſſe, etſi ejus ſignificatio *primaria* plane lateat: ut ſaepe accidit in primis originibus.

Id interea nemo inſicias ibit, plerarumque originum tam manifeſta veſtigia etiamnum in Lingua Graeca reperiri, ut, de pleriſque ſaltem, dubitare non liceat: quod jam, exemplo *quinque* verborum ſimpliciſſimorum, oſtendi. Qua ratione ſi quis, per reliqua verba originalia,

procedat, maximam ſane eorum partem ea via reſtituere poterit.

Sequitur quartum genus verborum, quae vulgo pro *primitivis* habentur, ab iis etiam, qui analogiae rationes in Lingua Graeca in primis conſiderandas eſſe volunt. Sunt autem, ſi verba in ω ſpectantur, *quadrilitera*, ſeu ex *quatuor* conſtantia literis; ita ut *duae* conſonantes & *duae* vocales, alternatim poſitae, verbum conficiant: quorum verborum numerus admodum magnus eſſe potuit. Permutando enim vocales & conſonantes, tot modis, quot eſſe poſſunt, verba diverſa, orirentur LV, ſicut βάβω, βάπω, βάγω, βάκω & ſic porro. Si vero formas verborum in μι conſideramus, numerus etiam *quinquies* major fit; quum pro *uno* βάβω, *quinque* formas habeamus βάβαμι, βάβεμι, βάβιμι, βάβομι, βάβυμι. Quae omnia etſi per Linguae analogiam exiſtere potuerunt, minime tamen ad *unum* extitiſſe putem.

Videamus pauca hujus generis, tantum in ω cadentia, ut γάνω, γένω, γίνω, γόνω, γύνω; κάνω, κένω, κίνω, κόνω, κύνω; δάκω, δάμω, δάπω, δέκω, δέλω, δέμω, δέρω, δίκω, δίνω; κάκω, κάλω, κάμω, κάπω, κέλω, κέπω, κέρω, κίνω; λάβω, λάκω, λάλω; πέπω, πέρω, πένω; τάλω, τάμω, τέλω, τέμω, τένω, τέρω; τίγω, τίλω, τίνω, τύκω, τύλω, τύπω & quae plura hujus generis ſunt: quae omnia, ſicut ſupra memoratum γάνω, per V vo-

vocales, multiplicari poſſunt. Etſi autem multa horum pro *primitivis* veris haberi poſſunt, & in plerisque derivatis, ſi ad hujuſmodi verba reducta ſunt, nativa ſignificandi vis ſatis perſpicitur, multa tamen ſunt, quae referri poſſunt ad verba originalia *trilitera* pura, de quibus dictum eſt ſupra. Ita, qui novit, verba πίνω & πίω eodem ſenſu *bibendi* uſurpari, dubitare nequit, quin verbum πίνω derivatum ſit a πίω. Similiter κίνω (unde ortum κινέω) referendum ad κίω; quod eandem *movendi* notionem habet, quam verbum κινέω. Verbum δέμω quum notat *exſtruo*, *compingo*, nemo dubitabit, quin ſit repetendum a δέω *ligo*: porro δάπω, & inde δάπτω ſignificat *avide edo*; jam vero δαίομαι, quod a δάω ortum, *edere* quoque ſignificat: ut veri ſimile ſit, δάπω eſſe a ſimpliciori δάω. Qua ratione, ſi quis per reliqua verba hujus generis progrediatur, is facile animadvertat, pleraque eorum, imo omnia fortaſſe, derivata eſſe a verbis *triliteris puris*, formata, interpoſitione conſonantis mediae; adeoque ſicut a κίω, κίνω, ita a δάω oriri δάκω, δάπω, δάμω, atque ita in reliquis: praeſertim ſi quis attenderit ad verba productiora; ubi pari modo conſonantes ante ω interpoſitas eſſe deprehendet.

Porro obſervandum, pleraque horum verborum ſignificatione ſua *propria* convenire; quando non, niſi vocali in *priori* ſyllaba, differunt; ut γάνω, γένω, γίνω, γόνω, γύνω: quorum tria

γένω,

γένω, γίνω, & γόνω, quin verba *cognata* ſint, dubitare nos non ſinunt reliquiae, in ipſa Lingua Gr. ſuperſtites; ut γίνομαι, γένομαι, &, inde nomen γένος; praeterea γονέω, & nomen γόνος, quod rectius ad γόνω, quam ad γένω, refertur. Verbum autem γύνω extitiſſe, docet nomen γύνη mulier, fem. a γύνος, quod in multis compoſitis ſuperſtes. Hujus autem verbi γύνω ſignificatio quum eadem fere ſit, quae verbi γένω; inde orta vox γύνη proprie valet *genitricem*, & inde *mulierem*; in primis, oppoſite ad *virginem*, *mulierem nuptam* deſignat. Supereſt γάνω, quod hujus ſignificationis pauciora reliquit veſtigia. Qui vero cogitaverit, hujus generis alia verba, quamplurima, literis α & ε, tantum diſcrepantia, ſignificandi virtute plane convenire; ad eorum ſimilitudinem hoc quoque verbum examinandum eſſe, facile largietur: adeoque γάνω idem ſignificare quod γένω. Sic ſane βάλω (unde βάλλω) & βέλω, unde βέλος *jaculum*, conveniunt. Similiter verborum ςάλω & ςέλω eadem ſignificatio eſt; atque ita in aliis quamplurimis. Quod hoc minus mirandum, quoniam, ſaltem horum pleraque, a verbis *triliteris* oriuntur; quemadmodum ſupra dictum.

Quod ſi jam verba γάνω, γένω, γίνω, γόνω, & γύνω, reſpiciamus, in verbis *triliteris* γάω, γέω, γίω, γόω, γύω, manifeſta eſt ſimilitudo ſignificandi; quae eſt *aperiendi*, *explicandi*, *producendique*: unde reliquae notiones facile repeti poſſunt.

ſunt. Sicut autem verba *trilitera*, a conſonantibus vicinis incipientia, ſignificandi convenientiam habent, ita etiam *quadrilitera*, a *triliteris* orta; adeoque, quemadmodum κάω, γάω, & χάω, *explicandi*, *hiſcendi*, quaeque iis vicina eſt, *findendi* ſignificationem habent; ſic quoque verba κάνω, γάνω, χάνω: quae praeſertim conſpicua eſt in verbo χάνω, ejuſque derivato χαίνω, quod redditur *hiſco*. Imo eadem in κένω fuit. Inde enim κένος *vacuus*, quod idem ac *hiſcens*. Debuit itaque eadem quoque eſſe in κάνω: ut ex antedictis apparet. In verbo autem γάνω facile explicatur, ex derivati proximi γάνος notione: notat enim *laetitiam*, adeoque id quod *frontem explicet*, ut Latini fere loquuntur.

Ex dictis jam nemini mirum videbitur, tot quoque verba *quadrilitera* convenire ſignificatione; quae media tantum conſonante differant. Ita μάρω, unde ſupereſt μάρη *manus*, nec non verbum μάρπτω, cum verbo μάπω, unde Jones ſuum μαπέω fecerunt, ſignificatione convenit. Neque mirum hoc, quum in origine conveniant, quae eſt μάω: quod verbum a notione *movendi*, *meandique*, eam *procedendi*, *inveſtigandi*, *prehendere ſtudendi*, imo *prehendendi* ſignificationem accepit. Similis multorum aliorum ratio eſt: in quibus omnibus ſemper reſpiciendum, quid exempla, ex ipſa Lingua Graeca ſumta, ſuadeant.

Reliqua verba *quadrilitera* ad *primitivorum* claſſem longe minus pertinere videntur; ut ſunt

ea,

ea, quae a *duplici conſonante* incipiunt: quemadmodum πνέω, κνάω, δράω, βρύω, στάω, aliaque multa: exceptis tantum iis, quae ficta ſunt a ſono literarum *duplicium*; ut ſunt verba ξάω, ξέω, ξίω, ξόω, ξύω; ψάω, ψέω, ψίω, ψόω, ψύω; ζάω, ζέω, ζίω, ζόω, ζύω; aliaque quaedam: quibus omnibus proprie ſonus, qui formatur horum verborum pronunciatione, ſignificatur; ad quam ſignificationem *propriam*, reliquae omnes referri debent. Vocantur autem hujus generis verba ὀνοματοπεποιημένα, quod ſinguntur a *ſono* ſeu *nomine*. Ita verba ξάω, ξέω &c. propria ſunt *ſono, qui editur, aliquid vehementer radendo;* unde notio *radendi* multis verbis derivatis, ipſisque his primitivis, propria facta eſt. Verba ψάω, ψέω &c. propria ſunt *levi ſtridori, qualis eſt aëris ſpirantis, quique labiis compreſſis aërem efflando editur;* unde ψιθυρίζειν *ſuſurrare* notat.

Tandem ζάω, ζέω &c. propria ſunt *aquae aliive liquori, prae fervore ebullienti;* qualis ſonus in primis percipitur, quando in *laminam candentem conjicitur aqua;* inde autem profecta *fervendi* notio his verbis adjuncta.

Sunt autem praeterea verba a ſono formata quamplurima; quemadmodum πρίω, & inde πρίζω, quod *ſono ſerrae* lignum ſecantis proprium, ſimilitudine ſoni, qui eſt literarum πρ, obſervata. Similiter κλύζω proprium *ſono, qui fit vaſis, aliisque corporibus, aquae immergendis, ibique movendis.* Unde in uſu eximie notat *vaſa lavare.*

Addo

Addo verbum antiquum χρέω (unde Latin. SCREO, nec non Graec. χρέμμα, ſignificans *ſcreatum*; praeterea verbum χρέμπτειν, vel uſitatius χρέμπτεσθαι, SCREARE: praeterea vox χρέμος, cujus diminutivum χρέμυλος ſaepe in comoediis nomini proprio *ſenum* inſervit, ac praeterea inde ortum χρεμετίζειν *equis* tribuitur *ejuſmodi ſonum edentibus*:) verbum, inquam, χρέω non aliam habet notionem propriam, quam qui exprimitur, *ſono* hominis *ſcreantis*. Diſtinguendum itaque omnino inter verbum χρέω, a ſono factum, & aliud verbum χρέω, quod peperit nomen χρέος *debitum*, & vicinum eſt verbo χράω, aliisque formis, quae originem communem habent primam verbum χέω, a χέρω.

Praeter alia hujus generis verba, a *ſono* quodam facta, quaeque merito adeo pro *primis* habentur originibus, magna copia verborum eſt, quibus diverſi animalium *ſoni* denotantur; quae adeoque omnia in eodem loco habenda ſunt: ut ſunt γρύζειν, quod eſt *porcorum*; μυκᾶσθαι, quod eſt *boum*; ὑλάκτειν & βαύζειν, quae *canum* ſunt; ὀγκᾶσθαι, quod *aſinorum*; βομβεῖν, quod *apum* eſt; aliaque ſimilia multa, quae legi poſſunt in Lexico, quod edidit Cel. *Valckenaerius*, in Animadverſionibus ad Ammonium, Lib. III. cap. 18.

Huc refer verbum λάω; unde λάλω, & λαλέω, *loquor*: quod ab alio verbo λάω *capio* diſtinguendum. Similiter βόω *boare* diverſum a βόω, unde βόσκω *paſco*: cujus generis verba, iiſdem literis ſcri-

ſcripta licet, diverſam ſignificandi rationem habent: id quod in aliis etiam obſervandum interdum.

Praeter haec & ſimilia verba reliqua, a *duplici* conſonante incipientia, ad *derivatorum* claſſem pertinere arbitror: quemadmodum illa quoque, quae quatuor literis conſtantia, duas conſonantes *medias* habent, inter duas vocales; ut ἅπτω, quod ab ἅπω; ἵπτω quod ab ἵπω, quae cum τύπτω a τύπω componenda. Porro alia verba *quadrilitera* ſunt, in quorum prima ſyllaba diphthongus eſt; ut δαίω, παίω cet. & hujus generis *trilitera*; ut οἴω, αἴω, αὕω &c. imo verba *quadrilitera* in ω *purum* cadentia, ut ἀκέω, ὀχέω, ἐρέω, aliaque: quae omnia merito *derivatorum* numero habentur.

Longe minus ad vere primitiva verba referenda eſſe arbitror ea, quae *quinque* literis conſtant, quocumque modo diſpoſitis; ſicut ἰσχύω, ποιέω, βαίνω, πονέω, τύπτω, σφράω, ϛράω &c. quae omnia, vel a verbis *primitivis* vel a *nominibus* proxime orta, revera *derivata* ſunt. Quae vero pluribus etiam literis conſtant, itidem *derivata* ſunt cenſenda.

CAPUT

CAPUT DECIMUM TERTIUM

DE

VERBIS DERIVATIS PROXIMIS.

UT nominum derivatorum alia *proxime* accedunt ad originem, alia, *intercedentibus* aliis *derivatis*, ab origine remotiora ſunt: ita verba derivata alia *proxima* ſunt, alia formata, *intercedentibus* aliis, ſive *verbis*, ſive *nominibus*. Et quidem *proxima* derivata verba formantur; *primo* vocalem inſerendo ante terminationem verbi. Ad hanc rationem ab originibus ſimpliciſſimis oriuntur ἀίω, ἀέω &c. a verbo ἄω; ὀίω ab ὄω; ſic in verbis in μι ab ἕμι, ἕεμι; a δόμι, δόομι & ſic porro. Ita a verbis *triliteris* oriuntur *quadrilitera*: ut ab ἕλω, ἐλάω, ἐλέω, ἐλίω, ἐλόω, ἐλύω; ab ἄκω, ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω; in quibus mirandum non eſt, ſignificationes *quinque* formarum vicinarum easdem proprie eſſe, quum omnes ad eandem originem pertineant. Quae formae porro, per varias figuras, varias & privas ſignificationes accipiunt, propagatas dein per *nomina*, & *verba*, inde derivata. Ita ἄκω ſignificat *acuo*, adeoque eadem ſignificatio propria eſt derivatorum ἀκέω & ἀκόω. Singula tamen fere haec derivata diverſam & privam ſigni-

 fican-

ſicandi rationem, a prima repetendam, ſequuntur. Ἀκέω, nimirum, ab *acuendi* notione eam accepit privam *inſtrumentis acutis, id quod lacerum eſt, ſarciendi;* quemadmodum veſtes *acu:* unde dein illam accepit *vulnera ſarciendi*, & ſic porro generatim *ſanandi, medendique.* Quae dein ſignificatio, per omnia derivata hujus verbi viguit. Inde nimirum ἄκεσμα & ἄκημα *medelam* ſignificat; ἄκεσις *ſanationem;* ἀκεστὴς, vel ἀκέστωρ, *medicum*, unde dein ἀκέστρια, proprie magis, *ſartricem*, altius vero tranſlatum *mulierem* notat *medicam:* quae omnia cum aliis quamplurimis in Lexicis reperiri poſſunt. Quo autem magis pateat, memoratum ἀκέω ortum eſſe ab ἄκω, ſimilis uſus facit, in derivato proximo verbi ἄκω. Eſt enim ἄκος idem quod Lat. ACUS ſignificatione ſecundaria idem quod ἄκεσμα *medela.* Ab eodem verbo ἄκω ortum ἀκόω, praeter alia derivata, quae *propriam* ſignificationem propius ſequuntur, derivatis ſuis, quemadmodum ἀκοὴ & verbo ἀκούω, aliisque multis inde ortis, ſignificationem conciliavit *audiendi*, ſimilitudine tranſlationis ſumta ab *acumine auditus;* qua tranſlatione in linguis fere omnibus nihil frequentius: atque eadem ratio aliorum derivatorum. Similiter ab aliis verbis *triliteris* derivata fiunt *quadrilitera;* quemadmodum a βόω, βοάω, βοέω, &c. a δάω, δαάω, δαέω, δαίω &c. Similiter a *quadriliteris*, ſive ea *originalia*, ſive minus, ſint habenda, *quinque* literis conſtantia verba oriuntur, ut a τύπω,

τυπέω, a δάμω, δαμάω &c. Ea enim ratione, per *vocales* progrediendo, denuo *quinque* formas vicinas invenimus: de quibus idem, quod de reliquis, tenendum eſt.

Alia porro derivata, ab iisdem verbis originalibus, oriuntur, primam ſyllabam vocali ſubjunctiva augendo. Ita ab ἔω, εἴω; ab ὄω, οἴω; ab ἄω, αὔω, per diphthongum in *prima* ſyllaba, formantur.

Similia a *triliteris* formata ſunt. Ab ἄρω verbum αἴρω; ab ἔρω, εἴρω; ab ἔκω, εἴκω; & in iis, quae a *conſonante* incipiunt: ut a βάω, βαίω; a κάω, καίω & καύω; atque ita in aliis. Ubi obſervandum, eadem ratione alias vocales inſeri, quae per diphthongum non coaleſcunt, ut in αέρω ab ἄρω &c.

Porro ſimile quid in *quadriliteris* fit. Ita a τένω (quod a τέω procul dubio repetendum) ortum τείνω; a κέρω, κείρω; a πέρω, πείρω; a τέρω, τείρω; a χάνω, χαίνω & χαύνω cet. Neque tantum haec verba propagandi ratio in primitivis locum habet, ſed etiam aliis utcumque productis, & a prima origine remotis: in quibus omnibus, ad eandem rationem, novae verborum formae factae inveniuntur. Ita ab ἔλω, interpoſitione vocalis ι, factum εἴλω denuo peperit formas productas εἰλέω, εἰλίω, εἰλύω; & ſic in alliis. Similiter ab ἔλω formatum ἐλάω denuo peperit ἐλαύω; unde porro ortum ἐλαύνω: ab ἄκω ortum ἀκόω peperit ἀκούω: a πόω factum ποίω, dedit ποιέω. A πέρω

propagatum πείρω, ſuppeditavit πειράω, atque ſic porro in aliis.

Praeter haec derivata, *augmento* vocalis formata, alia ab originibus oriuntur, additione conſonantis, tam in *medio* quam *initio*. Fiunt autem, modo conſonantem *mediam* geminando, quemadmodum βάλλω, a βάλω; τίλλω a τίλω; ἔῤῥω ab ἔρω; vel aliam addendo conſonanti, quae in primitivo eſt; ſicut ἅπτω ab ἅπω; ἔργω ab ἔρω; ἄρκω &c. ab ἄρω; τύπτω a τύπω; κύπτω a κύπω; πίλνω, a πίλω, quod vicinum verbo πέλω: in quibus tamen rectius ſtatui putem, contractionem eſſe factam, id quod in multis manifeſtum eſt. Ita ἔρδω & ῥέζω inter ſe conveniunt, non, ut Grammatici volunt, tranſpoſitione literarum; quaſi, pro ῥέζειν pronuntiatum, ἔρζειν produxerit ἔρδειν; ſed quod duplex forma fuit ῥέζειν & ῥέδειν, a quorum poſteriore, praefixo ε (ſicut in ἐθέλω a θέλω fit) primum ortum ἐρέδειν peperit ἔρδειν. Ad eandem rationem a κέρω factum κερίω; inde autem κερίνω duas verborum formas diverſimode contractas peperit, κρίνω nempe & κέρνω, quod eſt Latinum CERNO, &, ratione contractionis, convenit cum vicino κίρνω, in multis derivatis ſuperſtite. Simile itaque in multis aliis obſervatum, in omnibus hujuſcemodi formis locum habere, puto.

Porro ejusmodi formae verborum, de quibus ſupra dixi, etiam fiunt, ante *conſonantem* primitivi aliam inſerendo. Ita a λάβω, quod etſi a λάω oritur, hic tanquam *primitivum* conſideramus;

mus; a λάβω, inquam, eſt λάμβω; ab ἄγω, ἄγγω; a θίγω, θίγγω. Quum autem in hujusmodi verbis pauciſſimae conſonantes ſint, quae, hac ratione inſeruntur, in verbis *puris* contra pleraeque omnes interponi poſſunt. Ita, quod modo vidimus, λάβω, a λάω ortum, β interpoſitum habet. Sic δάπω a δάω, γάνω a γάω, & alia quamplurima, alias conſonantes interpoſitas habent: quae dein *conſonantes* vel *geminantur*, vel etiam *alias* denuo *adſciſcunt* literas.

Idem porro in formis productioribus fieri videmus; ut in ἀνύτω, ab ἀνύω, καλλύνω, a καλλύω, atque ſic porro infinitis aliis: quae omnia variis modis denuo, ſive per *vocalem*, ſive per *conſonantem* produci, & novas ex ſe parere formas poſſunt.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

DE

Productioribus verbis Derivatis ab aliis verbis ortis.

Praeter derivata verba *proxima*, ingens copia *derivatorum* eſt, quae, mediantibus aliis propioribus, ad origines ſuas reduci debent; &, quidem *primo* loco, quae oriuntur a verbis *puris*, quae a *quadriliteris* formata ſunt, contrahendo, nempe, ea in initio. Ita a verbis πέλω, πέρω, πέτω, τέρω, formae derivatorum proximae oriri potuerunt πελάω, πελέω, πελίω, πελόω, πελύω; περάω &c. πετάω &c. τεράω &c. A quibus omnibus, ſi contractionem primarum ſyllabarum inſtituas, verba oriuntur derivata πλάω, πλέω &c. πράω, πρέω &c. πτάω, πτέω &c. τράω, τρέω, & ſic in centenis aliis; ubi eadem, quae ſupra, de formarum vicinarum ſignificatione ſimili dixi, locum etiam habent.

Obſervandum autem, in his occurrere etiam verba, quae ad hoc genus non pertineant; quamvis ſimili modo formata, in primo adſpectu

ſpectu videantur: ut ſunt in primis, quae a *ſono* finguntur. Ita, quod ſupra diximus, verbum πρίω, quamvis conveniat cum derivato, ſupra memorato, πρίω, diverſam tamen naturam habet: quum illud *ſono ſerrae* ortum debeat, hoc vero derivatum ſit verbi περίω, quod a πέρω, *tranſadigo*, unde πρίω, vel Medium πρίαμαι, ſenſu *emendi* poni ſolet. Similis ratio eſt derivati πτύω, orti a πέτω, unde facta verba πετάω & πετύω; a πετύω autem πτύω idem proprie notat, quod πετάω *expando*: a πλύω vero formatum πλύσσω valet, quod *expanſum eſt complicare*; unde ἀναπλύσσειν & ἀναπετάειν, ſignificatione fere in uſu conveniunt: hac tantum cum differentia, ut ἀναπετάω ſignificet *ſurſum expandere*, vel *repandere*, & ita generatim *explicare*, ἀναπλύσσειν vero *plicas alicujus rei tollendo, efficere, ut explicetur.* Differt autem derivatum hoc πτύω, unde πτύσσω eſt, ab alio verbo πτύω, quod valet SPUO, & factum eſt a *ſono hominis deſpuentis*: quae notio propria etiam in hujus verbi derivatis ſpectanda eſt. Inde nimirum orta ea *contemnendi*, *averſandi*, aliaeque, quae in derivatis & compoſitis cernuntur. Neque alia ratio eſt nominis πτύον *ventilabrum* inde orti. Eſt nimirum *inſtrumentum, quo ſordes frumenti moti, veluti, deſpuuntur.*

Huc porro pertinent alia quaedam verba, obſervatione potiſſimum cognoſcenda; quorum prima conſonans, aliunde adſcita, ad originem non pertinet: id quod fere perpetuum eſt in verbis,

quae, ante conſonantem *originalem*, literam σ habent; ſicut σχίω, στάω, aliaque quamplurima. Jam vero ab his aliisque, tam *ſimplicioribus*, quam *productioribus*, novae verborum formae denuo oriuntur; interponendo hanc illamve literam inter vocales: ut a κλέω, κλείω; a κρέω, κρείω; a πνίω, πνίγω; quod a *premendi* notione eam *ſuffocandi* accepit. Similiter a μίω, inſerta conſona, ortum μίνω peperit *minuo*, & hoc, inſerta conſonante, μινύθω; ab ἔλω, ἐλύω, ἐλύθω, unde imperfectum ἤλυθον. Ita a βαίω, βαίνω; ab ἄγω, ἀγέω, ἀγέρω, quod dein contractum etiam peperit ἄγρω cui eſt vicinum ἔγρω ab ἔγω repetendum: nec alia ratio eſt verbi ὄφλω, pro ὀφέλω, unde ſuperſtes ὀφείλω & ὀφέλλω, quae originem habent antiquam ὄπω; unde ſuperſtes Latinum OPS, ſignificans *copiam*.

Praeter haec autem, & ſimilia alia verba, *diverſis* quoque verborum primitivorum *temporibus* originem debent: & quidem praeterito *perfecto* & *futuro*. Ita a *perfecto* praeterito oriuntur, ſi non omnia, pleraque ſaltem, quae *praeteriti* characteriſticam habent ante ω: ut eſt ὀλέκω, ab ἔλεκα, verbi ὀλέω; cujus loco uſurpatur ὄλλυμι. Simili ratione a praeterito ἕστηκα verbi στάω, verbum novum eſt στήκω, vel, ſervato augmento, ἑστήκω. Saepe enim in his derivatis *augmentum* perfecti ſervatur, etiam *reduplicatum*. Ita a φύω praeteritum πέφυκα, peperit πεφύκω; a verbo κλήγω, quod pro κλάγω eſt, unde ortum κλάγγω, prae-

praeteritum κέκληγα, peperit κεκλήγω; a praeterito πέποιθα, quod verbo πείθω tribuitur, verbum novum πεποίθω, quod denuo peperit verbum purum πεποιθέω: eadem ratione, ut ſupra vidimus, a verbis *ſimplicioribus productiora* fieri, interponendo vocalem ante ω. Similiter a forma vicina πέπιθα, repetendum πεπίθω, quod peperit πεπιθέω, cujus futurum πεπιθήσω legitur in Homeri Iliad. X, v. 223.

Quin etiam talia contractionem interdum patiuntur. Ita a φένω, praeteritum πέφενα, peperit πεφένω; quod contractum in πέφνω; a μέλω eſt μέμελα, unde μεμέλω peperit contractum μέμλω, &, inſerta β, μέμβλω. Plura hujus generis diligens veterum lectio facile ſuppeditabit.

A *futuris* verborum magna copia novarum formarum itidem oritur. Sunt autem omnia, non tantum, quae, ante ω, characteriſticam *futuri* habent, uti ὄρσω ab ὄρω, ſed etiam ea in ζω, σσω, ττω, δδω, & forte etiam in πτω cadentia, & quaedam alia. Verba autem, in σσω cadentia, repetenda ſunt a verbis in άω, έω, ίω, όω, ύω, quorum futura deſinunt in άσω, έσω, ίσω, όσω, ύσω, in quibus σ interdum geminatur, apud Poëtas. Ita pro φράσω dicunt interdum φράσσω; pro γελάσω, γελάσσω; pro νίσω (quod a verbo νίω) νίσσω, unde Medium νίσσομαι; pro ὀλέσω, ὀλέσσω; pro ὀμόσω, ὀμόσσω; pro ἀνύσω, ἀνύσσω &c. quorum veſtigia quamplurima apud poëtas inveniuntur.

Apparet itaque, hujuſmodi verba in σσω, ſicut πράσσω, ἐρέσσω, εἱλίσσω &c. revera *futura* eſſe, ſenſu praeſentis uſurpata: ut interdum *futurum* pro *praeſenti* poſitum invenitur.

His proxime accedunt verba in ττω. Nam ut σ & τ frequenter permutantur, in pronuntiatione: ita Attici recentiores verba in σσω pronunciarunt per ττω; dixeruntque πράττω, ἐρέττω, εἱλίττω.

Apparet itaque, utraſque formas ortas eſſe a verbis *puris*, adeoque a πράω, ἐρέω, & εἱλίω: quae porro, ſecundum ſupra traditas regulas, facile ad primas *origines* reducuntur.

Ab his autem non differunt niſi pronunciatione, pro variis dialectis, diverſa verba in ζω, δδω, ut & ττω: ut jam in antecedentibus, ubi de *formatione temporum* agebatur, dictum eſt. Ita, quod vulgo pronunciabant πυκάζω, a Doribus efferebatur πυκάσδω, a Lacedaemoniis vero πυκάδδω; quum Boeotii ſimilia efferrent in ττω. Porro quod Tarentini pronunciabant v. gr. νίζω, in vulgari dialecto Graecorum, erat νίπτω; quod vulgo ὄπτω pronunciabatur, Aeolibus ſonabat ὄσσω, atque ita in aliis ſimilibus: ex quibus ſatis apparet, haec omnia ejuſdem generis eſſe verba, proprie a *futuris primitivorum* orta. Diſtinguenda tamen ſunt verba in ζω, quae *imitativa* ſunt, a nominibus orta: ſicut Ἑλληνίζειν, ab Ἕλλην, quod eſt *Graecos imitari*, & inde *Graece loqui*; Ἀττικίζειν ab Ἀττικὸς, *Attice loqui*; Λεσβιάζειν a Λέσβια, quod eſt *Lesbiam imitari*, unde ſenſum dein turpiſſimum accepit.

A

A *futuris* porro oriuntur verba cadentia in ξω, Attica; ut ἄυξω, ἀλέξω, &c.: quae revera *futura* ſunt verborum in γω. Ita ἀλέξω fit ab ἀλέγω, ἀύξω ab ἄυγω: haec autem *futura*, ad regulas ſupra traditas, nova pepererunt verba ἀλεξέω, & ἀυξάω; unde dein ἀυξάνω. Ad eandem rationem verba in ψω, ut ἕψω, cum ſuis derivatis, ad veras ſuas ſtirpes reducuntur. Eſt enim ἕψω futurum verbi ἕπω, & ſic in aliis.

A *futuris* porro oriuntur verba in σκω; quemadmodum διδάσκω, ἀρέσκω, βόσκω, τιτύσκω, κυίσκω; quae oriuntur a futuris διδάσω, ἀρέσω, βόσω, τιτύσω, & κυίσω, verborum διδάω, ἀρέω, βόω, τιτύω, κυίω: quorum primum & penultimum, reduplicatione aucta, repetuntur a δάω & τύω, quorum hoc peperit τύκω, vicinum verbo τεύχω. Solet nimirum hujusmodi reduplicatio non ſolum conſpici in verbis in μι, ut δίδομι &c. ſed aliis etiam quam plurimis: ut adeo in originum inveſtigatione, ad id quoque attendi debeat.

Huc autem forte referenda quoque tempora Jonica, in σκον cadentia, quae verbis *primitivis* adſcribuntur a Grammaticis; ut ἐρητύσασκον, & ſimilia multa: quod forte non proxime pertinet ad ἐρητύω, ſed formam productiorem obſoletam ἐρητυσάσκω, quod ab ἐρητυσάσω, verbi ἐρητυσάω, formati a *futuro* ἐρητύσω; cujus praeſens ἐρητύω, quod in Lexicis reperitur. Aliae autem formae verborum a *futuris* formatorum, longe rariores ſunt in σθω, ſicut βιβάσθω, ἔσθω, ἄισθω &c.

quae,

quae, etſi orta videri poſſunt a verbis in θω, inſerto σ ante θ, ut, in temporum formatione fieri interdum, ſupra vidimus: melius tamen a *futuris* repetuntur; ſive ſtatuas, θ ortam eſſe ex σ, quod in *futuro* erat geminatum; ſive etiam ante ω inſertum. Peperit autem memoratum ἔσθω, uſitatiſſimum ἐσθίω; ἄισθω vero, primum ἀισθάω, & dein ἀισθάνω.

Tandem huc pertinent verba *deſiderativa* in είω, quae, ante terminationem είω, characteriſticam habent *futuri*. Ita, a πολεμέω, futurum πολεμήσω, verbum peperit πολεμησείω, *bellare deſidero*; a verbo, δράω *futurum* δράσω, peperit δρασείω; ab ὄπω futurum ὄψω, peperit ὀψείω. Similiter ἀλλαξείω, ab ἀλλάξω repetendum; quod futurum habetur verbi ἀλλάττω, vel ἀλλάσσω, tametſi rectius refertur ad obſoletum ἀλλάγω; quod una cum ἀλλάσσω, fit ab ἀλλάω, quod a nomine ἀλλός. Reliquas verborum formas, quae ab aliis verbis proxime oriuntur, unicuique indagandas relinquo: quum omnia ſimilibus modis facile inveniantur.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUINTUM

DE

Verbis a Nominibus ortis.

Hactenus vidimus, qua ratione verba *derivata* a verbis *primitivis* oriantur. Reſtat de iis agendum, quae a nominibus proxime deſcendunt. Neque enim tantum *verba*, a *verbis*, formarunt, ſed etiam a *nominibus*, imo etiam multa, in quibus utriusque generis derivandi ratio ſpectanda eſt. Accidit enim ſaepe, ut *nomen* aliquod, a verbo formatum, novum *verbum* pepererit; hoc vero rurſus *nomen:* unde denuo aliud verbum.

Poſſunt autem, per rei naturam, *derivata verba* oriri, ab omni fere *derivatorum* nominum genere; terminatione nominis in eam *verbi* mutata. In quibus generatim hoc obſervandum eſt, ſemper *privam* & *propriam* habendam eſſe eam ſignificationem, quae eximie *nomini* ſubjecta ſit; mutata tantum nominis ſignificatione, in eam verbi. Exemplo rem videamus. Ab ὄρω, quod, vicinum verbo ἔρω, ſignificat *necto, cum impetu feror*, *excito* & alia; ab ὄρω, inquam, derivatum

tum proximum eſt ὅρος *limes*, *terminus:* inde formatum verbum ὁρίζω, non generalem amplius notionem verbi ὅρω (unde, mediante ὅρος, ortum eſt) ſequitur; ſed ſpeciatim eam nominis ὅρος, unde proxime fit, atque ſic ſignificat *terminare*, *terminum ſtatuere.* Ab eodem verbo ὅρω, ſeu ejus praeterito activo ὧρκα, eſt nomen ὅρκος ſpeciatim notans *jusjurandum.* Haec itaque poteſtas, tanquam *propria* & *prima*, ſpectanda eſt in *verbis inde derivatis;* ut ſunt ὁρκόω *caveo ab aliquo jure jurando*, & ὁρκίζω *jurejurando obſtringo.* Similiter a verbo δέω, generatim notante *ligo*, *vincio*, ortum nomen δοῦλος *ſervum* notat. Hujus itaque nominis poteſtatem ſequuntur verba inde formata, ut ſunt δουλόω, active ſignificans *in ſervitutem redigo*, & δουλεύω, ſenſu neutro, notans *ſervio* vel *ſervus ſum.*

Addo tertium exemplum, idque paullo explicandum enucleatius. Ab ἔκω, quod procul dubio ab ἔω, EO, ortum eſt, derivatum fit εἴκω; ut apparet, ex regulis ſupra traditis: hoc autem valet *cedo.* Hujus perfectum eſt οἶκα, vel, cum *augmento*, ἔοικα: niſi hanc *praeteriti* formam repetere malis ab antiquo οἴκω, quod (ut ſupra vidimus) eodem redit. Ab hoc autem praeterito, οἶκος derivatum proprie *ſeceſſum*, & inde ſpeciatim *domum*, notat. Ab hoc nomine denuo varia derivata, tam *nomina* quam *verba* fiunt: & *nomina* quidem primo οἴκιος, cujus femininum οἰκία, ſubſtantive poſitum, vel *domeſti-*

meſticum locum notat, & tum idem eſt, quod οἶκος; vel *familiam* quaſi *domeſticam*, quando valet *familiam*. Hujus autem neutrum οἴκιον eodem modo, ut foem. οἰκία *domum* notat. Praeterea inde verbum οἰκέω valet *domum habeo*, vel *habito*, nec non οἰκίζω, vi terminationis, ſignificans *domum facio*, *exſtruo*: quae duo verba ea ratione probe diſtinguenda ſunt. Porro ab οἶκος, ſeu forma vicina obſoleta οἰκὶς, formae vicinae productiores ſunt οἴκισκος & οἰκίσκη: quae, ſubſtantive poſita, vi terminationis, notant *parvam domum*. Praeterea οἰκίδιον, οἰκάριον, quae omnia *diminutiva* ſunt, a formis vicinis nomini οἶκος, formata. Ab οἰκία porro οἰκιακὸς *domeſticum* notat; quam notionem reliqua hujusmodi *derivata* ſequuntur. Praeterea a verbi οἰκέω, *habito*, perfecto paſſivi οἴκημαι, formatum οἴκημα proprie *id* notat, *quod habitatur*, *domum* adeoque: quum hujus diminutivum οἰκημάτιον ſignificat *parvam domum*.

A *ſecunda* autem hujus temporis οἴκησαι, nomen οἴκησις proprie notat *habitationem*; unde adjectivum οἰκήσιμος *habitabilis*.

A *tertia* perſona denique οἴκεται, vel οἴκηται, nomen eſt οἰκέτης i. e. *qui domum habitat*, *domeſticus*; & inde ſpeciatim *famulus*: ſicut femininum οἰκέτις *domeſtica*, *famula*, *ancilla*: inde porro adjectivum οἰκετικὸς *is* dicitur, *qui famulandi artis peritus eſt*. Alia autem forma οἰκέτιος *foemininum* peperit, *ſubſtantive* poſitum, οἰκετία, notans *familiam*.

liam. Porro ab οἰκέτης, novum verbum οἰκετεύω, in Medio verbo, *famulandi* notionem habet. Apparet itaque, derivata ab οἰκέτης *privam* hujus nominis notionem ſequi.

Ab οἰκέτης autem revera non differt οἰκητὴς, ſeu ejus forma vicina οἰκητὴρ & οἰκήτωρ; uſu tamen diſtinguuntur. Οἰκητὴς, nimirum, & οἰκήτωρ; generalem verbi οἰκέω notionem *habitandi* ſequuntur, & notant *habitatorem*, *incolam*: quae poteſtas quoque, in, vicinae formae οἰκητὴρ, derivato οἰκητήριον cernitur: quum ſignificat *locum habitationis*, adeoque *domum*. Ab οἰκήτωρ autem adjectivum derivatum οἰκητόριος peperit *adjectivum* plurale οἰκητόρια, ſcil. χρήματα, vel σκεύη: quare ſic *vaſa domeſtica* vocantur. Vide *Heſychium* in voce.

Ab eadem autem *tertia* perſona οἰκητὸς *habitatum* ſignificat. Ab his omnibus diverſa derivata verbi οἰκίζω *aedifico*, cujus verbi derivata *privam* notionem ſequuntur. Sic a *prima* perſona perfecti paſſivi ᾤκισμαι, nomen οἰκισμὸς *aedificationem* ſignificat; a *ſecunda* ᾤκισαι, οἴκισις *aedificandi actionem* notat; a *tertia* ᾤκισαι, οἰκίστης *aedificatorem conditoremve* ſignificat; atque ita in reliquis horum derivatis.

Porro jam ab οἶκος aliud adjectivum οἰκεῖος generatim quidem notat *domeſticum*; ſpeciatim vero de eo uſurpatur, *qui quocumque neceſſitudinis vinculo conjunctus eſt*: unde, tanquam *propria* notione, reliquae *metaphoricae* hujus vocabuli ejusque

que derivatorum, repetendae ſunt. Hinc, nimirum, οἰκειότης *familiaritatem*, *amicitiam*, notat: quod nomen, etſi in της deſinit, tamen *denominativum* eſt ex eo genere, quod, ab adjectivis formatum, hanc illamve *qualitatem virtutemve* notat.

Praeterea, ab hoc adjectivo, verbum novum οἰκειόω *familiarem reddo* ſignificat, vel *neceſſitudinis vinculo obſtringo*. Inde porro nomina οἰκείωμα & οἰκείωσις, quae verbi οἰκειόω poteſtatem ſequuntur.

Haec de diverſis ſignificandi virtutibus ſufficiant in his & ſimilibus.

Videamus porro *derivata* verba, a praecipuis *nominum derivatorum* generibus facta. Vidimus ſupra, derivatum eſſe γέρων, ſeu nomen eſſe *participiale*. Hoc autem peperit *deſiderativum* verbum in άω, γεροντιάω, (formatum a Dativo γέροντι) ſignificans *ſenium*, & inde *ſtultitiam*, *delirium reſipio*. Sic ab ἄκων, *jaculum* ſpeciatim notante, ἀκοντίζω ſignificat *jaculum vibro*; atque ita in ſimilibus aliis. Similis ratio nominum *participialium Paſſivorum* eſt. Ex quo genere γυμνὸς eſſe vidimus, *nudum* notans. Inde verbum γυμνόω *denudo*, nec non γυμνάω, & γυμνάζω; quae proprie quidem *nudum facere* notant, ſed ſpeciatim, *nudando ad certamen gymnicum inſtruere*: unde dein *exercere in palaeſtra*: quae poſtrema poteſtas maxime cernitur in derivatis verbi γυμνάζω. Γυμνόω vero propriam notionem retinuit *nudandi*,

etiam

etiam per ſua derivata. Ipſum *γυμνάω* in deſuetudinem abiit. Reliquit tamen derivatum *γυμνήτης*, ſpeciatim notans *nudum armis gravioribus*, *levis armaturae* adeoque, *militem.* Γυμνοὶ, nimirum, Graecis peculiariter etiam dicebantur ii, qui *armis non* eſſent *tecti*. Differt itaque derivatum *γυμναστὴς*, proxime ortum a *γυμνάζω*, a voce *γυμνήτης*, quae proxime ad *γυμνάω* pertinet, quod *γυμναστὴς eum* ſignificet, *qui alios in palaeſtra exerceat*. A *γυμνήτης* porro novum verbum *γυμνητεύω* hujus notionem ſequitur, notatque *levis armaturae militem eſſe*: de cujusmodi verbis deinceps. Atque ita de reliquis nominibus *participialibus*, eorumque *derivatis*.

Ab aliis autem nominibus *derivatis proximis* non minor copia verborum oritur. Ita ab ἔθος, vel forma vicina obſoleta, ortum ἐθίζω *adſuefacio* notat; quum ἔθος ſonet *morem*, *conſuetudinem*: a στενὸς *anguſtus*, verbum στενόω *anguſto*; a μαῖα *obſtetrix*, verbum μαιεύω, vel Medium μαιεύομαι, *obſtetrix ſum*.

Porro a nominibus *derivatis* a praeter. *perfecto Activo* nova verba ſunt; qualia jam ſupra vidimus οἰκέω & οἰκίζω. Praeterea a θῶκος *ſedes* derivatum θωκέω *ſedem habeo*, vel *thronum*: adeoque *in throno ſedeo*. Sic a θάκος *ſedes*, θακέω *ſedeo.* Vidimus enim jam ſupra, haec nomina orta eſſe a verbis θαάω & θαόω. Porro ab ἀφὴ, orto a Praeterito ἧφα, verbi ἅπτω, vel ἀπῶ *necto*; unde

de *tactum* notat: ab *ἁφὴ*, inquam, *ἁφάω contrectare manibus* ſignificat; nec non alia forma *ἁφάσσω*, orta proprie a *futuro* *ἁφάσω* verbi *ἁφάω*.

Porro a *nominibus*, quae a praeterito Medio formata ſtatuuntur, derivata ſunt verba, ut a *πόρος*, verbum *πορέω*; a *λόγος*, *λογέω* & *λογίζω*; a *λόχος*, *λοχάζω* & *λοχίζω*: praeterea *λοχέω*, *λοχάω* & *λοχίω*, quae aut ipſa, aut in derivatis ſuperſunt, & varias ſignificandi vias ſequuntur. Eſt, nempe, a verbo *λέχω*, ſpeciatim ſignificante *cubo*, nomen *λόχος*: proprie adeoque eum ſignificans, qui *cubat*, unde ſpeciatim *numerum* vel *manum militum* notat, qui *excubias agunt*, atque ſic *centuriam decuriamve* militum deſignat: praeterea eos notat, qui *in inſidiis collocati occulte*, veluti, *cubant*, atque ſic dein *inſidias*. Porro a *cubandi* notione *λόχος parturientem mulierem*, vel *puerperam*, notat. A triplici itaque hac poteſtate, derivata a *λόχος* ſignificationes acceperunt. Inde, nimirum, *λοχίω* peperit nomen *λοχίτης*, ſignificans *militem manipularem*; praeterea verbum *λοχίζω* ſignificans *decurio*, vel *in centurias diſpono*; a *ſecunda* autem ſignificatione, *λοχίτης* quoque notat *eum, qui inſidias ſtruit*, ſ. *inſidiatorem*; *λοχίζω* autem *in inſidiis collocare*. Alia autem verbi forma *λοχάω*, & inde *λοχάζω*, itidem a *λόχος*, cum novis ſuis derivatis, iisdem fere uſibus inſerviunt. Imo *λόχμη*, a ſimpliciori verbo *λόχω*, jam eo reſtringitur a Grammaticis; dum *inſidias* interpretantur: proprium tamen hoc eſt *luſtro ferali*,

rali, ubi *cubare* ferae ſolent, quo ſenſu a veteribus uſurpatur; inde dein *locum* notat, *fruticibus*, ſeu *virgultis denſum*, qui potiſſimum luſtro ferarum inſervire poſſit. Inde itaque verbum λοχμόω, & Medium λοχμόομαι ſeu compoſitum ἀπολοχμόομαι ſignificat *denſis fruticibus ſilveſco*.

Tertia denique ſignificandi ratio, per multa derivata propagata, inter alia cernitur in derivato verbo λοχεύω *pario*, quae ipſa ſignificatio etiam tribuitur ab *Heſychio* verbo λοχίζω; imo etiam verbo productiori λοχετέω, quod a λοχετὸς, hoc vero a λοχέω, quod tandem a λόχος.

Sequuntur derivata verba a *nominibus verbalibus*, a prima praeteriti perfecti Paſſivi ortis: quae facile cognoſcuntur ex *characteriſtica* perfecti Paſſivi μ. Ita a δεσμὸς formae oriuntur vicinae δεσμόω, δεσμέω, & δεσμεύω: δεσμὸς autem derivatum eſſe a *prima* perfecti paſſivi jam ante vidimus. Similiter a πνεῦμα ſeu caſu ejus obliquo, verbum πνευματόω eſt, notans *flatum excito*; porro ab ἕρμα *fulcrum*, verbum ἑρμάζω; ab hujus autem Dativo ἕρματι verbum ἑρματίζω, cum ſuis derivatis notant *fulcio*, *ſtabilio*; a nomine μνῆμα, ſeu ejus dativo μνήματι, ortum μνηματίζω ſupereſt in compoſito ὑπομνηματίζω, in uſu notante, *commentariis ſcriptis interpretor*.

Porro a nomine μνήμων, quod ejusdem formae, atque φράδμων & *tenacis memoriae hominem* notat: a μνήμων, inquam, μνημονεύω ſignificat *memoria*

moria tenaci eſſe, vel active, *rei alicujus memoriae firmiter infixae recordor.* Similis porro ratio eſt iſtorum nominum, in quibus, ante μ, litera σ tranſiit in θ, ut ἀριθμὸς, unde ἀριθμέω, quae de *numero* ponuntur. Sic ἀρθμὸς *amicitia* peperit ἀρθμέω i. e. *amicitiae foedus ineo;* atque ita in reliquis aliis omnibus.

Ut autem *characteriſtica* perfecti paſſivi μ horum derivatorum verborum characteriſtica eſt; ita literae σ, ξ & ψ characteres ſunt, unde cognoſcantur verba, a *nominibus verbalibus* orta, quae proficiſcuntur a *ſecunda* perfecti paſſivi verborum primitivorum: quae tamen probe diſtinguenda ſunt ab iis verbis, quae proxime a *futuris* oriuntur. Quod maxime docet ſignificatio, quae ſemper, ut vidimus, proxime antecedens primitivum ſequitur. Pauciora autem ſunt ea, quae proxime oriuntur a *nominibus*, in quibus *ſecundae* perſonae perfecti paſſivi characteriſtica nuda σ cernitur: cujus tamen generis eſt φυσάω, *ſufflo*, ortum a nomine φύσα *follis*, quod ortum a πέφυσαι verbi φύω. Plura a nominibus, quae literas ξ & ψ *characteriſticam* habent, orta inveniuntur. Sic ab ὀξὺς, (quod ab ὄκω repetendum) derivatum ὀξύνω; a δόξα, quod a δόκω, δοξάζω. Similiter a caſibus obliquis hujusmodi nominum oriuntur; ut v. gr. a πτέρυγι, nominis πτέρυξ, verbum πτερυγίζω; a σκόλοπι, nominis σκόλοψ, σκολοπίζω &c.

Ad *derivata* tandem verba, facta a nominibus, quae orta ſunt a *tertia* perfecti paſſivi, referenda ſunt pleraque, quae literam τ characteriſticam, ante terminationem verbi, habent. Ita a μάρτυρ eſt μαρτύρω, cujus Medium μαρτύρομαι uſurpatur: nec non μαρτυρέω. A μαθητὴς, μαθητεύω & *deſiderativum* μαθητιάω, ſignificans *diſcipulus eſſe cupio.* Hujusmodi enim verba vim habent *deſiderandi:* ſicut quoque οὐρητιάω *mejere cupio*, a nomine οὐρητὴς, cujus loco οὐρητὴρ, apud Anatomicos, ſpeciatim notat *meatum urinarium*, id autem a verbo οὐρέω eſt, quod valet *mejo.* Similiter πασχητιάω deducendum eſt ab inuſitato πασχήτης, quod proprie notat eum, *qui patitur*, ortum ab inuſitato verbo πασχέω, quod ab uſitato πάσχω: ut adeo πασχητιᾶν ſignificet *cupio* πάσχειν i. e. *pati* vel, ut loquuntur, *cupio pathicum eſſe*, i. e. *virum pati*, quare de *cinaedis* dicitur.

A derivatis porro in τος orta ſunt veluti θετέω a θετὸς; τακτέω a τακτὸς; πιςέω a πιςὸς; ἀλτέω ab ἀκτὸς: cujus generis verba potiſſimum in compoſitis ſuperſunt, ut ἀθετεῖν, ἀτακτεῖν, ἀπιςεῖν, ἀγανακτεῖν. Aliae autem formae hujus generis etiam *ſimplices* ſuperſunt: quemadmodum a πιςὸς, πιςεύω; ab ἄριστος, ἀριςεύω; a nomine φυτὸς, vel a φυτὸν, quod, a φύω ortum, *plantam* notat, verba φυτάω, & φυτεύω *planto.* Similiter a foemininis hujus generis, ſubſtantive poſitis, nominibus repetenda ſunt; ut ἑορτάζω & alia ſimilia.

Por-

Porro ad nomina in τις hujus generis referenda ſunt; ut v. gr. φροντίζω ad φροντὶς, ſimiliaque.

Reliqua autem, huc pertinentia, ſimili ratione explicanda, uſus & lectio veterum ſcriptorum facile ſuppeditabunt.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

DE

Literis, ab initio verborum, aliunde adscitis.

Ne quid reliquum ſit, quod, origines verborum inveſtiganti, impedimento poſſit eſſe, paucis inquirendum eſt in naturam eorum vocabulorum, quae quidem ſimplicia ſunt; attamen *litera* aliqua a principio aucta, non, niſi hujus omiſſione, ad veram originem reduci poſſunt.

Ad literas autem quod attinet, quae tali modo praefigi vocibus poſſunt, ſunt eae *pleraeque omnes*: ut (quemadmodum in orientalibus linguis) in literas *originales*, & *non originales* minus recte diſtingui poſſint. Praeterea, pro *diverſis dialectis*, *diverſa* horum *ratio* eſt. Quare de iis in primis literis agendum, quae, nulla adeo dialectorum habita ratione, vocabulis interdum praefiguntur: ſine quarum obſervatione, vocis alicujus origo vera & prima cognoſci nequeat. Eo itaque ordine, quem in principio hujus tractationis propoſui, literarum antiquiſſimi Alphabeti progrediar.

Pri-

Primum igitur de quinque ſonis naturalibus vocalium A, E, I, O, Υ, agendum. Ad literam

A

quod attinet, ea variis modis praemittitur; & quidem ita, ut modo ſignificationem vocis, cui jungitur, *mutet*, modo *eandem* relinquat: de qua poſteriori ratione hic in primis agendum; cum altera ratio commodius ad *compoſitorum tractationem* referatur.

Praefigitur autem α, eo, quo dixi, modo, cum *nominibus* tum *verbis*: & quidem, ſi ad altiſſimas origines adſcendamus, dubium poterit videri, an non omnia, vel ſaltem pleraque, *verba trilitera*, ſi non orta ſint a ſimpliciſſimis ἄω, ἔω, ἵω, ὄω, ὕω, hac ratione derivanda ſint a ſimplicioribus monoſyllabis; ut, verbi gratia, ἄβω a ſimpliciſſimo βῶ, ἄγω a γῶ, ἄδω a δῶ, ἄλω a λῶ, ἄρω a ῥῶ &c.

Quod ne plane abſonum videatur, in hac antiquitatis altiſſimae caligine, verbum ἀμείβω liceat intueri; quod vertunt *tranſeo*. Hoc, quo minus dubites, oriri ab ἀμείω, ad regulas ſupra traditas, forma facit vicina ἀμεύω, ſenſu *tranſeundi* etiam uſurpata; in quorum utroque, ut alibi vidimus, ι & υ (ſubjunctivae vocales) originales literae non ſunt; ut adeo utrumque ortum ſit ab ἀμέω. Compone jam Latin. MEO, unde nomina *meatus* &c. Eſt autem huic verbo

propria quoque *tranſeundi* poteſtas: ut dubitari non poſſit, quin Graecum ἀμέω & Lat. MEO verba ſint, communem ſtirpem habentia; adeoque monoſyllabum μῶ, unde primum ἄμω, dein ἀμέω, &, alia ratione, μάω, μέω, μίω, μόω, μύω: ex quorum uno μέω Latinum MEO factum.

Simile quid apparet in λάω, vel λῶ, ſenſu *capiendi* ſuperſtite, apud Grammaticos: unde λάβω & λαμβάνω. At ejusdem ſignificationis ſunt fere ἀλόω, ἁλίσκω, ἕλω, & ſimilia; quorum priora duo ab ἅλω repetenda: ut dubium vix ſit, quin revera ἅλω & ἕλω ad monoſyllabicum λῶ ſint referenda. Atque hoc quidem minus mirum videbitur, ubi de reliquis vocabulis cognovero.

Longe autem manifeſtiſſima haec literae α praefigendae ratio eſt in iis verbis, quorum utraque forma ſuperſtes eſt: ut ſunt μέρδω & ἀμέρδω *privo*, μέργω & ἀμέργω *exſugo*, μέλγω ſeu Lat. MULGEO &, ejusdem virtutis, ἀμέλγω. Quae, aut fallor, aut omnia communem ſtirpem habent μέω, vel ſimpliciorem etiam μῶ, & quaſi a *meatu*, ſeu *ſpatio*, quo res ſeparantur, ſignificationem acceperunt, alia *privandi*, alia *exſugendi*, alia *mulgendi*, quaeque ſimilia ſunt.

Similiter uſitata ſunt ἀσπαίρω & σπαίρω, ἀσκαίρω & σκαίρω, ἀλέγω & Lat. LEGO, aliaque plurima: quibus in omnibus α, ſine ulla ſignificandi diverſitate, ab initio praefixum eſſe, formae vicinae docent.

Eadem

Eadem porro ratio nominum eſt; ut ςαφὶς & ἀςαφὶς *uva paſſa*, ςάχυς & ἄςαχυς *ſpica:* quorum hoc Atticis proprium tribuitur. Similis forte ratio nominis πᾶς & ἅπας, quae tamen ſignificatione parumper diſtinguuntur.

Fateor equidem, objici poſſe huic doctrinae, in plerisque vocabulis α non magis videri praemiſſum, quam in iis formis, ubi non apparet, omiſſum videri: quemadmodum fit in nomine ςεροπὴ *fulgur;* hoc enim, loco ἀςεροπὴ pronuntiatum, non poteſt non oriri ab ἀςὴρ; quod ab ἄω: ut in hoc α manifeſto ſit litera originalis. Etſi autem concedo, eſſe quaedam, ubi α, in alia forma additumne ſit, an in alia omiſſum, dubites: in plerisque tamen hujus generis non eſſe literam originalem, abunde exempla, ex ipſa Lingua Graeca depromta, declarant.

Simile quid locum habet, in vocabulis multis, ab

E

incipientibus. Etſi enim quaedam ſunt, in quibus ε omitti videtur, ut νέρθεν poëticum pro ἔνερθεν, χθὲς pro ἐχθὲς: in plerisque tamen omnibus, praeſtat dici, hanc literam originalibus praefixam eſſe. Ponamus rurſus exemplum verbum ἔκω *venio.* Huic plane reſpondet aliud verbum κίω *venio, vado.* Eadem autem ſignificatio quoque verbi ἴκω, nec aliud proprie verba ἄκω & ὄκω: quorum omnium ſignificatio, quum proprie

prie eadem ſit, vix dubitari poteſt, quin origine eadem ſint verba, pronuntiatione tantum diverſa. Non poſſunt itaque non eſſe orta a ſimpliciſſimo κῶ: niſi ab ἄω, ἕω & vicinis repetere quaedam malis; quod tamen vix veriſimile. Jam ab ἕκω eſt ἐκεῖνος, a κέω autem, (cui vicinum κίω) eſt κεῖνος. Aut ſi κεῖνος, omiſſione literae ε factum velis, hoc ab ἐκεῖνος eſt. Quod etſi dubium videri poteſt, utrumque tamen primam habet originem κώ.

Clariſſime autem iſta additio cernitur, in verbis iis, nominibusque, ubi ε *augmenti verbalis* habet naturam; ut in ἐϛήκω, a ϛήκω, quod a ϛάω; ἐϛερσὴ, ab ἔρση *ros* cet. de quibus ſupra. Eadem ratio jam aliorum nominum eſt, & verborum. Sic ἔεδνα pro ἕδνα, *munera ſponſalia*, dicuntur interdum a poëtis: quod nomen ἕδνον dubito, an non ſit, contractione, & praefigendo ε, factum ex antiquo δόνον, unde Lat. DONUM, a verbo DO, ſeu Graeco δόω. Praeterea conſpicua eſt iſta additio in ἔχω, ἐρεύγω, ἐθέλω, ſimilibusque. Et quidem ἔχω oriri a χῶ, ſaltem cum eo convenire, docet verbum σχέω vicinum. σ enim in hoc *originalem* literam non eſſe, dein docebitur. Eſt ergo χέω, quod a χώ; unde aliae formae ὄχω, ἴχω & ὄχω, de quibus poſtea. ἐρεύγω autem, cui reſpondet Lat. RUCTO, quin oriatur a ῥέω, ῥέγω, ῥεύγω, nemo dubitabit, qui compoſuerit inter ſe horum verborum ſignificationes. ἐθέλω tandem, & θέλω, ejusdem ſignificationis verba,

adeo

adeo conveniunt cum verbo θέω, unde τίθημι, ut dubitari non poſſit, quin inde oriantur: quod enim aliquis apud animum *ponit, conſtituitque*, id *velle* intelligitur.

Eadem ratio vocalis

I

eſt, ut in verbo ἴχω, modo memorato, quod forte produxit ἰχθὺς *piſcis*, ἴχνος *veſtigium*, & alia ſimilia. Hoc enim, a χῶ factum, produxit ἴσχω, ſicut ἔχω peperit ἴσχω, inſerta litera σ. ἴσχω autem cum ipſum ſupereſt, tum variis vocabulis ortum dedit, ut nomini ἰξὸς *viſcus*, cujus in aucupio uſus eſt. Similiter inde ἰσχὺς *robur* & alia ſimilia. Nulla autem tam manifeſta additio hujus literae, quam in verbo ἵστημι, formato, ut vulgo recte docent Grammatici, a στάω.

Non minus clara porro veſtigia reperiuntur vocalis

O

ut in ὀκέλλω, pro κέλλω, quod ipſum Lat. CELLO, quod utrumque ſupereſt. Huc itaque pertinere puto ſupra memoratum ὄχω, quod vicinum verbo ἔχω, a monoſyllabico χώ. Similiter ὀκλάζω, *in genua procumbo*, non aliunde repetendum niſi a κλάω, cui vicina ſunt κλίω, & κλίνω, quod Lat. CLINO. Addo Graec. ὄνομα, quod a verbo νέμω repetendum, additione literae ο, Lat. docet NOMEN. Pau-

Pauciſſima autem ſunt vocabula, ab

Υ

incipientia. Quo difficilius eſt oſtendere, hanc vocalem etiam, ut reliquas, praefigi poſſe literis originalibus. Neque tamen repugnat analogia Linguae, quae eandem hujus literae eſſe rationem docet. Quare veriſimile eſt, ſi quae ſint verba, non derivata a ſimpliciſſimo ὕω, origine Graeca; ea orta eſſe, praefixa vocali υ, ab initio, verbis ſimpliciſſimis, a conſonante incipientibus.

Praeter antiquiſſimas has vocales,

Η

quod, in Jonica Dialecto, ſaepe loco Α eſt, praemiſſum, quoque in quibusdam cernitur; ut in ἠβαιὸν pro βαιὸν, ἠμύω, pro μύω, & ſimilibus: ubi tamen ſemper ex Α, vel interdum Ε, orta eſt.

Sequuntur conſonantes, & primo quidem *labiales*,

Β & Π

nam *adſpirata* Φ, & *duplex* Ψ, huc non pertinent; quia recentioris inventi ſunt literae.

Manifeſta autem ratio literae Β, ab initio additae, vocabulis *Doricis* praeſertim; ubi vicem *ſpiritus* obit. Ita βρόδον Aeoles dicunt pro ῥόδον;

βράκος

βραχος pro ῥάκος; qua de re quoque jam alibi dictum. Imo Pamphylii, teſte Heraclito, promiſcue omnibus vocalibus praepoſuerunt B, in quibus tantundem fere valebat, ac *digamma* Aeolicum. Sic βαβέλιος eſt, loco ἀέλιος; βέδος loco ἕδος; βραπαλον pro ῥάπαλον; βρόψ pro ῥόψ, quod peperit καλάβροψ *baculus paſtoralis*. Atque huc quodammodo pertinet β, inſertum in media voce; ut in γάμβρος, facto a γάμερος, quod a γάμος; μεσημβρία, ex μέσος & ἡμέρα.

Horum autem, ſimiliumque, quaedam, in alias dialectos tranſierunt. Et in primis hoc uſu venit in vocabulis Latinis, ab υ incipientibus. Litera enim β, mollius paullo pronuntiata, a Latinis per *v* expreſſa eſt. Quapropter pronuntiant *veſtis* pro *beſtis*, a Graec. ἔσης. *Veſta* a Graec. ἕσα, vel ἑσία, & ita in ſimilibus.

Cavendum tamen, ne in vocabulis, vere contractis, a β, ſequenti conſona, incipientibus, literam β habeamus *adſcititiam*: ut in βρώσκω, ubi βρῶ ex βόρω ortum; βλώσκω, ubi βλῶ ex βέλω, vel βάλω, factum.

Idem porro tenendum, in vocabulis, a π incipientibus, quae pauciſſima ſunt, in quibus π non eſt *originalis* litera, ut πήλικος ab ἥλικος; πόσος ab ὅσος; πȣ ab ȣ &c. Licet in iis ſignificationem ipſam mutet, addita litera π. Praeter haec, & ſimilia, ſi quae forte ſint, ea, unicuique indaganda, relinquo.

Pro-

Proxima autem his literis mutis, *liquida*,

M

eſt, quae non raro, in dialectis, cum β permutari ſolet. Praemittitur autem haec etiam interdum vocalibus, ut in μόσχος, μόχλος, ſimilibusque. Eſt enim μόσχος pro ὄσχος, quod ab ὄσχω, cui vicinum ἔχω. Poſterius eſt ab ὄχλος, quod ab ὄχω.

Eadem autem litera in primis inſeritur vocibus; & quidem praeſertim ante *labiales*, ut in κύμβη *cymba* pro κύβη, quod a κύω; κύμβαλον, pro κύβαλον, a κύβω; τύμπανον, pro τύπανον, a τύπω,, unde τύπτω. Sic dicitur utrumque ὄβριμος & ὄμβριμος: cujus origo & ſignificatio quaerenda, in verbo cognato voculae βρὶ, unde βριαρός. Similiter in ὀμφὴ, μ inſerta, ab ὀφὴ, quod ab ὄπτομαι, vel ὄπω, unde ὂψ *vox*. Nec alia ratio eſt nominum κόμπος *ſonitus* & κόμψος. Eſt enim litera ψ *labialis* quoque; ut fere generalis regula poſſit conſtitui: „ *literam* μ, *ubicumque ante* „ *labialem inveniatur*, non *eſſe* originalem."

Venio ad *linguales* δ, τ, ν, λ. Et quidem

Δ

vocabulis praefigi interdum, manifeſto eſt indicio nomen δνόφος, quod, in origine, convenire cum νέφος, ipſi Grammatici teſtantur. Eſt, nempe,

nempe, loco νόφος, quod, ſive a νόφω, ſive a νέφω repetas, eodem redit. Quo autem clarius pateat, δνόφος eſſe a νόφος, efficit ejusdem virtutis vox γνόφος, ubi γ eadem, qua hic δ, ratione, praefigitur. Unde merito conficias, eſſe alia quoque vocabula, in quibus δ praefixum ſit.

Quod forte uſu venit, in nomine δρίον, pro ῥίον *cacumen montis*, quod apud *Heſychium* invenitur. Similiter δρόσος, pro ῥόσος, eſſe putem, & hoc a ῥέω, vel ῥόω, ortum: ut docet Latin. ROS. Porro verba δράμειν, & τρέχειν, adeo ſunt cognata ſignificatione, tantamque convenientiam habent in formis ſimplicioribus, ut vix dubites, quin communem ſtirpem habeant ῥέω & ῥάω. Nihil aliud enim fere δραμεῖν, ac δράσσειν, quod manifeſto a δράω: τρέχω autem a τρέω eſt. Ponamus itaque, formas vicinas ῥάω & ῥέω, &, praefixis literis vicinis, δράω & τράω, δρέω & τρέω, & ſic progrediendo per derivata, inveniemus vicina δραμεῖν, & τρέχειν. Habemus hoc exemplo, ut literae δ, ſic literae

T

praefixae veſtigia: ut pateat, non ſolum in *medio*, quemadmodum ſaepe ſit, ſed etiam in *principio*, τ interdum non eſſe *originale*: etiamſi nulla ſignificationis mutatio ſit facta, ut in aliis fit; quemadmodum in τόσος ab ὅσος; τοῖος ab οἷος; τήλικος ab ἥλικος; τότε ab ὅτε; τηνίκα ab ἡνίκα; τέως

ab ἕως; τήμερον ab ἡμέρα, & aliis: in quibus omnibus vim habet *commonſtrantis* quaſi *digito*.

Promiſcue tamen res ſeſe habet, ſive τ addatur, ſive omittatur, in *articulo* ὁ & ὅς, ubi partim in *caſibus obliquis* τ additur, partim non.

Idem in litera adſpirata

Θ

in voce θαμὰ, quod pro ἅμα eſſe volunt Grammatici, locum habere, vix puto. Videtur enim θαμὰ aliunde ortum, & forte a verbo θάω. Accedit diſcrepantia ſignificationis harum vocum. Clarius idem cernitur in voce θάτερος, ubi tamen θ loco τ, eſt, ob *ſpiritum aſperum* in voce ἕτερος, & ἅτερος. Eſt autem, in hoc vocabulo, ſimilis quaedam poteſtas literae τ, quae eſt in τήμερον, ſimilibusque.

Venio ad literam

N

quae, praeterquam quod in *fine* frequentiſſime additur, in *initio* etiam praefixa ſtatuitur in voce νήδυμος, voce Homerica, quam, pro ἥδυμος, eſſe volunt. Ego vero ex νὴ & δύμος ortam putem, (quod [δύμος] a δύω *ſubeo, mergo*) ſicut νήγρετος, νηκέρδης, & ſimilia formantur.

Ut autem μ, ante *labiales*, in *medio* inſeritur, ſic ante *linguales*, ν. Ita a σκάδω eſt Latin. *ſcando*; a σκάδαλον, σκάνδαλον; a χάδω, χάνδω. Sic ante

ante τ ut ἀκάμαντος, loco ἀκάματος, *indefeſſus :* ante θ, ut μινύνθω, loco μινύθω; unde μίνυνθα, μινυνθάδιος.

Similiter ante *palatinas ;* ut in κλάγγη, pro κλάγη, in Latin. CLANGO, a Graeco κλάγω; in λέλογχα, & λόγχος, pro λέλοχα & λόχος; ἔγχος pro ἔχος, ab ἔχω; ἐνέγκω pro ἐνέκω, quod dedit ἐνείκω. Nam, etſi in his γ ſcribitur, revera tamen, loco ν, eſt : ut ipſa pronuntiatio docet,

Porro

Λ

praefixane in quibusdam ſit, dubium videtur. Quae enim convenientia ſtatuitur vocum αἰψηρὸς, & λαιψηρὸς, ea fortaſſe nulla eſt. Notat quidem utrumque *celer*, ſed αἰψηρὸς in primis de *tempore* dicitur ab *Homero*, ortum haud dubie ab αἶψα, quod notat *ſubito*, oriturque ab ἅπτω, cui vicinum ἀίσσω *ſubito metu feror.* Λαιψηρὸς vero *pernicitati* pedum, ſimilive *velocitati*, convenit : voce ut videtur, compoſita, ex λαι pro λα, & ψῆρος, quod a ψαίρω *rado, properanter accedo.* Ita compoſita ſunt λάμαχος, λάκριτος, λασθένης, λάσαυρος, &, inſerto ι, λαικάστρια, ſimiliaque : in quibus λα ſignificationem vocis valde *intendit;* ortum ab antiquo λὰς, quod convenit cum λάας, λᾶος, ſimilibusque.

Lingualibus non male puto accenſeri poſſe literas ρ & σ: quare eas ſubjungo. Ac literae

P

quidem difficilior pronuntiatio effecit, ut non facile praefigeretur literis originalibus.

Eadem tamen in *medio* ſaepe inſerta, aut geminata. Secus ſe res habet in litera

Σ

quae cum in *medio* ſaepiſſime inſeritur, ut ſupra, variis locis, vidimus; tum in *initio* frequenter praefigitur, & quidem ante *vocales*, ut in vocibus σέλας, σελήνη aliisque. Eſt enim σέλας, pro ἕλας: quod forma tantum differt ab ἕλος, a verbo ἕλω *ſplendeo.* Σελήνη autem productum nomen a σέλας, a *ſplendore*, ad *lunam* ſignificandam, tranſlatum fuit.

Idem in vocibus Latinis, quae a Graecis oriuntur, cernitur paſſim. Sic, a Graeco εἰ, eſt antiquum Latinum SEI, pro SI; a Graeco εἶδος, Lat. SEIDUS, quod dein SIDUS; ab Aeolico ὕλϜα, quod idem ac ὕλη, Lat. SYLVA; a Graeco ἔρω, Lat. SERO; ab ὕπερ, Lat. SUPER; ab ὕδωρ Lat. SUDOR.

Non tantum autem *vocalibus* praefigitur Σ, ſed etiam *conſonantibus*: imo ubicumque ab initio Σ cernitur, ante *conſonantem*, originalis non eſt.

Ita

Ita utrumque dicitur μέρδω & σμέρδω, *video*; σμικρὸς & μικρὸς; σκεδάζω & κεδάζω; σκόλοψ & κόλοψ; & ita in aliis. Ita σκύμνος *catulus* nomen participiale eſt a σκύμενος, hoc pro κύμενος, verbi κύω *pario*: ut σκύμνος ſit *partu editus*; σβέννυμι eſt a σβέω, hoc pro βέω, quod convenit cum βύω *claudo*, *obſtruo*; σφάλλω eſt ipſum Latin. FALLO; σφάζω eſt loco φάζω *macto*, a ſimplici φῶ, ejusdem ſignificationis: atque ita in centenis aliis.

Venio ad *palatinas*

K & Γ

quarum utraque praefigi ſolet nonnunquam. Sic καύχημα, eſt pro αὔχημα, a verbo αὐχέω, vel αὐχάω: unde quoque καυχάω, quorum origo ἄγω eſt, Lat. *duco*.

Sic, ſequente conſonante, id cernitur in κνέφας *tenebrae*, vel *crepuſculum*. Eſt enim pro νέφας, quod vicinum voci νέφος *nebula*.

Similis ratio literae

Γ

cernitur in γνόφος, pro νόφος, de quo ſupra; γνόω pro νόω. Porro huc pertinent nomina γισχὺς, pro ἰσχὺς; γιθέα pro ἰθέα; γλήμη pro λήμη; γλημάω pro λημάω; unde γλημώδης & Doric. γλαμώδης: praeterea γλάμυρος & γλάμων, quae in Lexicis inveniri poſſunt.

Ex his igitur ſimilibusque apparet, nullam fere literam veteris Alphabeti eſſe, quae non praefixa interdum ſit aliis *originalibus:* ut adeo, in originibus vocum indagandis, probe ad id attendendum ſit. Simul autem apparet, nullos adeo certos characteres, in his, eſſe, unde ſemper poſſis dijudicare, ſitne litera initialis originalis, nec ne? Quare, una cum dictis, conſulendae ſemper ſunt vocabulorum ſignificationes: ut, iis inter ſe comparatis, ductu Analogiae, videas, quid in ſingulis probabile videatur.

TANTUM.

ANIMADVERSIONES

AD

IO. DAN. A LENNEP

LIBRUM ELEGANTISSIMUM,

DE

ANALOGIA LINGUAE GRAECAE.

ANIMADVERSIONES

AD

ANALOGIAM LINGUAE GRAECAE.

Ad Prooemii Lennep. p. 9.

De Lingua Latina, a Cel. Lennepio, inter ſubſidia externa, *(quae faciant ad Linguae Graecae analogiam illuſtrandam) principe loco poſita.*

LINGUAE Latinae origines, longe maximam partem, e Graeco fonte repetendas eſſe, a ſummis Grammaticis, tam antiquioribus quam recentioribus, ſaepius fuit comprobatum. Teſtimonia bene multa hanc in rem congeſſit vir eruditiſſimus *Thomas Gatakerus*, in Diſſertat. de Novi Inſtrum. Stilo, Cap. I. ſimul & luculentum ipſe hujus rei ſpecimen aliquod praebuit, explicitis, e Lingua Graeca, *quinque* Virgilii verſiculis (Bucol. Eclog. I, 1 — 5) ea quidem ratione, ut demonſtraret, „ de *viginti quatuor* vocabulis, „ quibus *quinque* hi verſiculi conſtant, vix unum „ aliquod eſſe, quod non NATALES GRAE- „ COS aperte praeferat." Haec *Gatakerus* eo

 tem-

tempore ſcripſit, effecitque, quo nondum enituerat ſummum illud *Tib. Hemſterhuſii* ingenium, qui primus, judice elegantiſſimo harum rerum arbitro *Dav. Ruhnkenio*, veriſſimam invenit Originum Graecarum rationem, ſingulari Linguae Graecae, adde & LATINAE, praeſidio & ornamento, (Elog. Hemſterh. p. 32.) Quid hodie, eadem in cauſſa, praeſtari poſſe arbitrabimur, ſi ipſe, quem modo laudavimus, *Dav. Ruhnkenius*, praeceptor noſter optimus, idemque *Hemſterhuſii* olim diſcipulus & tanto viro digniſſimus collega, aut magnus ille *L. C. Valckenaerius*, id ſibi datum negotii crederent, ut Linguam Latinam totam quantam, adhibitis Graecorum copiis, explicare, & illuſtrare, aggrederentur? E. S.

AD PROOEMII p. 11.

de Lexico Homerico.

Occaſione commemorati, a Cel. *Jo. Dan.* LENNEPIO, Lexici vetuſti Homerici, „ in quod „ rariora *Homeri* vocabula, florente etiamnum „ republica Athenienſium, relata fuerint", ſilentio praetermittendum nobis non eſt, ſerioris licet aetatis, *Apollonii Sophiſtae* Lexicon Homericum, quod, biennio fere poſt deceſſum *Lennepii* noſtri, e Codice MS. Sangermanenſi, cum verſione Latina, & egregio eruditionis apparatu, publicae luci donavit vir illuſtris, nobisque ami-

amiciſſimus, *Jo. Bapt. Caſp. D'Anſſe de Villoiſon*, (Lutetiae Paris. CIↃIↃCCLXXIII. 2 Voll. in quart.) & brevi, uti ſperamus, haud minori cum literarum Graecarum emolumento, in Batavis, iterum edetur, curante *Herm. Tollio*, Viro Cl. &, uti olim, in Academia Gelro-Zutphanica, ſuaviſſimo noſtro collega, ita hodie apud Amſtelaedamenſes, Hiſtoriarum, Eloquentiae, & Linguae Graecae profeſſore celeberrimo. *Apollonium* illum, una cum *Dionyſio Thrace*, ſub Auguſto vixiſſe docuit, in Prolegomenis, editioni ſuae praemiſſis, humaniſſimus *Villoiſonius*: diſſentiente tamen Cel. *Ruhnkenio*, quem vide in Praefat. ad Heſych. Albertiani T. I. p. 5. E. S.

AD PROOEMII p. 16.

de EUSTATHII *Commentariis in* HOMERUM.

Inter cetera Grammaticorum veterum, a ſummis Linguae Graecae inſtauratoribus huc usque in lucem protracta, monumenta literaria, quibus Analogiae ſtudium mirum quantum ali, & juvari poſſit, haud infimo loco recenſeri quoque merentur *Euſtathii*, Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, in *Homeri* Iliada & Odyſſaeam ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ, ſive *Commentarii*, multa eruditione refertiſſimi; ſed, in quibus legendis & excutiendis, peracri opus eſt judicio, quo certa ab incertioribus, &, quae Analogiae fundamento nitun-

tuntur, a figmentis anomalicis & portentoſis Grammatiſtarum, recte diſcernantur. Editae primo, Graece tantum, fuerunt *Euſtathianae* hae Παρεκβολαὶ, Romae Anno Chr. 1542 — 1549, III. Voll. in fol., quibus An. 1550. *quartum* acceſſit volumen, indices continens locupletiſſimos, confectos cura *Matth. Devarii.* Repetita deinceps eſt *Euſtathii* haec editio Graece, Baſil. An. 1560. Graece tandem & Latine Commentarii *Euſtathiani*, in V libros priores Iliadis, prodierunt Florentiae, An. 1730 — 1735. curante *Alex. Polito:* ubi, praeter *Politi* notas perpetuas, acceſſerunt analogicis obſervationibus divites notae *Antonii M. Salvini*, & *Wolf. Seberi* Index *Homeri* vocabulorum, iiſdem ſtudiis Analogicis accommodatiſſimus, & hac in editione luculenter repetitus. Plura de *Euſtathio* vide apud laudatum *Politum*, in Praefatione, uti & *Jo. Alb. Fabricium*, in Biblioth. Graec. Vol. I, p. 289. Vol. X, p. 289 ſſ. & clariſſimi nominis polyhiſtorem, Academiae Trajectinae decus ſummum, *Chriſt. Saxium* Onomaſt. Literar. ad annum Chr. 1160. P. II, p. 251 — 253. E. S.

AD PROOEMII p. 18 & 19.

de ALBERTO SCHULTENSIO & TIBERIO HEMSTERHUSIO, *Analogiae Linguarum Orientalium*, & *Graecae*, *inſtauratoribus.*

Juvat hic loci excerpere quaedam, ex ſupra a nobis laudato, Cel. *D. Ruhnkenii*, Elogio *T. Hemſterhuſii*, (edito Lugd. Bat. 1768) unde, quae leviter tantum, de immortalibus hiſce duumviris, attigerat *Lennepius*, uberius cognoſcere poterunt harum elegantiarum cupidi commilitones noſtri. Itaque ſic Cel. *Ruhnkenius*, lib. laud. pag. 31. ſſ. „ Verum ad rerum intelligentiam nullus aditus patet, niſi per exquiſitiſſimam ſcientiam linguarum, Graecae praeſertim & Latinae. Hic quid me attinet dicere, eum [*Tib. Hemſterhuſium*] longa & accurata meditatione conſecutum eſſe, ut Graecae linguae nativam indolem, proprietatem, & arcana omnia teneret? Notior res eſt & teſtatior, quam ut pluribus verbis explicanda eſſe videatur. Itaque complector brevi, &, non exaggerandae rei cauſa, ſed ſimpliciter & vere hoc dico, *Hemſterhuſium* Graecarum ſcientia literarum omnino omnes, qui a renatis literis excellenter in iis verſati ſint, ipſum etiam *Iſaacum Caſaubonum*, cui doctorum hominum conſenſus primas deferre ſolet, longo poſt ſe intervallo reliquiſſe."

„ Quod

„ Quod ſi magna ingenia non niſi novarum rerum inventione metiamur, talem quoque ſui menſuram vir ſummus, in hoc ipſo linguarum ſtudio, praebuit, invenienda veriſſima Originum Graecarum ratione, ſingulari linguae Graecae, adde & Latinae, praeſidio & ornamento. Hujus analogiae tanquam filo ductus, ſimpliciſſimas verborum formas, quae binis vel tribus literis conſtarent, & una cum iis natas ſignificationes indagavit, formas omnes & flexiones ad certam rationem revocavit, ex *primariis* notionibus *ſecundarias*, & conſequentes elicuit, earumque non ſolum cognationem, ſed etiam migrationes oſtendit, commentitias anomalias, quibus Grammatici omnia perturbaſſent, exploſit, denique tenebras linguae, per tot ſecula offuſas, ita diſcuſſit, ut, qua lingua nulla eſt neque verbis neque formis copioſior, eadem jam nulla reperiatur ad diſcendum facilior. — Gratulemur aetatis noſtrae felicitati, quae, quod majores noſtri optarunt magis, quam ſperarunt, id non tantum in Graecis, verum etiam in Orientalibus, uno tempore & inchoatum & conſummatum vidit. Etenim quod analogiae lumen *Hemſterhuſius* linguae Graecae, id eodem tempore Orientalibus intulit *Hemſterhuſii* civis, aequalis, condiſcipulus, collega, amicus, unicus literarum, quas profitebatur, vindex, *Albertus Schultenſius.*"

„ At dicet aliquis eorum, qui nolunt eundem hominem pluribus rebus excellere: ſint iſta ſicut

vis;

vis: habuerit *Hemſterhuſius* Graecarum literarum ſcientia parem neminem. Sed quid de literis Latinis dicis? Earum certe regnum penes alios erit. Ego vero non dubitem contendere, eum Latine doctiſſimos non modo aequaſſe, ſed, quod adjumenta quaedam haberet, nec cognita illis, nec uſurpata, ſuperaſſe. Recte vir magnus ſtatuebat, *Latinam* linguam *Graecae* ſic aptam & nexam eſſe, ut, qui alteram ab altera diſtrahat ac divellat, animi & corporis diſcidium inducere videatur. Quod cum ſibi idoneis rationibus perſuaſiſſet, eandem Latinae, quam Graecae, operam dedit, atque adeo, quoniam ejus proprium erat, nihil mediocriter ſcire, talem *Latinae*, qualem *Graecae*, facultatem conſecutus eſt. Dicam, quod ſentio, &, ut arbitror, dicam vere. *Latinae* linguae origines nemo mortalium ante *Hemſterhuſium* recte cognovit. Viderant *Varro* & alii Romani, multa ex lingua Graeca in ſuam veniſſe. Aliquanto plura, quorum origo veteres fefelliſſet, ex eadem lingua repetierunt *Scaliger* & *Salmaſius*. Sed adhuc dubia lux erat. Enimvero, inventa *Hemſterhuſii* ingenio GRAECAE LINGUAE ANALOGIA, ſimul etiam LATINAE ratio diluxit, patuitque clariſſime, quod erant pauci ſuſpicati, totam fere Latinam linguam ab Aeolica fluxiſſe. Reſtat, fateor, pars quaedam, quae per barbaras gentes invecta videatur. Verum aut fallor, aut exorietur aliquando vir doctus & ingenioſus,

qui,

qui, *Hemſterhuſiana* analogia adjutus, eam quoque partem ad Graecam originem revocet, planiſſimeque demonſtret, omnem Latinam linguam pulcrae matris Graecae pulcram filiam eſſe."

Hactenus *Ruhnkenius*, ex cujus eruditiſſimi viri encomio hanc particulam eo lubentius nunc excerpſimus, quo pauciorum in manibus eſt elegantiſſimus libellus, omnium manibus conteri digniſſimus: ut haberent, nempe, harum rerum cupidi tirones, quod ſibi ob oculis ponant, conſummati critici exemplum, qui Graeca cum Latinis feliciſſimo connubio conjungat. E. S.

AD PROOEMII p. 19.

De G. J. VOSSII *Etymologico Ling. Lat. & paucis aliis libris, ad ſtudia Analogiae Linguae Graecae alenda utiliſſimis.*

Praeter eruditorum hominum tam antiquiorum, quam recentioris aetatis, ſcripta, a *Cel. Lennepio* laudata, unde ſumma utilitas, hoc in literarum genere, percipi poſſit, complures alios commemorare liceret ſcriptores, quorum prudenti lectione, commilitonum noſtrorum ingenia haud parum adjuvari queant, ad ea, quae *Hemſterhuſii*, *Valckenaerii*, *Ruhnkenii*, *Lennepii*, alii ſumma cum laude & literaturae Graecae infinita utilitate, praeclare coeperunt, ulterius promovenda, atque illuſtranda. Sed iis omnibus, quan-

quantum quidem cognoſcere ea nobis licuit, recenſendis haud immorabimur: quod ipſum tanto minus neceſſe fuerit, quanto certius eſt, nimia librorum copia obrui ſaepe ingenia diſcentium; quippe quibus ad ipſos fontes abunde jam patefactus a *Lennepio* aditus eſt. Nonnullos tamen, quorum cognitio omnibus tironibus neceſſaria videtur, praetermitti fas non eſt. Horum in numero *principem* locum occupat *G. J. Voſſii* opus poſthumum, quod inſcripſerunt *Etymologicum linguae Latinae*, ex ſchedis paternis ab *Iſaaco* filio, Amſtelaedami An. 1662 apud Elſevirios editum &, *Iſaaco* quoque *Voſſio* defuncto, „ *cum centenis aliquot* obſervationibus ety- „ mologicis, ſive *originibus*, ab *Iſaaco Voſſio*, „ *margini operis paterni ſparſim adſcriptis*", repetitum a typographis Batavis, An. 1695. fol. Cui libro *Voſſiano*, nunquam ſatis legendo, jungi debebunt *J. C. Scaligeri*, de *cauſis linguae Latinae* libri XIII, editi apud Santandreanum 1584 in 8°. & ejusdem *G. J. Voſſii* Ariſtarchus, ſive de arte Grammatica libri VII, (quos inter II. libri de *Analogia*) iterum editi Amſt. 1662. 4to. ut & in primis *Fr. Sanctii* Minerva, ſeu de cauſis Linguae Latinae commentarius, cum notis uberrimis, & accuratiſſimis, Clar. *J. Perizonii* ſextum editis Amſtel. 1754. Quod quidem Etymologicum Voſſianum & reliqui, quos laudavimus ejusdem occaſione, libri, etſi linguae Latinae originibus illuſtrandis comparati proprie

O ſint,

ſint, multa tamen in ſe continent, ad Graecae linguae interiores formas cognoſcendas atque cum Latinis, more *Hemſterhuſiano*, & *Lennepiano*, componendas, opportuniſſima. *Alter* liber, ſive potius libellus, vere aureus, hoc in ſtudiorum genere, eſt *Lamberti Bos*, qui inſcribitur, *Ellipſes Graecae*, ſive *de vocibus*, quae in ſermone *Graeco ſupprimuntur*, Franequerae editus An. 1712. & cum *Schoetgenii*, *Bernholdii*, & *Leiſneri* obſervationibus ſeptima vice jam recuſus, Lugd. Bat. 1750. forma duodecima. Quod ipſum exiguae licet molis, ſed bonae frugis pleniſſimum, *L. Boſſii* opuſculum, ut cetera egregii hujus viri ſcripta doctiſſima, permultas praebet, eximias ſane, obſervationes, ad interiorem linguae Graecae indolem, & analogiam conſtructionis, accuratius quam fieri ſolet, cognoſcendam comparata. *Tertio* loco, hic commemoranda eſt Diatribe *Jeremiae Marcklandi* de *Graecorum quinta declinatione impariſyllabica*, ſubjuncta editioni *Euripidis* Ἱκελίδων, quae cura ejusdem eruditiſſimi viri prodiit Londini An. 1763. Quod ſane *Marcklandi* opuſculum egregium exhibet ſpecimen *Analogiae*, in declinatione Graecorum conſpicuae; ad cujus exemplum plura, in declinationibus Graecis Latiniſque illuſtrandis, atque ad veram Linguae Analogiam referendis, praeſtari poſſint. *Quartus* liber eſto *B. Hederici* Lexicon Graeco-Latinum, „poſt repetitas *Sam. Patricii* curas, multis vocabulorum millibus, plu-

pluriniisque novis ſignificatibus verborum locupletatum, & multis modis caſtigatum & emendatum, cura *Jo. Aug. Erneſti*," Lipſ. 1767. Inſecuta eſt tertia editio Lipſ. 1788. auctior & emendatior facta a *Car. Chriſt. Wendlero*. Comprehenduntur hoc libro longe plurimae eruditisſimaeque de verborum *etymis* obſervationes, quae analogiae ſtudioſis prodeſſe multum poſſint: habetque univerſe hoc Lexicon, noſtro quidem judicio, incredibilem quemdam in Graecis ſcriptoribus recte legendis uſum; adeo ut nemo fere commilitonum noſtrorum eodem carere poſſe videatur. Addatur his *quinto* loco *Henr. Hoogevenii Doctrina Particularum Linguae Graecae*, quod egregium opus, 2 Voll. in forma 4ta, Lugd. Bat. prodiit An. 1769. e typographeo Dammeano, & cum ceteris laudatiſſimis *Hoogevenii* obſervationibus, quas *Franc. Vigerii* de praecipuis Graecae dictionis Idiotismis libello, tertium jam a ſe edito (Lugd. Bat. 1766.) adjunxit, ab omnibus Graecae Linguae ſtudioſis evolvi meretur. *Sextum* adjunge *Phil. Cattierii* Gazophylacium Graecorum, cum Auctario cel. *Fred. Lud. Abreſch*, Traj. 1757. Et *ſeptimum* denique auctoris noſtri eruditiſſimi *Jo. Daniel. a Lennep* Obſervationes ad Stirpes Linguae Graecae, II. Voll. Traj. 1789. de quo opere ſtatim dicendum.

AD ANALOGIAE CAP. I, p. 24—25.

De altero LENNEPII *opere, quod inſcripſit* OBSERVATIONES AD STIRPES LINGUAE GRAECAE.

In PRIMA parte Analogiae, quae *vocabulorum formandorum leges* ſpectaret, potiſſimum ſe verſaturum eſſe, profeſſus erat Cel. *Lennepius*, „ admixtis tamen ſubinde iis etiam obſervatio- „ nibus, quae ad reliquas partes viam aperire „ eamque reddere poſſent aliquanto planiorem." Fecit hoc igitur, more ſuo, perſpicue admodum, & accurate, vir ſummus. Poſtea etiam perrexit ulterius, & alteram partem, „ quae in determi- „ nandis ſignificationibus verſetur, ſive doceat, „ quibus modis a *propriis* & *corporeis* ſignifica- „ tionibus, quae verbis primitivis ſubponuntur, „ *metaphoricae*, per varios derivatorum flexus & „ formas, profluxerint;" alteram hac partem, inquam, mirum quantum illuſtravit, communicatis nobiscum *Obſervationibus ad Stirpes linguae Graecae:* in quo inſtituto ſecutus eſt ordinem Alphabeticum thematum Graecorum, quemadmodum in Lexico notiſſimo *Joh. Scapulae* habebantur. Non deerimus, ſpero, ſummae illi obſervantiae, qua exoptatiſſimum ſuaviſſimumque praeceptorem noſtrum *Lennepium*, etiam defunctum, proſequimur, ſi hoc ipſum cel. *Lennepii* opus, e ſchedis manuſcriptis brevi ediderimus, adjectis eidem animadverſionibus qualibuscumque noſtris, II. Voll. in 8a majori. E. S.

AD

Ad Analog. Cap. I., l. 1.

De tertia analogiae parte, quae conſtruendae orationis legem, phraſiumque naturam exponat.

Fatendum eſt cum magno *Lennepio*, „ hanc „ quoque Analogiae partem, tot tantisque dif„ ficultatibus etiamnum obſeptam eſſe, ut iis „ tractandis nemo facile par ſit futurus." Quapropter ſatius fortaſſe fuerit, a tertia hac parte explicanda, in his analogiae Graecae initiis, abſtinuiſſe. Neque tamen ita comparata res eſt, ut deſperandum omnino eſſe videatur, de interiore phraſium natura & veris conſtructionis Graecae legibus plenius adhuc aſſequendis: modo juſto ordine procedatur; hoc eſt, analogia duce a notioribus adſcendatur ad ignota & remotiora.

Quod in Graecis, poſt tot doctiſſimorum hominum labores, & obſervata eximia, impeditum in multis etiamnum manſit, idem illud, in literis orientalibus, parentum noſtrorum memoria, multo adhuc fuiſſe intricatius, ſalebroſiusque, quis ignorat? *Alberti Schultenſii* tamen, & *Nicolai Guilielmi Schroederi*, feliciſſima ingenia, analogiam dialectorum orientalium diligentiſſime inveſtigando, adhibitisque ſimul ſanioris criticae legibus, ac multiplici veterum lectione, non ſine numine, tenebras has perruperunt, & phraſeologiae linguae Hebraeo Biblicae, Syntaxeosque

que ejusdem, rationes, ad oculum demonſtrarunt: adeo quidem, ut duces hos ſequentibus planiſſima & commodiſſima nunc omnibus via ſit, qua ad obſcuriſſima orientis monimenta perſpicue interpretanda tendatur. Eadem igitur ratione ſi in *Homero*, in *Heſiodo*, in *Aeſchylo*, in *Sophocle*, in ceteris *Tragicis*, *Comicisque*, & quotquot ſuperſunt antiquioris aevi, ſcriptoribus Graecis praeſtantiſſimis, procedatur; ſi inſuper cum Graecis, *Hemſterhuſiana* hac & *Lennepiana* methodo, ſedulo conferantur Latina monimenta vetuſtiora; & natales ſignificationum, in longe plurimis vocibus phraſibusque Latinis, e Graeco fonte, ſedulo indagentur: dubium nobis nullum eſt, quin, nobiliſſima hac in parte ſtudii Grammatici, multum adhuc lucis acceſſura ſit, ad utriusque linguae cauſſas accuratius, quam huc uſque factum eſt, cognoſcendas. Unum monere liceat maxime opportuno hoc loco: „ quo quis plurium linguarum conſecutus ſit ſcientiam (non vulgarem iſtam & ſuperficiariam, quam dicunt, ſed eruditam, criticamque, & quae vere docto homine digna ſit,) eo aptiorem eum, & inſtructiorem fore, ad Graecarum Latinarumque phraſium interiorem indolem recte explicandam & multos ſolvendos, (inextricabiles alioquin,) nodos Grammaticos." Quod de Orientalibus linguis, certo adſpectu, dixit *Alb. Schultenſius*, (de defectibus Ling. Hebr. §. 153) idem huc quoque transferre nobis licuerit: „ eos nem-

nempe qui vernaculam tantum calleant, & colant, linguam, *diverſas* quidem thematum *poteſtates*, longo ſtudio collectas, tradere poſſe, ſed neutiquam vel pro ſe perſpicere, vel pro exteris promtum habere, quo pacto ſignificationes aliae cum aliis, ſub una radice, conſiſtant, aliaeque ex aliis ſine confuſione, propagentur. *Multarum cognitio & contentio linguarum hoc judicium criticum format atque elimat.* Nec Belga, nec Germanus, nec Gallus, quantumvis patrii ſermonis callentiſſimus, & conquirendarum undique phraſium, ſub quoque verbo ſtudioſiſſimus, hanc provinciam rite ſuſtinere atque ornare aptus natus fuerit, ſi deſtituatur lumine, quod EX SUBTILIORI CULTURA COMPLURIUM LINGUARUM redundat." Hactenus vir ille ſummus, loco laudato, ubi plura in hanc rem legi poterunt. E. S.

AD ANALOGIAE CAP. II, p. 29.

De antiquo Graecorum Alphabeto.

Innumeri fere ſunt ſcriptores, qui de *Alphabeto antiquo Graecorum* vel data opera, vel ὡς ἐν παρέδῳ, egerunt: quos quidem hac occaſione recenſere haud vacat. Praeter *Spanhemium*, *Bentlejumque*, a Cel. *Lennepio* laudatos, (*Analog.* p. 31) unum hic, in gratiam tironum, appellaſſe nobis liceat, magnum *G. J. Voſſium*,

apud quem, de *Arte Gramm.* Libr. I, Cap. X. multa reperiri poterunt, quae recte cognoviſſe omnium maxime intereſt. E. S.

AD ANALOG. CAP. II, p. 29 – 30.

De literis labialibus β & π, palatinis γ & κ, *ac* lingualibus δ & τ, *tam vicinae pronuntiationis*, *ut* eaedem literae *propemodum haberi poſſint.*

Quod Cel. *Lennepius* h. l. de *literarum vicinitate*, &, inde oriunda, *permutatione* (inter pronuntiandum) breviter attigit, id quidem in rationibus utriusque linguae cognoſcendis, tanti videtur eſſe momenti, ut data opera, accuratius quam adhuc factum eſt, inquiri & illuſtrioribus quibusdam exemplis confirmari, mereatur.

Fecit idem hoc, quantum ad linguas orientales, *Hebraeam* & ſororias ejusdem *dialectos*, attinet, vir ſummus *Albertus Schultenſius*, in peculiari libello, quem inſcripſit *Clavim Dialectorum*, (ſive *mutationis elementorum*, *qua Dialecti linguae Hebraeae ac praeſertim Arabica dialectus aliquando ab Hebraea deflectunt*,) ſubnexam editioni *Rudimentorum Arabicorum Thomae Erpenii*, repetitae Lugd. Batav. 1733. & deinceps ibidem quoque recuſae. Inveniuntur, in eodem aureo libello *Schultenſiano*, nonnulla etiam exempla Graeca & Latina. Plura habent *G. J. Voſ-*

ſius

ſius, in *peculiari tractatu* de *Literarum permutatione*, qui praemiſſus legitur *Etymologico Linguae Latinae*, ſupra laudato, & *Mich. Maittaire* de *Graecae Linguae Dialectis*, libro bonae frugis pleniſſimo, qui prodiit Londini 1737. & mox repetitus eſt in his regionibus, cura *J. F. Reitzii*, Hagae Com. 1738, 8°. maj.

In ipſam hanc de *literarum permutatione* materiam excurrere longius jam nobis vix licet: idque tanto minus, quum analogicae huic doctrinae conſultius eſſe videatur, ad ſingulas ſtirpes vocesque, quae hujusmodi quamdam mutationem paſſae fuerint, ea de re admoneri tirones, quam generales tradi canones, quibus nonnulli abuti poſſint imprudenter atque adeo ipſi in errores abduci (*). Ne tamen omnino ignari ſint commilitones noſtri permutationis *elementorum Linguae Graecae*, (quae res tanti eſt in dialectis Orientalibus momenti) juvabit, praecipuarum permutationum exempla quaedam illuſtriora, hic loci, in medium produxiſſe.

In anteceſſum vero ſtatim hic obſervandum eſt, Grammaticorum decretum, „*Literas unius organi fa-*

(*) Quam periculoſae plenum opus aleae ſit, *permutationibus* his *elementorum* in vocum explicatione ſaepius uti, egregie docuit vir illuſtris *J. D. Michaëlis* in aureo libello vernaculo, cui titulum poſuit *Beurtheilung der Mittel* &c. ex mente viri illuſtris, (in Notis ad *Lowthi* praelectiones, p. 37.) Latine ſic reddendum: *Dijudicatio viarum, quibus ad intelligendam Hebraicam linguam, dudum mortuam, contenditur*. Prodiit Gottingae 1757. Utinam vero nova, novis obſervationibus locupletata, utiliſſimi hujus libri editione, remp. literariam, donaret auctor celeberrimus!

facile inter ſe permutari," caute admodum admittendum eſſe; aut potius, ut *A. Schultenſii* verbis utar (Inſtitutt. ad Fundamm. Ling. Hebr. p. 39. Reg. IV.) ,, *cum grano ſalis capiendam eſſe* ,, *hanc regulam. Nempe* QUAEDAM TANTUM, ,, *quae uno organo tenentur, jura ſua commutare* ,, *poſſunt:*" quod idem vir ſummus praecepit de *Dialecto Chald.* & *Syriaca*, *Inſtitutt. Aramaearum*, p. 12. Reg. V. ubi plura legi poterunt, hanc in rem idonea. Quibus junge obſervata Illuſtr. *J. D. Michaëlis*, in libr. laud. p. 68. ſeqq.

Ordiamur jam a literis *labialibus*

B & Π

quas ,, tam *vicinae* eſſe pronuntiationis, ut *eae*- ,, *dem* prope *literae* haberi poſſint," admonuit Cel. *Lennepius*, Anal. p. 29. Sane literam B cum Π ſaepiſſime, *inter pronuntiandum*, permutari, res eſt ubivis terrarum teſtatiſſima. Vel ſola Germanorum, in Hollandia noſtra, verſantium quotidiana conſuetudo id evincit clariſſime: quando, verbi gratia, *preeken* dicunt pro *breeken*, & ſimilia alia. In dialectis orientalibus eandem eſſe literarum *b* & *p*, inter loquendum, & ſcribendum, permutationem, doceant exempla, producta ab *A. Schultenſio*, Clavis Diall. p. 195. 196. Inſtitutionum Aramaear. p. 14. &c. *G. Kuipers*, ad Carmina Ali b. A. T., p. 85. cet. Apud *Graecos* vero & *Latinos* idem fieri, *Voſ*-

ſius

ſius & *Maittairius*, libris laudd. obſervarunt: quibus, ne alios excitem, jungi potent ὁ πάνυ, *Sam. Bochartus*, Hieroz. P. I, Lib. III, c. 31. col. 933. & P. II, L. IV, c. 20. col. 588.

Exhibeamus nos exſtantiora quaedam. Egregius locus eſt *Plutarch.* Moral. p. 292. laudatus a Cl. *Maittaire*, de Diall. Dorica & Aeolica, p. 140. „ Τῷ Β χρῶνται, inquit, Δελφοὶ ἀντὶ τοῦ Π. Καὶ γὰρ τὸ Πατεῖν, Βατεῖν, καὶ τὸ Πικρὸν Βικρὸν καλοῦσιν. Ἔστιν οὖν Πύσιος ὁ Βύσιος κ. τ. λ. Quod quidem ſi apud Dores potiſſimum Aeolesve obtineat, eo jam minus mirum videbitur, ubi Latini, (quorum lingua, maximam partem, effecta eſt ex Aeolica,) pro Graecorum Β, in vocabulis ſuis ſaepe adſciverint *p* ſive Π. Itaque nemo dubitare poterit, quin Lat. PLUO, ſit Graecor. Βλύω, & huic ipſi PLUO arctiſſime cognatum ſit alterum φλύω: in primis ſi conferatur illud *Homeri* Iliad. Φ, 361.

Φῆ πυρὶ καιόμενος. ἀνὰ δ' ἜΦΛΥΕ καλὰ ῥέεθρα & *Euſtath.* ad h. l., cum illis quae habet *Etymolog.* p. 200: 50. Sed vide de hoc Φλύω, in Stirpibus, ſuo loco. Porro Lat. PASCO etſi proprie idem verbum non ſit, ac Graec. βόσκω, huic tamen cognatum eſt. Nimirum, ſtirps verbi Lat. PASCO (ex certiſſimis Analogiae legibus) eſt πάω, verbi vero βόσκω ſtirps, βόω: &, uti a πάω factum πάσω, πάσκω, Lat. PASCO; ita a βόω eſt βόσω, βόσκω. Fuiſſe autem βάω, βέω, βίω, βόω, βύω, & πάω, πέω, πίω, πόω, πύω, ſi non *ejuſdem* omnino ſigni-

ſignificationis *propriae*, verba ſaltem arctiſſime ſibi cognata, ſatis ſuperque demonſtrant horum formae ſuperſtites in lingua Graeca. Conf. nunc tantum Analog. p. 167. ac Stirpes in Βάω, Πάω, & alibi. Quin & βάλω, βέλω, βόλω &c fuiſſe perquam adfinia alteris iſti πάλω, πέλω, πόλω cet. haud videntur ambigendum. Notaverunt autem haec omnia proprie *Vibrare* ſive *quatere*, *excutere*, & hinc *vibrando vel quatiendo jacere*, *ejicere*, *jaculari* &c. ut ſatis veriſimile fiet conferentibus Latin. PALA, PALAM, PALEA, cum Graec. πάλος, πάλη, πάλμα, παλμὸς, πάλμων, παλμὺς, πάλλω &c. βάλω porro, ſive βάλλω, βάλιος, βαλλίζω, βαλὴν &c. Deinceps vero pro verbo STIPARE Latinorum Graecis in uſu eſſe verbum στείβειν, res eſt notisſima: unde ſuſpicati ſunt viri docti, hoc ipſum STIPO eſſe Graecorum στείβω. Rectius tamen ſtatuas, verbo Gr. στείβω aliam quandam fuiſſe formam cognatam στίβω; unde apud *Heſychium* ſupereſt στίβοντες, quod exponitur πατοῦντες, *calcantes*, & ex *Euripide* laudatur ipſum verbum in tertia plur. praeſ. Indic. Act. στίβουσι κύνες. Unde porro ſuperſunt quoque στίβος *via*, pp. *calcatus* trames, ἄστιβος *qui non calcatur*, στιβὺς *fullo*, pp. *calcans*, & *exculcans*, nempe, ſordes veſtimentorum &c. Etiam στιβάω, στιβέω &c. habentur in formis propagatis, a quo στιβάω deinceps deſcendit στιβάζω. vide Etymol. p. 727. Jam vero, permutatis β & π, pro στίβω ipſi Graeci dixerunt στίπω; unde στιπτὸς ſuper-

ſupereſt apud *Heſychium*, quod exponitur πυκνὸς, ϛερεός &c. *denſus*, *durus*, pp. *calcatus*, *compreſſus*, & ſic *durus*, qua metaphorica notione in *Ariſtophan.* Acharn. vs. 179 habetur ϛιπτοὶ γέροντες. vid. ad h. l. Ex quibus jam ſatis elucet, a ϛίπω pp. *calco*, eadem analogia dici potuiſſe ϛιπάω, ϛίπῶ, atque a ϛίβω apud *Etymol.* &c. ſupereſt ϛιβάω, ϛιβῶ col. 727. hoc ipſum vero ϛιπάω, ϛιπῶ eſſe Lat. STIPO, AVI, ATUM, ARE nemo dubitabit.

Contra autem, literam eandem

Π

ſaepius emollitam fuiſſe in B, haud minus certo conſtat. Idem *Plutarchus* Moral. p. 694 (laudante eodem *Maittairio* p. 145) τὸ μὲν οὖν βούλιμον, inquit, ἐδόκει μέγαν, ἢ δημόσιον ἀποσημαίνειν καὶ μάλιϛα παρ' ἡμῖν τοῖς Αἰολεῦσι, ἀντὶ τοῦ Β, τοῦ Π χρωμένοις, κ. τ. λ. Itaque, huic fundamento innixi, nulli jam dubitemus, quin Lat. AB ſit Graec. ἀπ' pro ἀπὸ, quod proprie caſus eſt obliquus nominis ἀπὸς, alterum vero ABS ſit pro ἄπς ſive ἄψ, & hoc contractum, ex integro iſto ἀπός: qua de re plura vide in Stirpibus ſub ἀπὸ. Itaque & Lat. SUB, eſt pro Graec. ὑπ', ex ὑπὸ, adſumta, in principio hujus voculae, litera S, pro ſpiritu aſpero: ut in SUPER pro ὑπέρ &c. Vid. Analog. p. 212. Porro ABSIS eſt Graec. ἀψὶς; ARABS Gr. ἄραψ; LIBS Gr. λὶψ &c. Etiam a Gr. λάπω, inſerta litera

ra ν & hac deinceps, ante *labialem* converſa in μ, factum eſſe λάμπω, pro quo Latini dixerint LAMBO, maxime verſimile nobis eſt. Verum tamen, quia magnus *G. J. Voſſius* hoc ipſum LAMBO recta via deducere inſtituit ab uſitatiſſimo verbo Gr. λάπτω, ea res h. l. paullo eſt repetenda altius. Verbum λάπτω proprie videtur eſſe *frequentativum* a λάπω, ut DICTO Lat. a DICO, τύπτω a τύπω, & ſexcenta talia. Ipſum autem λάπω verbum fuit per ὀνοματοποιΐαν factum a ſono λὰπ λὰπ, qui eſt *lambentis* canis, ex. gr., vel animalis cujuscumque. Vide *Heſychium* voce Λάπτοντες & *Apollon.* Lex. Hom. voc. Λάπτοντες. Porro etiamſi illud ipſum λάπω ex uſu ceciderit, apud unum ſuperſtes fortaſſe *Athenaeum*, ex quo laudavit hoc verbum *R. Conſtantinus* in Lexico; reliquit tamen derivatum λάπη apud *Hippocratem* ſaepe obvium: de quo vide *Foëſium*, in Oeconomia Hippocratis, Lexico utiliſſimo, & analogiae ling. Graec. ſtudioſis ſaepe evolvendo. Reliquit & aliud ſui derivatum λάπος, apud *Heſychium* conſervatum, tum vero etiam a λάπη, λάπα, λαπάω, ſupereſt uſitatiſſimum verbum λαπάζω, vel λαπάσσω unde ἐξαλαπάζω *lambendo evacuo* &c. quae nunc ſingula perſequi haud vacat. Ex λάπω igitur facta ſunt λάνπω, λάμπω, & ſic Lat. LAMBO, litera Π converſa in B. Eadem permutatio elucet quoque aliquatenus in Gloſſa *Erotiani*, qui *Hippocrateum*, Λάπτη exponit λαμβάνει. *C. F. Stephan.* in Theſ. L. Gr.

Gr. T. II., col. 599. & in *Heſychiano* iſto λάπ-
τει, h. e. ἀναλαμβάνει, πίνει, ubi vide viros doctos, & *Foëſium* in Oecon. Hipp. voce λάπτω. Porro eodem modo cognata ſibi mutuo ſunt Lat. CUBO & Gr. κύπτω, SCABO & σκάπτω cet.

Tranſeamus ad literas *palatinas*, e quibus

Γ & Κ

permutari ſecum invicem, ambigere quoque haud licet. Exempla a *Maittairio*, *Voſſio* que, producta rem ſatis conficiunt. Qui Graece Γάϊος, ſive Γήϊος, is Latine CAJUS audit, Graecum γυρὸς, inſerto digammate Aeolico, dedit γυϝρὸς, unde Lat. CURVUS; Lat. NUNC eſt Gr. νῦνγ', ex νῦνγε; porro *miſco* a *misgo*, Gr. μίσγω: & complura ejuſmodi alia. Etiam Lat. ARCERE *Voſſius* noſter arceſſivit a Graeco εἴργω, vel ἔργω: quae verba tamen *cognatae* originis dicenda potius fuiſſent quam decernendum, τὸ ARCERE deſcendiſſe ab εἴργω, vel ἔργω. Certiſſimum enim eſt, verbum ARCEO eſſe a ſtirpe ἄρω, εἴργω vero, & ἔργω, ab ἔρω. Utriuſque verbi primigenii ἄρω, & ἔρω, notionem primam quaerendam eſſe „ in *eo* quod *magna* cum *contentione* & *impetu* „ fiat", ſtatuit Cel. *Lennepius*, in Etymologico, voce Ἀρά: ubi plura proferentur. Jam vero, analogia duce, ab ἔρω, ſive ejus tempore *praeterito perfecto* Act. ἔερκα, rejecto *augmento*, deſcendit verbum ἔρκω, quod eſt, cum *ſpiri-*

ritu aſpero, ἕρκω: unde ἕρκος, porro ἑρκὴ, vel ἑρκὰ, ἑρκάω, ἑρκέω, ἑρκίω, Lat. vetus HERCIO, quod produxit HERCISCO, &c. Ab ἄρω autem, ſive hujus *praeterito perfecto* ἴαρκα, repetenda ſunt ἄρκω, unde ἄρκος (Latinis contractum in ARX, uti μέρος in MORS, σάρκος in σάρξ:) porro ἀρκὰ Lat. ARCA, vel ἀρκὴ; unde jam ἀρκάω, ἀρκέω, ἀρκίω cet. Ex quibus ſimul ſatis ſuperque evidens eſt, Lat. ARCEO ipſum hoc eſſe Graecorum derivatum ἀρκέω, atque adeo proprie denotare *contineo*, vel *retineo*: unde in forma *Paſſiva*, vel *Media* ἀρκέομαι, CONTINEO MEMET vel CONTENTUS SUM.

Pro ἕρκω denique, literis κ & γ inter ſe permutatis, Graeci videntur dixiſſe ἔργω, unde ἐέργω, & contractum εἴργω, Lat. *arceo*, *prohibeo*: eadem iterum analogia, qua pro ἄρκω dixerunt ἄργω, ex quo fonte jam inter alia profluxerunt ἀργὸς, quod dedit Lat. ARGENTUM cet.

Ex quibus facile tandem apparet, ultima haec exempla ad illud genus proprie eſſe referenda, in quibus litera

K,

inter pronuntiandum, mutata fuerit in Γ: cujusmodi literarum, K & Γ, permutationis plurima dantur exempla. Ita v. gr. κνάπτω, *carmino*, dixerunt, & γνάπτω, eodem ſignificatu, γναφεὺς *fullo* & κναφεὺς, κναφεῖον, & γναφεῖον, ἄγνα-

φος

φος & ἄκναφος: & ſic promiſcue γνάμπλω *flecto* ac κνάμπλω. Pro κράββαλος, ſive κράβατος, Latine dicitur GRABATUS: h. e. „ lectus exiguus, „ humilis; vilisque (ut ſunt pauperiorum le- „ ctuii) atque etiam mobilis." *Forcellinus* in Lexico. De origine vocis adeatur etymologicon. Porro pro κύκνος, dicitur CYGNUS; Graec. κυβερνάω, ῶ, eſt Lat. GUBERNO. cet.

Itaque & Lat. ANGULUS illuſtrandum fuerit ex Graec. ἀγκύλος, pp. *recurvus*; *inflexus*, ſive potius, forma *diminutiva*, *inflexulus*. Quemadmodum enim a μικκὸς, ſive μικκὺς, *parvus*, dicitur μικκύλος *parvulus*; a δριμὺς *acer*, δριμύλος *acriculus*; a καμπὺς, καμπύλος *reflexulus*, vel *reflexus*, *curvus* univerſe, ut in καμπύλα τόξα, καμπύλα κύκλα, aliisque: ſic ab ἄγκος, vel ἄγκυς (Lat. ANCUS) eſt ἀγκύλος, quaſi dixeris *incurvulus*, *recurvulus*, *recurvus*. Ab ANCUS, Gr. ἀγκὺς, igitur ANCULUS: pro quo, literis *c* & *g* inter ſe permutatis, extulerunt ANGULUS: id quod manifeſtum quoque in AUCUSTALIS, pro AUGUSTALIS, aliisque benemultis apud *Scaligerum*, in Indice Grammatico ad *Gruteri* Inſcriptiones.

Neque minus literas *dentales*,

Δ & Τ,

in lingua Graeca, permutatas fuiſſe, conſtat. Exhibuit jam Cl. *Maittaire* p. 163 DIA

PANDON, i. e. διὰ πάντων, ex inſcriptione vetuſtiſſima Romana, apud *Scaligerum*, Animadv. in Chron. Euſebii p. 118. Idem *Maittairius*, p. 330. dedit κὰδ δραθέτην pro καδδραθέτην, ſive καταδραθέτην, ex *Homero;* καδδύναμιν, pro κατδύναμιν, ſive κατὰ δύναμιν, ex *Heſiodo:* laudato etiam loco *Quinctiliani*, Inſtit. Orat. L. 1, c. 14, n. 16. ubi *Fabius*, „ Quid T literae" inquit" „ cum D quaedam cognatio? Quare minus mi- „ rum, ſi, in vetuſtis operibus urbis noſtrae „ & celebribus templis legantur ALEXAN- „ TER, & CASSANTRA." Qualia complura quoque praebebunt inſcriptiones veteres, a *Grutero* aliisque collectae. Vide *Scaligerum* in laudato Indice Gramm. ad *Gruterum*, literis D & T. Apud *Voſſium* reperias ſimiliter Lat. MUTUS, factum ex Graec. μύδος; SPATIUM ab Aeol. σπάδιον; UTERUS ab ὅδερος. Quae tamen quo pacto ſe habeant, haud alienum fuerit, paullo diligentius h. l. explicuiſſe.

Quod ad primam vocem MUTUS attinet: verbum μύειν, *claudere*, *occludere*, Graeci in primis adhibuerunt, pro κλείειν τὸ στόμα *claudere os;* uti ex Schol. *Ariſtophan.* ad Ran. obſervavit *Conſtantinus*, in voce. Ab iſto μύειν, in forma *adjectiva*, ſive potius *participiali paſſiva*, dicendum fuerat μυτὸς: prorſus atque a μύττω, (cui cognatum μύσσω, pp. *claudo* naſum, *ſpec.* digitis, atque adeo *comprimo*, MUNGO, *emungo*,) factum eſt μυττὸς, pp. *clauſus* ore, & hinc i. q.

εἰν-

ἐννεὸς, MUTUS, apud *Heſychium*. Forma μυτὸς in lingua Graeca, quod ſciam, conſervata non fuit, adhibita, ejus loco, altera μυττὸς, ſive cognato nomine μύτης, quod *Heſychius* reddidit ſimiliter, ἐννεὸς, καὶ ὁ μὴ λαλῶν. Sed, permutatis δ & τ, pro μυτὸς, ex dialecto, dixerunt μύδος: unde, apud eundem *Heſychium*, Μύδος ἄφωνος, talis nempe homo, quem, aliunde petita metaphora, vulgo vocarunt κωφὸν pp. *obtuſum*, παρὰ τὸ κεκόφθαι, καὶ ἀφαιρεῖσθαι τὴν ὄπα ἐν τῷ ἀκούειν, ut habet Etymologus col. 552.

Alteram porro vocem SPATIUM ab Aeolico σπάδιον duci, monuit *Voſſius*. Originem ſignificationis, in Etymologico, vir ſummus, poſt alios viros doctiſſimos, cenſuit eſſe a ϛάδιον, ut σπολὴ dicitur pro ϛολὴ cet. Mihi paullo aliter videtur. Veram ſtirpem vocis SPATIUM putem eſſe σπάω *traho*, *trahendo divello*, *diſtraho*. Jam vero, uti a κλάω *frango* factum eſt κλάδος *ramus*, pec. tenuis, & facile *frangendus*, quin & contractum κλὰς, (pro κλὰδς,) Genit. κλαδὸς; unde in Dativo ſupereſt κλαδὶ apud Etymol. col. 567: 57; ita a σπάω *traho*, *avello*, *divello*, fieri analogice potuit σπάδος pp. *avulſus*, *divulſus*. Ex qua verbi σπάω origine, vox σπάδιξ, *ſpadix*, a *Voſſio* dudum optime expoſita eſt „ *ramus avulſus*, pec. *ramus palmae*, cum „ fructu ab arbore *avulſus*;" itemque σπάδων, „ SPADO, cui *evulſi*, *extractique* ſunt κρεμαϛῆ-„ ρες." A σπάδος, recta via, deſcendere potuit

tuit σπάδιον, uti a πλάτος, πλάτιον, aliaque id genus: unde ſatis jam liquet, vocem σπάδιον pp. notare poſſe *divulſionem*, & hinc *diſtantiam*, *intervallum*. Quo fere ſenſu reperias apud Ovidium, Metam. L. VIII, vs. 794.

Neve VIAE SPATIUM *te terreat: accipe currus.* h. e. *intervallum viae*. Ex hac origine igitur repetendam eſſe vocem Lat. SPATIUM, posſumus concedere *Voſſio*, ut *ſpatium* dixerint Latini pro Gr. σπάδιον; literis *d* & *t* permutatis: aut, ſi hoc fortaſſe, in re levi, nimis adhuc durum videatur, aſſumere licebit ipſam vocem Graecam σπάτιον, quae, etiamſi nullibi hodie compareat, ex eadem tamen analogia repeti poteſt a σπάτος, qua a σπάδος dixerint σπάδιος. Formam vocis σπάτος conſervavit nobis *Heſychius*, explicans eandem per δέρμα, σκύτος i. e. *pellem*, *corium*, pp. *detractum*, ſive id quod *detrahi* animalibus ſoleat. Vide *Heſych.* T. II, col. 1243. & Albert. h. l.

Tertii exempli loco dederat *Voſſius* vocem UTERUS, pro ὕδερος. Quod quidem uti libentiſſime admitto, tanquam hujus vocis etymon, ceteris, quae adduci ſolent, longe certius, & analogiae convenientius: ita breviter ſimul tamen monuiſſe haud forſan inutile fuerit, rationem denominationis proxime quaerendam videri in *tumendo*.

Notiſſima certe eſt haec *tumendi* ſignificatio in voce οἶδος, porro in οἰδάω, οἰδέω, οἰδάνω, οἰδαίνω,

γω, cet. quae ſtirpem habere ὄδω, dudum monuit Cel. *Lennepius*, in Etymol. voce οἰδέω.

Remotior vero origo verbi ὄδω, eadem videtur eſſe, quae verbi cognati ἄδω, atque adeo *premere*, *farcire*, *ſtipare*, *conſtipare premendo* & *calcando*: a qua poſtrema notione *calcandi*, non tantum manifeſte deſcendit vox ὀδὸς, quatenus, *Suida* monente, idem ſignificat ac βαθμὸς *gradus*, & οὐδὸς *limen*; verum etiam vox, cum ſpiritu aſpero prolata, ὁδὸς *via*, pp. *calcata*, nempe, a compluribus. Ab altera porro *effarciendi*, & *effarctum prominendi*, *tumendi*, notione, ὄδερος pp. dictus eſt γαςὴρ *venter*, quia, nempe, cibis *paſci effarcirique* ſolet, unde in *Heſychio* ὄδερος, γαςὴρ exponitur. A *ventris* denominatione autem proclivis deſcenſus ad *uterum*, ut ſatis apparet e phraſibus ἐν γαςρὶ ἔχειν, ἐν γαςρὶ φέρειν, ἐν γαςρὶ λάβειν.

Sed ut e diverticulo in viam redeamus, nimisque jam longam finiamus obſervationem, de vicinitate literarum Δ & Τ, probe hic animadverti velim, ipſas quoque ſtirpes δάω, δέω, δίω, δόω, δύω cum aliis quinque τάω, τέω, τίω, τόω, τύω, tam arcta adfinitate conjunctas eſſe ut, quod ad notionem primariam, *prope eadem verba* videri poſſint: id quod in Etymologico clarius erit demonſtrandum.

In ceteris literis, magna quoque *adfinitas* & *permutatio* inde oriunda, hic illic obſervari ſolet, apud Graecos aeque ac Latinos: uti *v. gr.*

 paſ-

paſſim *permutari* deprehendas Β & Μ, Β & Υ, Σ & Ρ, Δ & Λ, Ρ & Λ. Porro literae *adſpiratae* Φ, Χ, Θ, pro *tenuibus*, *mediisque*, Β, Π, Γ, Κ, Δ & Τ, ſaepe adhibentur: cujus *permutationis* exempla, in ſequentibus, proferentur. E. S.

AD ANALOG. CAP. III, p. 38.

De tribus *orationis* partibus.

De *partibus orationis*, quae OCTO vulgo ſtatui ſolent, a Cel. Lennepio ad *duas* tantummodo reductis, *Nomen*, nempe, & *Verbum*, legi a commilitonibus noſtris velim, quae habent viri ſummi *G. J. Voſſius*, Analog. Lib. I, Cap. I. & *A. Schultens*, Inſtitut. ad Fundam. Ling. Hebr. Sect. V, p. 150. ſeqq.

Ceterum ſperamus operae pretium facturos nos eſſe, ſi, quod a Lennepio, Analog. p. 39. de *adverbiis* potiſſimum, & *interjectionibus*, ab *Hoogeveenio* autem in opere ſupra laudato p. 227. luculentiſſime, de *Particulis linguae* GRAECAE univerſim, inductione exemplorum demonſtratum eſt, idem nos quoque cum de *adverbiis* quibusdam & *interjectionibus*, tum vero in primis de *praepoſitionibus*, quae vocantur, & *conjunctionibus*, planum faciamus.

Itaque de *adverbiis* quidem notiſſima res eſt, magnam eorum partem *caſus obliquos* conſtituere

re nominum, *adjectivorum* in primis, aut *participiorum*. Cujusmodi complura dedit *G. H. Urſinus*, in bonae frugis pleniſſima *Grammatice Graeca* (quam *Tib. Hemſterhuſius* diſcipulis ſuis commendare ſolebat) altera vice Norimbergae edita, p. 361. 362. Sed etiam alia bene multa huc pertinent, de quibus Grammatici ne quidem videntur ſuſpicati fuiſſe.

Talia ſunt νῦν, adverbium temporis, Lat. NUNC, pro νῦνγ᾽, ex νῦνγε (vide p. 239.) quod quidem νῦν pp. eſſe *accuſativum*, nominis νῦς, hoc autem repetendum a verbo νύω *pungo*, ſtatuit *Lennepius*, in Etymol. ut νῦν pp. ſit quaſi, *hoc puncto*. Quodſi tamen vera ſit *Feſti* conjectura, NUPER dici pro NOVIPER, videri poterit νῦν pp. idem eſſe ac νέον, quod ipſum νέον, eodem fere ſenſu ac νῦν, adhibetur Iliad. Γ, 394. Η, 64. 421. &c. Atque ut μῦς MUS dictum fuerit pro μέϋς, ſive μέος, pp. *penetrans* foramina anguſtiora, a μέω, Lat. MEO, *pervado*, ita νῦς pro νεῦς, ſive νέος, a νέω, cognata forma verbi νύω. Porro ἄρτι *modo*, pp. *nexu*; nempe Dat. Sing. a Nom. obſol. ἄρς, ἄρτος, Lat. ARS, *artis*, *arti*, pp. *nexus*, *nectendi ratio*, & *dextre copulandi*: a ſtirpe ἄρω *necto*. Unde ἄρτι dixerunt, per ellipſin praepoſ. ἐν, pro ἐν ἄρτι, ut ἄντι pro ἐν ἄντι ſ. ἔναντι: valebitque adeo ἄρτι pp. idem quod *hoc nexu* rerum; uti apud Hom. Iliad. Φ, 288. Odyſſ. Υ, 166. Ψ, 174. Quibus adde εἴσω & ἔσω *in*, pp. *Dativos* ſingulares ab

ἴισος, ſ. ἴσος, ἔξω *ex* ab ἔξος, ἄνω *ſuper* ab ἄνος &c. Καλῶς *pulchre*; σοφῶς *ſapienter* & ſimilia, pro καλοῖς, σοφοῖς cet. *pulchris* ſcil. *modis.* Videntur enim haec omnia pp. eſſe *Dativi*, vel *Ablativi* plurales, per ellipiſin *praepoſitionis*, & *nominum*, *ſubſtantivorum*, adverbialiter poſiti; terminatione οις ſimul contracta in ως, ut in Singularibus, contrahi vidimus οι in ω, εἴσω pro εἴσοι &c. Ἅμα *ſimul*, *una*, pp. *conjunctiones*, ſive *per conjunctiones*, Accuſ. Plur. n. g. a Sing. obſol. ἅμον, quae forma *neutra* ab ἅμος, η, ον, quod ipſum maſcul. ſupereſt in Lat. HAMUS. Stirps ἅμω, ſive ἅμω *necto*, vel *nexum conjungo.* Ὁμοῦ itidem *una ſimul*, pp. *conjunctionis*, i. e. per modum, *conjunctionis*, vel *conjuncti*, *nexi.* Eſtque adeo Gen. Sing. ab ὁμὸς, quod ipſum ſupereſt tanquam *adjectivum*, & pp. *conjunctum*, hinc vero *parem*, *ſimilemve*, notat. Dicitur autem ὁμοῦ, pro ἐξ aut ἐφ' ὁμοῦ, vel ſimilis praepoſitionis ellipſi. Πλὴν *praeter*, pp. *excuſſione* vel *rejectione*, *remotione*, i. e. *per rejectionem*, pro παλὴν, a παλὴ, &c. Ab eodem fonte etiam repetimus alterum πάλαι *olim*, *ante*, pp. *rejectione*, ſive *retractione* temporis, tanquam *Dativum antiquum*, nominis πάλα. Recentiones hunc *Dativum* ſcripſerunt cum *jota*, infra poſito, ut vel tironibus notum. Supereſt autem hoc πάλα, in Lat. PALA, per metonymiam adhibito, pro *inſtrumento excuſſionis*, vel *rejectionis*: quin & in adverbio PALAM pp. *excuſſionem*, vel

vel *per excuſſionem*, atque adeo *aperte*. Conf. *Voſſium*, in Etymol. Quam quidem *excutiendi* originem ſatis etiam demonſtrant Lat. PALLA, PALLIUM, PALMA Gr. πάλμα pp. *vibratio*, *agitatio*. Ἑξῆς *deinceps*, vel *ordine*, eſſe pro ἐφ' ἑξῆς, vel καθ' ἑξῆς, a Nominativo ἑξὴ *ſeries*, *ordo*, obſervavit Cl. *Bos*, de Ellipſ. p. 352. 353. Stirps ἔχω *teneo*: de qua vide in Etymol. Ὡς *ſicut* dictum putem pro ὅις, ab ὅς: ut ſupra καλῶς, pro καλοίς. Conferri velim, quae dedit Cl. *Hoogeveenius*, p. 1171. ſeqq. Λίαν *valde* ſive *vehementer*, pp. Accuſ. Singul. a λία pp. *agitatio*. Stirps λίω cujus ſignificatio primaria videtur eſſe *capio*, *apprehendo*: unde porro natus uſus *agitandi*, *commovendi* vehementius; qui frequentiſſimus eſt in verbo λιάζω. A λία iterum in Accuſ. λίαν, pro κατὰ λίαν, *per commotionem*, *per agitationem* cet. Et ſic ἄγαν *immodice*, *valde*, pro κατὰ ἄγαν. Nominativus obſoletus erat ἄγα, cui cognata vox ἄγη pp. *agitatio vehementior*, hinc *perculſio*, *admiratio cum ſtupore*, & ἀγὴ *agitatio*, dein *fractura*, *contuſio*: niſi praeplaceat fortaſſe Cel. *Lennepii* ſententia, ἄγαν proprie eſſe *Accuſ.* ſingul. n. g. formae μέλαν. Μόγις & μόλις *aegre*, *vix*, proprie videntur eſſe *Dativi* Plur. formae obſoletae *Aeolicae*, quae manſit in *ſecunda* declinatione Latinorum, in ις ſive IS. Hoc pacto, μόγις eſſet idem quod μόγοις pp. *laboribus*, *aerumnis*, μόλις, pro vulgari μόλοις *laboribus*: a μόγος & μόλος. Firmari putem hancce conje-

P 5 ctu-

ctiuram ex, eo quod μόγις & μόλις, ultimam habeant *longam*; uti v. gr. in illo Homeri, Iliad. X, 412.

> Λαοὶ μὲν ῥα γέροντα ΜΟΛΙΣ (alii ΜΟΓΙΣ) ἔχον ἀσχαλόωντα.

Vid. hic *Erneſt.* &, quem laudavit, *T. Hemſt.* ad *Lucian.* Judic. Vocal. c. 4. p. 86. 87. Κομιδῇ *perquam valde*, pp. Dat. ſing. a κομιδὴ *cura*, pro ἐν κομιδῇ, vel σὺν κομιδῇ. Vid. ad *Heſych.* in voce. Ναὶ, vel νὴ NAE *Dativi* antiqui, a Nom. νὰ vel νὴ, pp. *firmatio*, *ſtabilitio*; ſimilis originis ac Hebr. כן a כין *firmare*. Conf. *Hoogeveen*, p. 787. 788. Μὰ pp. 2 perſ. *Imperativi Singul.* verbi μάω, pp. *peto* vehementius, *quaero* cet. unde μάε, μᾶ, &, neglecto propter uſum frequentiſſimum *circumflexu*, μὰ, pp. *pete*, *quaere*, *roga*. Itaque μὰ τὸν Δία dixerunt fortaſſe priſci Graeci pro μᾶ, ſive μάε τὸν Δία, *interroga Jovem*, nempe, *num mentiar*, vel ſimile, i. e. *per Jovem!* οὐ, μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα Non! *interroga enim Apollinem*, ſi dubitas. οὐ *non*, pp. *i*, *abi*, vel *mitte*, *omitte*, in negando, contractum ex ἔε, 2 ſing. *Imperat.* Medii, verbi obſol. ἔω EO, *abeo*. Niſi malueris pro ὄε *Imper. Act.* verbi ἔω, unde & οὐκ pro ἔοκ ex ἔοκε, ἔτω. Ita Μὴ, (pro μέε, in *prohibendo*,) *Ne*, *non*, pp. *cede*, *diſcede*, 2 *Imper.* Act. a μέω MEO. τυχὸν *forte*, *fortaſſe*, pp. *Acc. Sing.* n. g. *participii* τυχὼν, οῦσα, ον, ut ſit pro κατὰ τυχόν. Ἐκεῖ *ibi*, pp. *Dativ.* ab obſol. ἐκὸς

pr-

pp. *ceſſio*, *receſſio*. Stirps ἔκω: ut ἐκεῖ pp. ſit *receſſione*, vel *retroceſſione* iſta, *ibi* loci. Ἀλλὰ *ſed*, pp. *Accuſ. Plur.* ab ἄλλος: unde ἄλλα, *alia* ſc. dicam tibi, & hinc ἀλλὰ tanquam conjunctio adverſativa: uti optime probavit *Hoogevenius*, in Praefat, & initio operis eruditiſſimi pag. 3. 4., Ἤτοι pp. *certe tibi*, ex ἤ *certe*, & τοὶ *tibi*. Η autem videtur eſſe pro ἔα, ab ἔος obſol. pp. *quod exiſtit*: ut ἔα, idem ſit quod ὄντα *exiſtentia*, vel ὄντως *ſane*. Εἰ, Lat. SEI, cum ſpiritu praemiſſo, pp. *eſt*, & hinc i. q. *eſtne? is het zoo?* ut optime *Hoogev*. p. 320. 321. aut *poſitive*, i. q. *ſit*, *het zy zoo!* ut in illo *Homer*. Il. Δ, 34.

Εἰ δὲ σύγ εἰσελθοῦσα πύλας καὶ τείχεα μακρὰ
Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον κ. τ. λ.

Belg. *Maar* het zy zoo: *dat gy Priamus levendig opvrat*. & Odyſſ. Ρ, 513.

Εἰ γάρ τοι, βασίλεια, σιωπήσειαν Ἀχαιοί.

Belg. *Maar* het mogte *u* zoo gebeuren, *o koningin*, *dat de Grieken zweegen!* Γὰρ *nam*, *enim*, (niſi compoſitum ſtatuere *malueris*, ex γὲ & ἄρ ut *Lennepio* placuit, & arriſit etiam nonnihil *Hoogevenio*, p. 181.) repetendum mihi videtur ab obſol. γάρω, quod a γάω *niteo*, *ſplendeo*, propagatum, pp. ſignificavit *ſplendore ferio* oculos:

los: unde fortaſſe reduplicatum γαργάρω, quod dederit γάργαρον, (i. e. ἀκρωτήριον ὄρους Ἴδης, καὶ πόλις, Τροίας κ. τ. λ. *Heſych.*) a *ſplendore*, dictum quo feriret oculos; & ipſum verbum γαργαίρειν, i. e. λάμπειν, apud eundem *Heſychium*, loco a viris doctis male fortaſſe ſuſpecto. A γάρω etiam γάρον *liquamen*, dictum a *ſplendore*, ut יצהר a צהר: porro γαύρω, unde γαῦρος *hilaris*, pp. *ſplendens*, Angl. *glad* &c. Videtur autem γὰρ dictum eſſe, per retractionem *accentus*, & apocopen ultimae vocalis, pro γαρὶ, ut πὲρ pro περὶ, ἐν pro ἐνὶ, ET Lat. pro ἔτι cet. atque adeo repetendum ab obſol. Nominat. γαρὶς *ſplendor*, talis, nempe qui oculos feriat; & hinc porro traductum ad ſignificandum id, quod *apertum*, *manifeſtum*, *planum* ſit. Unde γὰρ, pro γαρὶ, pp. *ſplendide*, *luculenter*, *evidenter*, & particula *evidenter* demonſtrandi, ſive *rei evidentiam indicandi*. Sed haec, ſpeciminis loco, ſufficere poſſe arbitramur, alia inſuper daturi in Etymologicis. E. S.

AD ANALOG. CAP. III, p. 39.

De Nominibus *ſimpliciſſimis*, *a* Verbis, *non vero* Verbis *primitivis*, *a* Nominibus *repetendis*.

Nomina *ſimpliciſſima* ſemper a *verbis*, non vero verba *primitiva*, *ſimpliciſſima*, a nominibus derivanda eſſe, eleganter admodum, more ſuo, diſpu-

diſputavit hic loci *Lennepius*. Idem hoc argumentum data opera tractavit, & luculentioribus quibusdam in medium productis exemplis demonſtravit magnus *A. Schultenſius* Inſtitut. Aramaear. p. 33-35. quae cum his *Lennepianis* omnino conferri velim. E. S.

Ad Analog. Cap. III, p. 41.

De propriis verborum ſignificationibus.

Rectiſſime, noſtro quidem judicio, admonuit h. l. Cel. *Lennepius*, „ ſignificationes *verbis* ſubjectas tanto *antiquioris* uſus eſſe, tantoque magis *proprias* eſſe habendas, quanto ſint propiores iis rebus, quas corporis ſenſu percipimus." Subjunxit deinceps, „ *pauciſſimas*, revera, eſſe *proprias* verborum *ſignificationes*: neque alias eſſe," denuo inculcavit, „ niſi *corporeas*, ſive eas, quibus *res*, *ſenſibus* externis *expoſitae*, deſignentur." Poſterius nemini, hac literarum luce, quin longe certiſſimum ſit dubitare licebit; in primis poſteaquam ὁ πάνυ *Schultenſius* idem hoc Grammatices Rhetoricesque ſanioris certiſſimum fundamentum, plus quam dici poteſt, eleganter illuſtravit, in vere aureo opuſculo, quod inſcribitur *Vetus ac Regia via Hebraizandi* (editum Lugduni Batav. 1738. ubi vide Cap. I & ſeqq.) In priori etiam aſſerto, „ PAUCISSIMAS eſſe tantum *proprias* verbo-

„ rum

„ rum *ſignificationes*," valde conſentientes habiturum eſſe omnes, quotquot harum rerum periti ſint, optimum praeceptorem noſtrum, confidimus; dummodo *paucitas* illa, quam dicit, componatur cum *immenſa tranſlatarum ſignificationum copia*, de qua vide Analog. p. 42. Ceteroquin ſi per ſe ſpectetur numerus iſte *ſignificationum propriarum*, haud ſane exiguus vocari poterit: quum, ne de majori longe, apud Graecos, copia *ejusmodi verborum* loquamur, vel apud ſolos Latinos ultra CL verba hodie ſuperſint, quibus *propriae*, ſive *corporeae* illae, deſignentur *notiones*. Quorum quidem verborum catalogum quendam, ſecundum Alphabeti literas diſpoſitum, hic loci iniviſſe, tironibus haud inutile neque ingratum fore arbitramur. Sunt igitur, ni fallor, hunc in numerum referenda Latina verba ſequentia: *Acuere*, (ſive *cuſpidare*) *agere* (ſive *pellere*, impellere,) *aptare* (ſive *nectere*, *apte connectere*,) *albicare*, *aeſtuare* (ſive *fervere*,) *angere* (ſive *cogere*, *ardere* (ſive *flagrare*,) *aſciare*, exaſciare, *cadere*, *callere*, callum obductum habere, *calleſcere*, *candere*, *cavare*, excavare, *carpere*, decerpere, excerpere, *clinare* (ſive *vergere*,) *cudere*, *curvare*, *crenare*, crenatim incidere, *denſare* (ſive *pilare*,) *depſere*, (ſive *ſubigere*, *pinſere*,) *dolare*, dedolare, *domare*, *ducere*, ducendo agere, *eminere*, (ſive *exſtare*, *prominere*,) *farcire*, *figere*, defigere, *findere* (ſive *ſecare*, *ſulcare*)

fin-

fingere, effingere, (ſive *figurare*, *formare*,) *flectere*, inflectere, deflectere, *flagellare*, *fluere*, *fodere*, *forare*, perforare, *fovere*, fomentare, *frucere* (ſive *rancere*,) *frangere*, perfringere, effringere, *frenare*, *fricare*, *fulcire*, *fulgere*, (ſive *ſplendere*,) *fundere*, *fuſcare*, obfuſcare, *gliſcere*, *glomerare*, *guſtare*, *gyrare*, *haerere*, obhaereſcere, *haurire*, (ſive *exantlare*,) *hebeſcere*, *humere*, (ſive *madere*) *humectare*, (ſive *rigare*) *jacere*, conjicere, projicere, jaculari, *jacere*, *jungere*, *lacerare*, *lavare*, *laxare* (ſive *ſolvere*,) relaxare, *lenteſcere*, *lentum eſſe*, *librare*, *ligare*, (ſive *vincire*,) religare, *linere*, *liquere*, *livere*, *manare*, *mandere*, *marcere*, *marceſcere*, *maturare*, ematurare, *mergere*, *micare*, *miſcere*, *mollire*, *mordere*, *movere*, *mulcere*, *mulgere*, *mungere*, emungere, *nectere*, *nictare*, *nitere*, *niti*, inniti, *nuere*, innuere, *occare*, *pallere*, *palpare*, *palpitare*, *pandere*, *pangere*, *paſcere*, *pectere*, *pendere*, ſuſpendere, *pendére*, impendere, *planare*, complanare, *plangere*, *plicare*, *polire*, *premere*, *prurire*, *pungere* (ſive *ſtimulare*,) *quatere*, *radere*, *repere*, *rigere*, *rotare*, *ruere*, eruere, *rumpere*, *runcare*, *rutilare*, *ſalire*, *ſapere*, *ſarcire*, *ſcabere*, *ſcalpere*, *ſcandere*, *ſcatere*, *ſcindere*, *ſculpere*, *ſidere*, *ſerrare*, *ſignare*, obſignare, *ſpargere*, *ſpirare*, *ſpumare*, *ſqualere*, (ſive *ſordere*) *ſternere*, *ſtinare*, deſtinare, *ſtipare*, *ſtrangulare*, *ſtringere*, perſtingere, deſtringere, *ſtrigare*, *ſuere*, *tabeſcere*, *tangere*, *tege-*

tegere (ſive *nubere*, obnubere,) *tendere*, *terere*, *tergere*, *texere*, *titillare*, *torpere*, *torquere*, *trahere*, *tremere*, *trudere*, *tumere* (ſive *turgere*) *tundere*, *turbare*, *vacillare*, *vagari*, *vehere*, vehi, *vexare*, *vellere*, *vellicare*, *vergere*, divergere, *verrere*, *vibrare*, *volvere*, *urere*..

His ſi addideris verba, quae ſatis manifeſte a *ſono* formata ſint, catalogus iſte permultum adhuc augeri poterit: quum hujus generis benemulta exſtent. Talia certe apud Latinos dici merentur verba *anhelare*, *balare*, *barrire*, *boare*, *bombare*, *bubere*, *bullire*, *cacabare*, *cachinnari*, *clangere*, *cicurire*, *coaxare*, *crepitare*, *crocitare*, *fremere*, *frendere*, *grunnire*, *hiare*, *hinnire*, *hirrire*, *lambere*, *lingere*, *mugire*, *murmurare*, *pedere*, *pipiare*, *pipire*, *plaudere*, *ructare*, eructare, *ſcatere*, *ſcreare*, *ſibilare*, *ſorbere*, *ſpirare*, *ſpuere*, *ſternutare*, *ſtridere*, *ſugere*, *tinnire*, *tonare*, *triſſari*, *tuſſire*, *vomere*, *ululare*, *zinzinulare*. Vide de his, ſimilibusque magnum *Valckenaerium*, Animadverſſ. ad Ammon. L. III, c. 18. p. 227. & ſeqq. ubi *Caſaubonum* quoque, & *Bochartum*, laudatos reperies, locum denique Bibliothecae Graecae Cel. *Jo. Alb. Fabricii*, ubi ſcriptores indicati, qui de *animalium vocibus* egerunt.

AD ANALOG. Cap. III, p. 42.

Verborum a SONO *factorum, ſive ὀνοματοπεποιημένων, numerum, in linguis longe majorem eſſe, quam vulgo credi ſoleat.*

Digniſſima eſt, quae, ſuper hoc argumento, legatur, *Dider. Meſtinghii*, viri conſultiſſimi, Diſſertatio, ſive *Verhandeling over den oorſprong en de natuur der Taalen*, edita Groningae apud Haj-Spandavium, A. 1771. in 8° maj. De *propriis* verborum *notionibus* egregia quoque habet ibidem p. 41. 42. *Meſtinghius* noſter, ſummorum virorum *N. G. Schroederi* & *Jo. Dan. Lennepii* diſcipulus doctiſſimus, cujus etiam elegans exſtat Diſſertatio, de *Authentia quorundam Cethibim*, h. e. locorum S. Codicis vet. Teſtamenti, a Judaeorum criticis ſollicitatorum; praeſide Cel. *Schroedero*, Groningae defenſa A. 1757.

AD ANALOG. CAP. III, p. 42. 43.

Verba INFINITIVA SIMPLICISSIMA *primas linguae Graecae (adeoque etiam* nominum *omnium) origines in ſe continere: quae quidem verba* ORIGINALIA, *ſi hodie minus ſuperſint, omnibus linguae reliquiis rite inter ſe comparatis, inquirendum eſſe, a quo verbo originali vocabulum quodque oriatur.*

 Quod

Quod de verborum *infinitivis* h. l. praeclare monuit Cel. *Lennepius*, a *Schultenſio* data opera demonſtratum fuiſſe, ſupra diximus, libro laudato, Inſtitutionum *Aramaearum*, pag. 26.

Certum eſto igitur, *Infinitiva* verba *ſimpliciſſima* primas nobis exhibere origines, ſive *ſtirpes* verborum aeque ac nominum. Quod ita tamen ſemper intelligendum eſt, ut terminationis, *Infinitivo* modo peculiaris, (quales apud Graecos, verbi cauſſa, ſunt ειν, ſive potius εν, ναι, μεν, μεναι, apud Latinos vero RE, apud Belgas EN) nulla, in *originalibus* verborum *formis* determinandis, habeatur ratio. Exemplis quibusdam res fiet clarior. Si quaeramus de formis *ſimpliciſſimis* verborum Graecorum ποιέω, βοάω, τίθημι, δίδομι, ἵςαμι, ζεύγνυμι, Latinorumve *amo*, *doceo*, *lego*, *audio*, aut Belgicorum, *ik geve*, *ik lere*, *ik voege*, *ik hore*: non utique horum ſingulorum *praeſentia* tempora *modi Infinitivi*, ποιέειν, βοάειν, τιθέναι διδόναι, vel διδόμεν, ſive διδόμεναι, ἱςάναι, ζευγνύναι, AMARE, DOCERE, LEGERE, AUDIRE, *geeven*, *leeren*, *voegen*, *hooren*, formas conſtituere *primitivas* cenſenda fuerint, niſi abjecta primum ea *terminatione*, quam Infinitivi modi *praeſens* tempus, *characteriſtae* inſtar, deſignare diximus. Itaque formae horum verborum, primigeniae fuerint neceſſe eſt, ποίε, βόα, τίθε, δίδο, ἵςα, ζεύγνυ; AMA, DOCE, LEGE, AUDI; GEEV, LEER, VOEG, HOOR. A ποίε, quod

quod notionem *faciendi*, univerſe & in *abſtracto*, ut ajunt, ſignificat, adjecta ſyllaba ω, (quam ex *pronomine primae perſonae* ſingularis ἐγὼ repetendam eſſe, infra docebitur) factum ποιέω *facio* EGO, vel EGO *facio*; ex βόα item & ω, βοάω, contrahendum mox in βοῶ, *clamo*; ex ἅμα & ω, ἁμάω, ἁμῶ, Latin. AMAO, AMO, pp. *adnecto*, *adjungo* me, *animum* meum *voluntatemque* meam alteri, h. e. *complector* alterum, AMO alterum. Promoveamus jam pedem paullo ulterius, & diſpiciamus nonnihil, quo pacto (ſi verbum ejusmodi *originale*, unde nomen aliquod, ſecundum certiſſimas analogiae leges, repetendum eſt, hodie non ſuperſit amplius) quo igitur pacto tale verbum reſtituendum fuerit; comparatis inter ſe omnibus linguae reliquiis. Sumamus nomen Lat. HONOR ſive HONOS, quod quin repetendum ſit a verbo HONO pro HONAO, dubitare non ſinit analogia in AMOR ſive AMOS, *oris*, ab AMO, pro AMAO; AEQUOR ab AEQUO; CLAMOR a CLAMO; CREMOR a CREMO; niſi mavis, τὸ HONOR eſſe ab HONO pro HONEO, ut ACOR, ALBOR, ALGOR, ARDOR, CALOR, CANDOR, CLAROR, ab *aceo*, *albeo*, *algeo*, *ardeo*, *caleo*, *candeo*, *clareo* cet. Jam vero quum nec HONAO, neque HONEO, apud Latinos ullibi hodie compareat, quid, quaeſo, magis in promtu erit, quam recurriſſe ad Graeca ὀνάω & ὀνέω, ſive ὄνημι: in quo tamen verborum pari, ne quem

offendat *ſpiritus lenis*, (quum Latini in ſua voce HONOR *aſpero* utantur *ſpiritu*) obſervandum eſt, non tantum ita ſaepius conſueſſe Latinos, uti v. gr. in HABEO pro ἀβέω, ex ἄβω, quorſum *Voſſius* refert illud ἄβεις ἔχεις, apud *Heſychium*; HALO ab ἀλῶ, pro ἀλάω, ab ἄλω, e ſtirpe ἄω. cet. verum etiam promiſcue dixiſſe veteres HONOR & ONOR cum ſpiritu *leni* & *aſpero*, uti *arena* dicitur & *harena*; *edera* & *hedera*; *Annibal* & *Hannibal*; *Adrianus* & *Hadrianus* &c. Vide *Gruter*. Inſcript. p. CCCCXXVII, n. I. CCCCLXV, n. 4. ubi legitur ONESTA MISSIONE, & pag. ML, n. 12. ONORIO. AGUSTO, & alia apud *Scaliger*, in Indic. Gramm. Apud Graecos ὀνάω & ὀνέω, ſive ὄνημι, exponitur a Grammaticis ὠφελῶ *juvo*, *proſum* & ἀπολαύω *utilitatem capio*: unde, ſi jam ſimpliciter derivaveris noſtrum HONOR, ſive HONOS, commode reddi poterit *id quod juvat*, *quod prodeſt* &c. Nec male ſic reſpondebit uſus linguae apud optimos ſcriptores, in phraſis *honoribus augeri*, *honoribus frui*, *uti* &c. Quorſum etiam referri fortaſſe poterit, quod *honores*, apud Juris conſultos, dicantur *hereditates* & *legata*. Vid. *Briſſonium* de Verbor. ſignificat. in voce, & *Forcellinum*, in totius Latinit. Lexico, opere linguae utriusque cultoribus utiliſſimo, quod prodiit Patavii An. 1771. *quatuor voll.* in folio. Verum ut de diverſis admodum ſignificationibus vocabulorum HONOR ſive HONOS, Graecorum item

item ὄνος, & Lat. ONUS, recte judicari poſſit, filumque inveniri aliquod Ariadnaeum, quo, e labyrintho Grammaticorum, vel ſoli nomini ὄνος *decem* ad minimum *diverſiſſimos ſignificatus* tribuentium, ſalvi evadamus, res ea paullo repetenda erit altius.

Stirps horum omnium, ſine controverſia, eſt ὌΝΩ, cui fuiſſe cognatam aliam verbi formam ἌΝΩ, tam certum eſt, quam haberi nunc ſolet in aliis bene multis, *ejusdem diverſitatis*, ſtirpibus Graecis, v. gr. ὄδω & ἄδω, ὄκω & ἄκω, ὄλω & ἄλω, ὄμω & ἄμω, &c. Totam igitur familiam verborum ὄνω & ἄνω, cum ſuis quaeque derivatis, inſpicientibus facile apparere poterit, primariam verborum ἄνω & ἄνω notionem fuiſſe *tollere*, *extollere*, unde Graec. ἀνὰ, *ſurſum*, in compoſitis, ἀναβάδην, ἀναβαδὸν, ἀναβαςάζω, ἀναβήσσω, ἀναβιβάζω cet. Inde & derivatum ἀνύω pp. *ſurſum traho*, *contendoque*, atque ita *emergo*; *proficio*, Conf. Homeri Iliad. Δ, 56. ὀυκ ἀνύω φθονέουσα. Odyſſ. Π, 373. Hymn. in Mercur. vs. 337. Inde & Latinor. ANUS, anuis, pro *vetula*; contractum quippe ex Graeco ἀνυὸς, pp. quae *erigit ſe*, vel *ſuſtentat*, baculo, aetate confecta, ut *ſenem* Graeci ſimiliter dixerunt γέροντα *gerentem*, vel *portantem*, ſc *baculum*, & γραῦς vel γραῖα, pro γεραὺς vel γεραῖα, *anus* dicitur, quaſi *baculi*, ſcipionisve, *portatrix*. Sed pergendum ad ὄνω pp. *tollo*, & per metonymiam *ſublatum gero*. Hinc Lat.

ONUS, *oneris;* non certe a Chald. אנס aut Hebr. עמס, uti placitum doctiſſimis quibusdam viris, ex orientalium fontibus Graecas Latinasve voces repetentibus. Nimis lubrica haec via eſt, & *Homeri* aetate linguam Graecam jam toto coelo diverſam fuiſſe ab *Hebraea*, ſive *Cananaea;* & *Arabica*, ſive *Aramaea*, ſatis conſtat. Quid igitur erit proprie ONUS? Sine dubio *id quod tollitur ſublatumve geſtatur.* Ubi, in tranſitu, ſimul tamen obſervandum eſt, nomina in ος & υς, apud Graecos Latinosque horumque adeo etiam nomina exeuntia in OR, aeque fuiſſe ſignificationis *activae* ac *neutrae*, ſive *intranſitivae*, aut *paſſivae.* Itaque AMOR pp. eſt quod *nectit*, *jungitve*, ſc. animos; ANGOR, quod *angit;* ARDOR quod *ardet* cet. unde jam porro dubitari non poterit, quin ὄνος Graece pp. etiam ſit *is qui tollit*, *ſublatumque fert*, GESTATOR adeoque: unde nomen ὄνος ASINO eximie tributum eſt, *ſarcinas*, *clitellasve* patienter *portanti*, cujus *parum refert*, *cui ſerviat*, CLITELLAS *dum* PORTET *ſuas.* Hinc jam ceteras quoque ſignificationes expedias, quae voci ὄνος tribuuntur in Theſauro Stephaniano: uti v. gr. ὄνος *axis*, & ὀνίσκος *axiculus* &c. qui *portet* nempe, & *ſuſtentet* currum. Sed Latine HONOS, vel HONOR pp. dicitur, id quod *tollit* ex humili loco *in altum*, *extollitque* homines, unde phraſes fortaſſe explicandae ſunt *eſſe in numero & HONORE*, nempe tanquam in *faſtigio*

quo-

quodam & *gradu* elevatiori, unde HONORIS GRADUS dixerunt; porro *adſcendere in* HONOREM; HONORIS *cauſſa aliquem appellare*, i. e. *efferendi, exaltandique* cauſſa; *abire* HONORE, nempe tanquam a *gradu*, unde deſcendas; *ſilvis decutere* HONOREM, h. e. decus ſublime arborum & alia apud ſcriptores praeſtantiſſimos. Conf. *Cicero* pro Quint. I, 4. n. 14. cet.

Sed dum hoc in campo verſamur, quo admirabilis linguae Graecae cum Latina cognatio tanto magis illuſtretur, juvat adhuc quaedam attexere. Eruditiſſimi viri *Iſaacus Voſſius*, & *Forcellinus* noſter, etſi veram vocis originem non videntur intellexiſſe, illud tamen probe perviderunt, Latinorum vocem *honos*, quantum ad uſum linguae externum attinet, parum admodum diſtare a Graeco αἶνος, illamque adeo vocem ab ipſo hoc αἶνος derivare ſunt conati.

At nimis diverſa ſunt αἶνος, & HONOS, quam ut pro iisdem haberi poſſint vocabulis, aut unum ex altero potuerit corrumpi. Nihil ſane, hoc in genere, certius eſt, quam Graecorum αι eſſe Lat. *ae*: uti clariſſime ſentitur in vocibus αἰγὶς *aegis*, αἰθὴρ *aether*, Αἴγυπτος *Aegyptus*, Αἰθίοψ *Aethiops*, ſimilibusque. Unde jam manifeſto liquet, ex Graec. αἶνος non *honos*, ſed *haenos*, vel *aenos*, Latine exiſtere debuiſſe.

Quodſi quis vel ſic poſt *Iſaacum Voſſium* urguere velit, „ *uſu* tamen ſuo ſatis convenire neque *ſono* etiam magno opere diſtare, voces „ αἶνος & *honos*," facile huic concedemus, voces eſſe cognatas, & ſignificatione adſines; easdem eſſe voces negabimus. Nempe ab ἄνω, (quam ſtirpem fuiſſe cognatam alteri ὄνω, jam ſupra a nobis eſt obſervatum) deſcendit αἴνω, eadem analogia, qua a γένω, γείνω; a δάνω, δαίνω, δαίνυμι cet. Ab αἴνω porro eſt αἶνος, ut ab ὄνω, ὄνος, ab ὄνω, ὄνος HONOS. Unde efficitur, ſimilitudinem ſignificationum, quae eſt in αινος & HONOS, non aliam eſſe, quam quae in unius verborum familiae derivatis haud raro deprehendi ſoleat.

Obſervandum denique eſt, ab HONOS, (ſive potius *honor*,) eſſe productum verbum *honoro*, *avi*, *atum*, *are*: uti a *color* eſt *colorare*; a *labor labo*-*rare*; a *decus*, ſive *decor*, *decorare*; a *ſtercus*, ſive *ſtercor*, *ſtercorare* cet. Ab ONUS autem (quae vox alteri *honos*, Gr. ὄνος, arctiſſima adſinitate juncta eſt) deſcendit *onerare*: uti a *funus*, eſt *funerare*; a *foenus*, *foenerare*; a *genus*, *generare*; a *frigus*, *frigerare*; a *glomus*, *glomerare* cet. Pari ratione in aliis quoque nominibus Latinis, ad deperditas ſtirpes ſuas reducendis, verſari harum literarum ſtudioſis licebit: modo analogiam, ceu fidiſſimam ducem, ſequantur ubivis, nihil prorſus admittentes, quod ei vel tantillum repugnet.

Ita-

Itaque quum & nos ſemel hunc in campum ſimus ingreſſi, & noſtra haec qualiacumque obſervata iis potiſſimum prodeſſe cupiamus commilitonum noſtrorum, qui, vixdum e ſcholis, quas vocant, trivialibus ad Academias delati, verae etymologiae, quae in primis hoc noſtro ſeculo detecta eſt, principia accuratius cognoſcere ſtudeant: age, id operam, commodo hoc loco, demus, ut nominum aliquot Latinorum, quae, in vulgaribus Lexicis, tanquam *primitiva* poni male ſoleant, germanas origines, primariaſque ſimul notiones, indagemus, atque leviter deſcribamus.

Indices Etymologicos inſpicientibus, ſub litera A, initio ſtatim ſe offert, nomen ABDOMEN, ſive *abdumen*, a Grammaticis ceu *primitivum* aliquod vulgo habitum. Vir ſummus tamen *G. J. Voſſius*, poſt *Perottum*, pro derivato accepit, ab *abdendo*, quia „ tegere eas partes natura juſ„ ſerit." *Iſaacus Voſſius*, magno parente, in Etymologicis, digniſſimus filius, *abdomen* dici cenſuit, quod *abdat omen*, h. e. *omentum*." Mihi quidem ſimpliciter ſtatuendum potius videtur, quemadmodum ab *acuo* eſt *acumen*, ab *induo indumen*, unde *indumentum*, ita ab *abduo* factum eſſe *abdumen*. Jam vero obſoletum hocce Lat. *abduo* componendum eſt, cum Graeco ἀποδύω, uti *abluo* cum ἀπολύω, ſive ἀπολούω; *abnuo* cum ἀπονεύω cet. Porro Ἀποδύω eſt *exuo* ſpec. *veſtes*, quae *pudenda* tegunt, uti apud Homer. Iliad. B, 261.

Εἰ μὴ ἐγὼ σε λάβων ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,
Χλαῖνάν τ' ἠδέ χιτῶνα, τά τ' ΑἸΔΩ͂ ἀμφικαλύπτει,

Confer porro Odyſſ. E, 343. 349. Nomina in *umen* Latinis (ut Hebraeorum incipientia a מ) notant vel *actionem*, vel *inſtrumentum*, vel *locum*, uti cernere licet in *numen*, *acumen*, *albumen*, *cacumen* cet. Quam ſi ſequaris analogiam, *abdumen* proprie notare poterit *ventris locum*, ſive partem, quae ἀποδύεται, h. e. veſtibus *exutis nudatur*, in primis *imam* partem ventris. Unde mirum non eſt, ABDOMEN Latinis adhiberi pro *pudendis*: uti v. gr. in illo *Plauti* Militis Glor. Act. V, vs. 4-6.

Vide ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probe.
Ca. *Quin jam dudum geſtit moecho hoc* abdomen *adimere.*

Ubi vide *Victorium.* Eodem pertinent *abdominis voluptates* apud Ciceron. in Piſon. c. 27. & alia hujusmodi.

Sequitur vox ABIES, in Etymologicis Indicibus, tanquam primitiva poni ſolita, ſed recte jam ait Iſidorus, Lib. XVII, 7. laudante Voſſio: „ ABIES *dicta, quod prae ceteris arbori-* „ *bus longe* eat, *& in excelſum* promineat." Ad quam derivandi legem ipſe Voſſius in Etymologico „ ABIES " inquit „ dicta putatur „ ab *abeo*, ut a *facio*, *facies*, a *ſpecio*, *ſpecies*."

In

In qua tamen comparatione, pro vocibus *facies*, & *ſpecies*, in Genitivo *ei* habentibus, mallem adhibuiſſet vir ſummus alia exempla ejusdem declinationis, *aries*, verbi gratia, *paries*, vel ſimilia; quorum Genitivi in *etis*; ut *abies*, *abietis*. Sed operae pretium fuerit, hac occaſione, verbulum addidiſſe de nominibus tertiae Latin. Declinationis in *s*, quorum Genitivi deſinunt in *tis*. Conjecit jam dudum vir eruditisſimus, *Jerem. Marklandus*, in Diatribe de *Tertia Latinor. Declinatione*, ſubjuncta illi de *Graecorum declinatione quinta*, (ſuperius a nobis laudata, p. 226.) nomina Latina, quorum *Genitivi* deſinant in *bis*, *dis*, *gis*, *pis*, *tis* cet. in caſu recto, ſive *Nominativo*, exiiſſe olim in *bs*, *ds*, *gs*, *ps*, *ts* cet. Id quod vir eruditiſſimus abunde demonſtrari poſſe, ſibi perſuaſit, ex nominibus *plebs*, Gen. *plebis*; *vas* (pro *vads*) *vadis*; *rex*, (pro *regs*) *regis*; *ſtirps*, *ſtirpis*; *vas* (pro *vats*) *vatis*; *Mars* (pro *Marts*) *Martis*. Quibus praemiſſis eo etiam progreſſus eſt, ut doceret, pro *poëma*, in Nominativo primitus fuiſſe *poemats*; pro *leo*, *leons*, pro *monile*, *monils*; pro *mare*, *mars*; pro *pater*, *paters*, unde *pateris*, *patris*; pro *corpus*, *corpors*; pro *Venus*, *Veners*; pro *juventus*, *juventuts* cet.

Ad hanc igitur normam ſi exigas noſtrum *abies*, *abietis*, ſequetur manifeſto, pro *abies*, priſcos Latinos dixiſſe *abiets*, haud aliter fere, atque, ex ejusdem *Marklandi* ſententia, libro lau-

laudato p. 241, pro *comes* dixere *comets*; pro *hospes*, *hospets*; pro *ſuperſtes*, *ſuperſtets*; & ſimilia.

Vehementer tamen dubito, an lectores mei commode ſatis concocturi ſint ceteras, ejusdem indolis, duriores formas, quibus hanc normam ſtatuit vir eruditiſſimus: *poëmats*, v. gr., *cubils*, *ſermons*, *homons*, *regionis*, *Caeſars*, *voluntats*, *lauds*; unde, ex hypotheſi ſua, repetiit Genitivos *poëmatis*, *cubilis* &c. Quae ubi accuratius mecum perpendo, ſtatim ſentio me relabi ad priſtinam ſententiam, „ omnium nempe eorum „ nominum, quae ad *tertiam* Latinorum *decli-* „ *nationem* pertineant, *Genitivos* ſingulares ſim- „ pliciter deſcendiſſe a caſu *recto*, terminatio- „ ne tantum adſcita in *is*." Ita certe ab *halec* commodiſſime derivabitur *halecis*; ab *animal*, *animalis*; a *fel* (pro *fell*) *fellis*; a *vigil*, *vigilis*; a *ſol*, *ſolis*; ab *exul*, *exulis*: a *Titan*, *Titanis*; a *lien*, *lienis*; a *delphin*, *delphinis* cet. Quae autem ab hac norma plus minusve deflectunt, ea mihi quidem repetenda videntur omnia, a formis antiquis, maximam partem obſoletis, aut formata fuiſſe putem, permutatione adhibita vocalium, ac converſione *duriorum* literarum in *molliores*: facta etiam hic illic ſyllabarum contractione. Itaque Genitivi *cubilis*, v. gr., *Ciceronis*, *lactis*, *Calchantis*, *cucumeris*, *ſanguinis*, *Simoëntis*, *temporis*, *pecoris*, proprie repetendi fuerint a formis *deperditis cubil*, (pro *cubile*, ut *ani-*

animal, pro *animale*) *Ciceron*, Gr. κίκερων, *lact*, (pro *lacte*) *Calchans*, *cucumer*, *ſanguen*, *ſimoëns*, *tempor*, *pecor*: id quod partim jam obſervatum a Grammaticis. Contractio autem cernitur in *patris*, *matris*, *fratris*, pro *pateris*, *materis*, *frateris*. Litera *s* finalis mutata fuit paſſim in *r*, *t*, vel *d*: uti ſatis manifeſtum in *os*, *oris*, pro *oſis*; *veritas*, *veritatis*, pro *veritaſis*; *merces*, *mercedis*, pro *merceſis*; & ſim. Neque aliter videri poſſit ſe res habere in *paries*, *aries*, *abies*; ut dixerint, nempe, Latini *parietis*, *arietis*, *abietis*, pro *parieſis*, *arieſis*, *abieſis*. In quibus tamen, praeter ea quae diximus, altius aliquid reſtat indagandum. Docet, nempe, collatio Graecorum ἀπιεὶς ἀπίεντος, (h. e. *particip.* verbi ἀπιέναι *abire*) *nominativum* vocis ABÍES olim fuiſſe ABIENS, ex quo, eliſa *n*, factum *abies*, uti ἀπιεὶς, vel ἀπιὲς, dixere Graeci pro ἀπίενς, ἀπίεντος, reſorpta litera ν, eademque deinceps compenſata (ut loquuntur Grammatici) ope vocalis *longae*, in ἀπιείς. Verbulo igitur dixeris, *abietem*, pro veteri *abientem*, vocatam fuiſſe arborem, quae longiſſime ἀπίεται, hoc eſt *abeat*, ſive *protendat ſeſe*, vel *emittat in altitudinem*, eadem de cauſſa alias dictam ἐλάτην: ut viri docti obſervarunt.

Quae quidem, ſi vera ſit vocis *abies* derivatio, haud multum ambigendum erit in deſignando genuino etymo alius vocis PARIES, *parietis*: quod ejusdem formae nomen eſſe, modo dictum fuit,

atque *abies*, *abietis*. Uti igitur *abies*, pro *abiens*, erat Graecor. ἀπιεὶς, ἀπίεντος a verbo ἀπιέναι: haud aliter PARIES, pro *pariens*, ſuerit Graecum παριεὶς, παρίεντος, a παριέναι; quatenus, nempe, a Lexicographis exponitur *per tranſire*, vel etiam denotat *juxta ire*, *juxta & a latere ire*, ſive *protendere ſe*. Ex quo fonte *paries* olim pp. ſignificare potuit *juxta euntem*, nempe ligni, lapidumve, ſeriem, quae unum aedificium, areamve, ab alia ſepararet, ac dirimeret; & deinceps, latiori ſenſu, adhiberi de *muro* quocumque. Quod ſi cui tamen ideo minus perſuaderi poſſit, quia & ipſi Latini ſuum habeant peculiare verbum, *pario*, non utique compoſitum ex παρὰ & ἴω, vel ἵημι, ſed (quemadmodum ex praeterito *peperi* ſatis apparet) derivatum a *paro*, vel *pero* Gr. πέρω *penetro*, *tranſeo*; unde *pario* pp. ſignificet *penetrare facio*, *extrorſum profero*, *niſu excludo* foetum: magis fortaſſe placuerit, ſi ſtatuamus, ab eodem hoc *pario*, *parietem* dici, quaſi *tranſeuntem* maceriam, quae *domum* dirimat ac ſeparet a vicina & contigua ſtructura. Eodem certe modo ARIES, *arietis*, deducendum mihi videtur ab obſoleto ἀρίω, cujus *futurum* ἀρίσω dedit novum verbum ἀρίζω; unde ἀρισμὸς, ἀριθμὸς, ἄρθμος, cujusque etiam alia quaedam ſuperſunt derivata. Stirps ἄρω *necto*, unde ἀρὶς Lat. ARS pp. *nectendi* & *apte copulandi* ratio. Vide ſupr. p. 247). Notionem hanc *nectendi*, ut in cognato ἔρις, & ἐρίζω, tranſtulerunt ad

ad *diſcordias*, *contentionesque*, quibus homines *committuntur*; ut in decantatiſſimo iſto

Τίς τ' ἄρ σφῶε θεῶν ἜΡΙΔΙ ξυνέηκε μάχεσθαι;

Hinc porro ſive ab ἄρω, ſive a forma hujus productiori ἀρέω, vox ἄρης notat *commiſſorem*, *conſertoremve* praeliorum, & inde peculiariter *deum* belli, quem finxere veteres, *Martem* a Latinis dictum. Sed etiam ARES voce Latina, olim appellabatur, qui poſtea *aries:* ut obſervarunt *Voſſius* in Etymol. & alii viri docti. Unde ſatis jam apparet, nomina ARES, & ARIES, non, niſi forma, diverſas voces eſſe, atque uno e fonte fluxiſſe.

Sequitur in Lexicis, ordine ſuo, tanquam *primitivum* nomen, VOX ABLEGMEN, *ablegminis:* quae tamen aeque minus pro *primitiva* accipienda erat, atque aliud, ejusdem formae, nomen *abſegmen*, *abſegminis*, primitivum eſſe certum eſt. Quemadmodum igitur *abſegmen*, pro *abſecmen*, manifeſto derivatum eſt verbi *abſeco:* ita *ablegmen* eſſe a verbo *ablego*, facile apparet. Jam vero, uti *tegmen* a *tego*, ſive potius a τέτεγμαι, *prima* praeteriti paſſ. verbi τέγω, *tego*, ita *legmen* a λέλεγμαι verbi λέγω, ſive *lego:* rectiſſimeque adeo infert *Voſſius* noſter ,, ut *ablegmina* nihil aliud ſint, quam ἀπο-,, λεγμοι, ſive partes, quae a reliqua viſceratio-

,, ne

„ ne *ablegerentur*, i. e. *ſepararentur*, diisque *por-*
„ *ricerentur*."

ABOLLA pallium militare, unde dictum ſit, haud conſtat inter Grammaticos. Omnium, quae huc usque productae ſunt, veri ſimillima ſine dubio eſt ſententia *Voſſii*, „ ABOLLAM venire a Graeco ἀμβολὴ, quod ab ἀναβολὴ, ex „ ἀναβάλλομαι *induor*." Sed eidem tamen hoc obſtare haud leviter videtur, literam *m*, quae eſt in ἀμβολὴ, deficere in voce *abolla*, & *l* contra reduplicari; quae unica tantum eſt in Graeca voce. Itaque rectius fortaſſe ducatur *abolla* ab obſoleto verbo ἀπόλλω, pp. *devolvo*, & mox *devolvendo abjicio*, *rejicio*; etiam *perdo*, *deſtruo*: quae poſterior verbi ſignificatio uſitatiſſima manſit in formis productis ἀπολλύω, & ἀπόλλυμι; ſed viguiſſe tamen etiam in noſtro ἀπόλλω, ſatis probat vel ſolum nomen ἀπόλλων, pp. *perdentem*, ſive *devaſtantem* indicans. Vide *Servium* laudatum a *Voſſio*, in Etymol. voce *ſol*, *ſolis*. Jam vero ab ἀπόλλω *devolvo* eſt forma vetus *participalis paſſiva*, ἀπολλὸς, α vel η, ον; pp. *Devolutus*, ſive *devolvendus*, *a*, *um*: unde ἡ ἀπολλὰ pp. quae *devolvitur*, ſive *rejicitur*, veſtis *exterior*, & hinc, *ſubſtantivo* uſu, pro pallio *extimo*, *amplo*, *laxoque*, quod non adeo *exueretur*, quam potius negligenter abjiceretur, & quaſi *devolveretur* ab humeris.

Ac-

ACCIPITER *accipitris*, vox formae *dieſpiter*, *dieſpitris*. *Voſſius* noſter corruptam cenſuit hanc vocem ex ὀξύπτερος. Sed nimis diverſa ſunt *accipiter* & ὀξύπτερος, quam ut unum videatur corrupte pronuntiari potuiſſe pro altero. Rectius ergo illi, qui ab *accipiendo*, i. e. avide arripiendo, apprehendendove, deſumtam vocem exiſtiment. Quorſum facit illud *Plauti*, in Perſ. Act. III, Sc. 3, vs. 4.

Pecuniae *accipiter* avide atque invide!

Vix melius proceſſit *Voſſii*, vel Voſſiani ſoceri, *Fr. Junii*, conatus in adſignando etymo vocis ARBITER, *arbitri*: quam venire ſuſpica-„ batur ab antiquo *ar* pro *ad* (unde *arferia*, „ *arceſſo*, ſimiliaque) & antiquo *bito*, pro „ *eo*." Analogia enim potius ſuadere videtur, ut credamus, ab antiquo ἀρβίω, *committo*, *compono*, ſive huius 3 Sing. Praeteriti perf. Paſſ. ἤρβιται, pro ἐάρβιται, eſſe ἀρβιτὴρ *arbiter*, atque de eo adhiberi, qui diverſas *averſasve* partes judicio ſuo *componat* & inter ſe *conciliet*. Stirps primigenia verbi ἀρβίω eſt ἄρω *necto*, ſuperius jam a nobis prolatum; inde in praeter. paſſ. ἤρμαι pro ἔαρμαι, & hinc ἄρμω, unde derivata ſunt ἅρμα *currus*, (Belgice *een geſpan*) equis *jungi*, vel adnecti, *ſolitus*; ἅρμη & ἁρμὸς *commiſſura*, cujus vocis Dativus ἁρμοῖ, ſive ἁρμῷ adverbialiter adhibetur pro *apte*, *congrue*: Lat. porro ARMUS h. e. commiſſura humerorum cum brachiis, ut recte *Voſſius* & *Forcellinus*; obſoleta

R dein

dein vox ARMUM, quod proprie eſt adjectivum neutr. gen. τȣ *armus*, & ſignificare debuit *id quod corpori aptatur*, cujus plurale ARMA, *armorum*, primum dictum fuit pro *galea* & *clypeo*, quibus corpus tegeretur, at dein latiori ſenſu uſurpatum pro quibusvis inſtrumentis bellicis. Ceterum permutatis *m* & *b*, literis *labialibus*, pro ἄρμω dixerunt ἄρβω, & hinc, propagatis formis novis, ἀρβέω, ἀρβίω atque ἀρβύω. Ab ἀρβίω igitur eſt noſtrum ARBITER, obſol. Gr. ἀρβιτὴρ: ab ἀρβέω ſuperſtes manſit ἄρβηλον quod, *Etymologo* auctore, etiam notet ὅπλον *armorum* genus; ab ἀρβύω, ſupereſt ἀρβύλη *calceamentum* cavum & profundum pedibus arcte *adhaerens*, dictum παρὰ τὸ ἁρμόζεσθαι τοῖς ποσὶν, ut refert *Etymologus*: quod vero quum, eodem *Etymologo* teſte, aeque ἀρμύλη, per μ, & ἀρβύλη per β, appellentur, noſtram, quam ſupra dedimus, vocis ARBITER originem haud parum videtur confirmare. Sed de ἀρβύλη vide *Hemſt.* ad Ariſt. Pl. p. 6. coll. ſuper. p. 241. *Foëſ.* Oec. Hipp. in voce, *Caſaub.* Lectt. Theocr. c. IX. *Spanh.* ad Call. Dian. vs. 16. p. 181. *Valck.* ad Eur. Hipp. vs. 1188. Tandem phraſis Latina, qua ARBITER CONCORDIAE, pro *concordiae conciliatore* & *redintegratore*, adhibetur, (uti v. gr. Livii lib. II, c. 33.) eandem etymologiam mirifice commendat.

Pergere jam ulterius liceret, in eodem hoc, Grammaticis hominibus non injucundo fortaſſe,

ſe, argumento, multasque alias voces *Latinas* & *Graecas*, haud ſatis recte huc usque pro *primitivis* habitas, ad ſuas quasque *ſtirpes* reducere: quo ipſo ſimul tanto clarius appareret, ſummo jure ſtatuiſſe Lennepium, „ *nomina* a „ *verbis*, non vero *verba primitiva* a *nominibus*, „ deſcendiſſe." Sed nimii ne ſimus in re ſatis jam manifeſta, praeſtiterit reliqua in locum commodiorem reſervaſſe.

Ad Analog. Cap. IV, p. 44.

De tribus *in Verbo* perſonis, tribusque *in eodem* temporibus *antiquiſſimis: flexione item perſonarum in formis* cet.

Tempora omnia, in *verbis* „ diviſa eſſe in „ partes tres, *praeteritum*, *praeſens*, & *futu*„ *rum*; horum vero unumquodque poſſe intel„ ligi *dupliciter*, prout de re *perfecta* ſermo ſit „ aut de *imperfecta*," egregie docuit eruditisſimus Theologus *Sam. Clarkius*, ad Homeri Iliad. Α, vs. 37. quem conſuluiſſe haud poenitebit omnes analogiae Graecae ſtudioſos. Ceterum obſervent, velim, tirones, *perſonarum* in verbi *temporibus* his antiquiſſimis, *praeterito*, *praeſenti* & *futuro*, determinationes, tam in formis *activis* & *neutris*, quam in *paſſivis*, earundem fere literarum ope factas fuiſſe: cujus

rei rationes & cauſſae ſtatim pluribus indicandae venient.

Flexio igitur verbi *activi* quum in *Praeſenti* & *Futuro*, per *numeros*, & *perſonas*, hac ratione ſe habeat; ut terminationes ſint, in

Sing	Dual.	Plur.
ω, εις, ει.	ετον, ετον.	ομεν, ετε, ουσι.

(qua de re dixit cel. Lennepius p. 45) paullo penitius hic loci inquirendum erit nobis, unde acciderit, ut v. gr. ω ſit terminatio *primae* perſonae *Singularis*, μεν vero terminatio *primae Pluralis*; atque ita porro. Id quod *non temere* fieri, ſed aliquo niti fundamento; planum atque manifeſtum erit omnibus, quotquot linguarum indolem philoſophico, quem ajunt, oculo accuratius inſpexerint. Quodſi enim haec *nulla* de *cauſſa* ita ſe haberent, nihil profecto intereſſet, utrum *prima* perſona Singul. in ω, *ſecunda* in εις, vel ς, *tertia* in ει; an, contra, *prima* in ει, *ſecunda* in ω, *tertia* in εις, vel ς, terminarentur: atque ita in reliquis.

Et hic quidem, ſi linguam Latinam cum Graeca, hujusque variis dialectis, paullo diligentius comparaveris, eadem propemodum deprehendes omnia. Uti enim apud Graecos *prima* Sing. exit in ω, v. gr. ἀμάω, ἀμῶ, vel etiam in μι, ut in φημὶ, ſive Dorico φαμὶ, ita apud Latinos *pri-*

prima Sing. eſt amo, pro *amao*; porro *prima* Sing. inquam pro *inquami*, Dorice ἐνφαμὶ, accentu, ut ajunt, retracto, atque hoc pacto reſorpta ultima vocali. In *ſecunda* Singularis, Graeca terminatio eſt ς, ut ἀμάεις, ἀμᾷς, atque eodem modo Latini dicunt amas. *Tertia* Singularis Graece, in verbis plurimis, deſinit in ει, ut τύπτει, ἀμάει, ἀμᾷ: ſed Dorica Dialectus, quacum maxime convenit lingua Latina, ſi verba ſpectes in μι, conſtanter hac in *perſona tertia* Singularis, poſtulat τι; ut in τίθητι, δίδωτι, φατί cet. Ex quo jam ſtatim fiet maxime veriſimile, Latinos veteres, pro ſuo amat, dixiſſe olim *amati*, Dorice ἀματὶ, ex ἀμαμὶ, ἀμασὶ ἀματί.

Verum, quo magis appareat, quid hic poſtulet ratio linguae *veteris* Graecae, aeque ac Latinae: non alienum fuerit, antequam pergamus ulterius, commodo hoc in loco, varias flexiones *perſonarum* verbi, tam in *Praeſenti* quam in *Futuro* Indicativi Activi, breviter ac veluti in tabella exhibuiſſe, atque adeo explicuiſſe, poſt ſingularum verbi terminationum deſignationem. Quo peracto non ſolummodo rectius judicari poterit de utriusque linguae *veteris*, tam *Graecae* quam *Latinae*, convenientia: ſed etiam, ni fallor, longe planior nobis via aperietur, ad cauſſas ſermonis, hac in parte, penitius introſpiciendas. Itaque *prima* perſona ſingularis *Praeſentis* Indicativi Activi deſinit in

ω, praecedente litera conſonante, quaecumque demum haec fuerit: uti cernitur in verbis λείβω, λέγω, ἐρείδω cet. Praecedere terminationem in ω etiam poſſunt *vocales* omnes, omnes item *diphthongi* propriae, & *una impropria* υι. Porro pro terminatione *primae* perſonae in ω, adhibetur quoque altera in μι: idque per totum qua late patet, ſermonem Graecum. Exempla ſint γελάω & γέλημι, Dorice γέλαμι, *rideo*; φιλέω, & φίλημι (pro φίλεμι) *amo*; εἴω & εἶμι *eo*; γνόω & γνῶμι, Aeolice γνύμι, *cognoſco*; φύω & φῦμι *gigno*; δόω & δῶμι *do*; παίω *ferio*; σείω *concutio*; πιστεύω *credo*; οἴω *puto*; κρούω *pulſo*; ὀπυίω *ineo* &c.

Apparet ergo, primae *perſonae* ſingularis terminationem, in *praeſenti* Indicativi Activi, eſſe ω vel μι. De qua terminatione μι legi hic in anteceſſum poterunt, quae dedit cel. *Lennepius*, Anal. p. 112. 113.

Quodſi quis jam quaerat, quaenam cauſſa ſit utriusque hujus terminationis ω & μι, quidve permoverit Graecos antiquiores, ut promiſcue fere *eandem* in prima perſona adhiberent terminationem? haud multum obſcura eſſe poterit hujus rei ratio, modo *Lennepiana*, h. e. vere *analogica*, methodo hic procedamus. Memini equidem, quum ante hos octodecim, & quod excurrit, annos, contubernio fruerer viri ſummi, quem honoris cauſſa nomino, JOANNIS JACOBI SCHULTENSII, inter familiares ſermo-

mones, quibus de linguarum indole agebatur, narrare *Schultenſium*, virum ſuaviſſimum & harum rerum elegantiſſimum arbitrum,[a] ,, *Lennepio* placuiſſe, ut, quemadmodum in verbis *orientalium*, ,, *adformantes*, quae dicuntur, temporis *praeteriti* proprie eſſent *ſyllabae literaeve*, a *pronominibus* antiquis quaſi *reſectae*: ita & in *Graecorum* verborum temporibus perſoniſque eadem ,, fuiſſet ſermonis ratio." Haeſit menti noſtrae elegantiſſimum hoc *Lennepii* obſervatum, & quo magis in eam rem deinceps inquiſivi, eo rectius & veritati maxime conſentaneum ſemper viſum nobis fuit. Nimirum Orientales populi *Hebraei*, *Arabes*, *Syri*, *Chaldaei*, *Samaritani*, *Aethiopes*, unam hanc omnes ſermonis normam ſequuntur, ut verborum ſuorum *infinitivis* formis, *abſtracte*, quod ajunt, poſitis, *pronominum* veterum ſyllabas quasdam, *in fine*, adjungant, atque hoc modo ſuas quique efficiant *praeteriti* perſonas. Ita v. gr., ut hoc utar, שָׁכַב *Sjachabh* vel שְׁכַב *Sjchabh*, Hebraice eſt τὸ *cubare*, *decumbere*, proprie *fundi*, *fuſum jacere*, אַתָּה *atta* vero ſignificat *tu*. Pro hocce ATTA, *tu*, demta priori ſyllaba, dixerunt תָּ, TA, id eſt *tu*. אַתֶּם *attem* Latine notat *vos*, pro quo ATTEM, brevius dictum תֶּם, TEM. Porro, conjuncto *Infinitivo* hocce verbi שְׁכַב aut שָׁכַב, cum pronominibus *ſecundae* perſonae Singul. & Plural. תָּ & תֶּם, formarunt שָׁכַבְתָּ *Sjachabhta*, pp. *decumbere tu*, quod iis jam *abſolute*, notat *decubuiſti*: שְׁכַבְתֶּם *Sjchabh-*

tem, pp. *decumbere vos;* h. e. *decubuiſtis vos*, vel *fuſi jacuiſtis.*

Transferamus haec jam, quaeſo, ad linguam Graecam: &, (quo magis in oculos aureſque, incurrat ſermonis humani hac in parte convenientia, atque adeo, ut idearum harmonia deprehendatur prorſus fuiſſe eadem) exemplorum vice hic fungantur verba quaedam ὀνοματοπεποιημένα, ſive a *ſono* facta: v. gr. ἄω *anhelo*, *ſpiro*, πλύω *ſpuo*, μυκάω *mugio*, ζέω *bullio*, *ſerveo*: pro quibus etiam dixiſſe, vel ſaltem dicere potuiſſe, Graecos ἆμι, πλῦμι, μύκαμι, ζῆμι, cum terminatione *primae* perſonae in μι, ex ſupra dictis ſatis ſuperque conſtat.

Conſideremus adhuc *pronomina* Graecorum, & quidem *perſonae primae* Singularis. Deprehendemus mox, pronomen *primae* perſonae *Singularis* fuiſſe olim ἐγώ, Aeolice ἔγω, cum accentu in ſyllaba *penultima*, Latinis *ego*. At ſi animadvertamus ſimul, formam *Pluralem* hujus ἐγὼ *ego*, Graecis in *Nominativo* caſu eſſe ἡμεῖς, Jonice ἡμέες, in Dativo vero ἡμῖν (pro ἡμίιν ex ἥμισιν:) porro Latinum EGO in Dat. ſingul. praebere MIHI, (pro *emihi*) in Accus. ME, Gr. μὲ, pro ἐμὲ: an vel tantillum poteris dubitare, in *Nominativo* ſingulari pro ἐγὼ Graecos veteres etiam dixiſſe ἐμὶς, unde (eadem analogia, qua contraxerunt τείχεος, τείχευς) in *Genitivo* factum ſit ἐμέος, Dorice ἐμεῦς; in *Dat.* ἔμει vel ἐμίι, unde Lat. MI pro MII, &, cum adſpiratio-

tione, MIHI: in *Accuſ.* ἐμὲν, &, ν reſorpta, ἐμέ: in *Nom. Plur.* ἐμέες, Jonice ἡμέες, & hinc contractum ἡμεῖς &c. Quemadmodum autem in *Accuſ Singul.* pro ἐμὲν dixerunt ἐμὲ, & μὲ: eadem analogia pro ἐμὶς, in Nomin. Singul. videntur iidem dixiſſe, ἐμὶ & μὶ.

Transferamus haec ita tandem ad uſum noſtrum. Soni ἆ AA, πτὺ PTU, μυκᾶ, MOUKAA, ζὲ vel ζῆ, ZEE per ὀνοματοποιΐαν, exprimunt ſonos *leviter anhelantis*, *deſpuentisve* hominis, *mugientis* bovis, *ſtridentis cum bullitu*, atque adeo ad *laminam candentem affuſae*, aquae.

His ſonis ἆ, πτὺ, μυκᾶ, ζὲ, non aliter, atque nominum *ſyllabas* agglutinari vidimus ad *Infinitivos* Hebraicos, quo ſingularum *perſonarum* characteriſticae deſignarentur, (vide ſupra p. 279) eadem prorſus ratione addantur jam *Infinitivis* Graecis, (terminatione *Infinitivo* propria truncatis, ſecundum dicta p. 258. 259.) *ſyllabae duae*, ω & εμι, ſive μι, a pronomine *primae* perſonae, ἐγὼ & altero, *ejusdem perſonae*, antiquiſſimo pronomine, ἐμὶς, reſectae: de quibus *pronominibus* infra agetur fuſius. Quo facto, quemadmodum per ſuperiora obſervata, p. 259. ex ποιέ & ω, pro ἐγὼ, jam exiſtere vidimus ποιέω IK *make*; ex βοά & ω, βοάω IK *roepe*: ita ex ἄειν, *anhelare*, *ſpirare*, Belg. *alemen*, πτύειν *ſpuere*, Belg. *ſpuwen*, ζέειν *fervere*, Belg. *Siſſen*, quae tria verba, per ὀνοματοποιΐαν, efficta fuiſſe a ſono facile apparet; porro a τιθέναι *po-*

nere, ἱςάναι *ſtare*, διδόναι *dare*, ζευγνύναι *jungere*, terminationibus Modi *Infinitivi* characteriſticis ablatis, primum quidem habebimus ἄ, πλύ, ζέ, τιθέ, ἱςά, διδό, ζευγνύ, *actionem*, ſive *notionem*, *anhelandi*, *ſpuendi*, *fervendi* cet. generalem, quam dicunt, repraeſentantia: deinde vero, additis ω vel εμι, ſive μι, ſtatim ſentiemus enaſci *perſonales* determinationes, adeoque *Praeſentia* tempora:

ἄω, vel ἄμι, pro ἄεγω vel ἄεμι, Belg. Ik *ademe*;
πλύω, vel πλῦμι, pro πλύεγω, vel πλύεμι, Ik *ſpuwe*;

ζέω, vel ζῆμι, pro ζέεμι, Ik *ſiſſe*; τίθημι, pro τιθέεμι, Ik *ſtelle*; ἵςημι, pro ἱςάεμι, (vel ἱςέεμι, aut ἱςέαμι, ex forma quadam cognata) Ik *vestige*; δίδομι, pro διδόεμι, vel διδόμι, Ik *geeve*; ζεύγνυμι pro ζευγνύεμι, vel ζευγνύμι, Ik *voege*.

In plurimis quidem formis verborum, recentiori aetate, alterutram harum terminationum, ω vel μι, uſitatam fuiſſe conſtat; ubi *prima* perſona *praeſentis* Indicativi deſignanda foret: ſed antiquiſſimis temporibus, promiſcue adhibuiſſe fere veteres Graecos putem terminationes ω & μι; niſi fortaſſe verba in μι, quod erudite admodum conjecit *Lennepius*, Anal. Cap. IX,

IX, p. 113, reliquis, per ω inflexis, ſint antiquiora. Reperiuntur etiamnum multa, recentiori tempore, promiſcue fere adhibita: ut γελάω *rideo* & γέλημι; φιλέω *amo* & φίλημι; φύω *naſcor* & φῦμι pro φύεμι: aliaque id genus plurima. Vide ſupr. p. 278.

Itaque in iis, quae de ω & μι, terminatione *primae* perſonae, dicta fuerunt, ipſam, ni fallor, loquentem quaſi naturam deprehendes jam clariſſime. Quibus ſi hoc unum addideris, omnes fortaſſe totius, qua late patet, terrarum orbis, linguas, eodem prorſus modo, verborum ſuorum diverſas *perſonas* deſignare; ut, nempe, pronominibus, ſive integris ſive decurtatis, ad verborum originalium formas adjectis, easdem *perſonas* diſtinguant: ecquid vel tantillum adhuc dubitare poteris, de veritate obſervationis *Lennepianae*, a magno *Schultenſio* nobiſcum communicatae, nimirum, „ literam „ ω, in *praeſenti* verbi activi, (τύπτω v. gr.) „ *primam* indicaſſe perſonam, quoniam ω illud „ decerptum eſſet ex integro pronomine Grae„ co ἐγώ *ego:* atque ita in reliquis perſonis for„ taſſe omnibus."

De terminatione tamen in μι aliter paullo ſtatuiſſe *Lennepium*, apparere poterit ex Anal. Cap. IX, p. 112 extrema.

Ceterum, commodo hoc loco, breviter admonuiſſe nobis liceat, terminationem eandem in μι, praecedentibus vocalibus. a, e, i, apud

Lati-

Latinos quoque ſuppeditaſſe formas praeſentes *Subjunctivas*, in eadem perſona *prima*. Quo fundamento nixi conjiciamus jam porro, Latinorum *praeſentia* Subjunctivi *legam*, *amem*, *ſim*, *poſſim* cet. integre olim prolatas fuiſſe *legami*, *amemi*, *ſimi*, *poſſimi*: quin & in ipſo *Indicativi Praeſenti*, non tantum dixiſſe eos *inquami*, ἔνφαμι, (unde h. inquam ſupra derivavimus, pag. 277.) ſed etiam *inquimi*, unde in ceteris perſonis factum *inquis*, *inquit*, *inquiunt*; niſi ſtatuere mavis, *inquis*, *inquit* cet. repetenda ſimpliciter eſſe ab *inquio*, forma verbi obſoleta, cui vicinum fuerit alterum illud *inquami*, unde *inquam*, reſorbta vocali *i*, ſit enatum.

Sed quo magis plana inſuper & perſpicua ſiant, quae hactenus diſputavimus, progrediamur, quaeſo, ad reliquas perſonas *Praeſentis* Indicativi Activi; tam in numero *Singulari*, quam in *Plurali* & *Duali*: ut appareat, an in his quoque gradum ſuum tueri poſſit obſervatio illa *Lennepiana*, quam ſupra enarravimus. Utinam vero, quod egregie excogitaverit ea de re vir ſummus, aut ab ipſo, dum inter vivos eſſet, *Lennepio*, aut a *Schultenſio*, aut aliunde, nobis innotuiſſet: quo ex labyrintho hocce antiquitatis, tanquam filo Ariadnaeo adjuti, nos facilius feliciusque evolveremus. Hic autem quum ea tantum praeceptoris optimi praemonſtratione breviſſima, quam ex ore *Schultenſii* ſupra retulimus, gaudere nobis contigerit, reliquas pro in-

ingenio qualicumque noſtro, expedire conabimur. Id quod tamen tanto adhuc difficilius fieri poterit, quanto denſioribus obruta tenebris etiamnum jacet *pronominum perſonalium* antiquiſſimorum Graecorum doctrina: ex qua ſola, paullo diſtinctius tradita, plus lucis hoc in negotio ſperari poſſet, quam ex Grammaticorum ſequioris aetatis libris omnibus.

Quantum igitur nobis quidem ex utriusque linguae, *Graecae*, & *Latinae*, laceris hodie reliquiis, colligere licuit, vix dubitamus, quin *primae* perſonae pronomina *ſingularia* antiquisſima fuerint ἐγὼ, ἐμὶς, & ἀμίς: quod ita tamen accipi velim, ut vel in his ipſis ſolae literae α & ε tanquam *radicales* ac *primitivae*: ſyllabae autem γω & μις pro *ſervilibus* & *adſcititiis*, habendae ſint. Cujus levioris obſervationis quae ſit utilitas, infra, ni fallor, elucefcet clarius.

Itaque PRIMAE perſonae pronomen, in *ſingulari* Numero, pro variis linguae Graecae dialectis, varie admodum ſe habuit.

Nominativus vulgaris eſt Ἐγὼ. Pro quo *Aeoles*, retracto accentu, dixerunt Ἔγω: unde deinceps *Dorice* factum ἐγώνη, adjecta ad finem vocula νὴ h. e. *certe, quidem*; ut ἐγώνη pp. ſit *ego certe, ego quidem*, h. e. quod ad me quidem attinet. Pro ἐγώνη iterum *Aeoles*, facta apocope, dixerunt ἔγων. Porro in *Nominativo* eodem hoc Singulari, pro ἐγὼ, etiam dixiſſe veteres Graecos ἰγὼ, vix eſt, quod dubitemus: non

co

eo certe fundamento; quod Syriace pro ἐγὼ dicatur *eno* (h. e. ܐܢܐ) laudante *Voſſio* ex *Caninio;* alia enim videtur eſſe linguae *Orientalis* ratio, alia *Graecae:* quam potius quod in *Duali* Graeci dixerint νῶϊ, νὼ, & Latini in *Plurali*, NOS, NOBIS &c. Denique in eodem *Nominat.* Sing. Graecos dixiſſe quoque ἐμὶς, ſive ἐμὶ, ἀμὶς & ἁμίς: quin & ἐμὸς & ἐμὺς: id quidem ex caſibus *obliquis* ſatis apparet; & paullo latius a nobis hic loci eſt demonſtrandum.

Nimirum ab Ἐμὶς, in *Genit.* Sing. Dorice eſt ἐμοῦς, pro ἐμέος: in *Dat.* ἐμιῒ, ἐμὶ, unde *Dorice* primum videtur factum ἐμινὴ, (uti in *Nom.* ἐγώνη, pro ἐγὼ, in *Dat.* quoque ἐμοίνη, addito νὴ Vid. *Koen.* ad Corinth. p. 123) & dein ἐμὶν, ut pro ἐγώνη, ἔγων, reſorpta η, dixerunt. Pro ἐμὶν, etiam, ε ſublata, factum μὶν, ut pro ἐγὼ poëtae adhibuerunt ʼγώ. Porro ab ἐμιῒ, factum μιῒ, μὶ, Lat. MIHI, MI. Ab eodem ἐμὶς, in *Accuſ.* ἐμὲν, &, neglecta ν, ἐμὲ, μὲ, Lat. ME. In Plural. *Nom.* ἐμέες, vel ἐμέες, ἡμέες, quod *Jones* ſervarunt; contractum vulgo in ἡμεῖς. *Genit.* ἐμέων, Jonicum ἡμέων; contr. ἡμῶν. *Dativ.* ἐμίσιν, ἡμίσιν, unde, σ eliſa, ἡμῖν. *Accuſ.* ἐμέας, Jonic. ἡμέας, contr. ἡμᾶς. Conf. ſupr. p. 280.

Ab ἀμὶς & ἁμὶς, ſunt in *Accuſ.* Sing. Dorice, ἀμὲ, pro ἀμὲν, uti ἐμὲ pro ἐμέν. In *Nom.* Plural. ἄμες, ἅμες, Aeol. ἄμμες. *Genit.* Dor. ἀμέων, ἁμῶν. *Dativ.* ἁμῖν, ἀμὶν, ἀμμὶν, ἀμμί. *Accuſ.* ἀμέας, ἁμέας, ἁμᾶς, ἄμμας. Quin & ἀμὲ, ἀμὲ,

ἄμ-

ἄμμε, neglecta ς, quam literam & in *Duali*, more ſolito, abjecerunt, dicentes ἄμμε.

In tranſitu hic animadverti velim, *Dualem* numerum, in *Nominibus* & *Pronominibus*, ſi originem antiquiſſimam reſpiciamus, factum eſſe a *Plurali;* ultima litera fere abjecta, ſive *vocalis* ea eſſet ſive *conſonans*. Itaque a Μῦσαι Nominativo *Plurali*, factus eſt Nominat. *Dualis* Μύσα; a τιμαὶ, τιμὰ; a λόγοι, λόγο, mox λόγω; a ξύλα pro ξύλοα, ξύλο, ſive ξύλω; a Μενέλεοι, Μενέλεω; ab Ἕλληνες, Ἕλληνε; a λαμπάδες, λαμπάδε; a βήματα pro βημάτεα, βήματε; a σινήπια pro σινηπίεα, σινήπιε; a βασιλέες, βασιλέε &c.

Itaque & eodem hoc modo ab ἄμμες *Plurali*, factum fuerit *Duale* ἄμμε.*

Denique a *Nominativo* Singulari Ἐμὸς, & ἐμὺς, eſt *Genit.* Jonice ἐμέο, contract. ἐμῦ, μῦ, &, Doric. ἐμεῦ, μεῦ. Inde etiam Attica ſunt ἐμέοθεν, μέοθεν, μέθεν &c. *Dativ.* ἐμοὶ, μοὶ. Ubi *jota*, quod alioquin ſubſcribi ſolet, in λόγῳ, ξύλῳ &c. ſervatum eſt; quemadmodum fit in οἴκοι, ἀεμοῖ, ποῖ, σοὶ, τοὶ &c. Vid. Analog. p. 39. *Valcken.* Ep. ad Röver. p. 49. *Koen.* ad Cor. p. 168. 169. coll. *Voſſ.* de Anal. L. II, c. V, p. 678.

Addamus verbulum de Ἐνώ. Ab hac forma pronominis analogice in Nominat. *Plurali* exiſte-

* *Dualem* numerum apud Graecos non eſſe antiquiſſimum, ſed poſtmodum demum inventum, atque a ceteris Graecis (praeter *Aeolas*) adoptatum, probavit Cl. *Koenius*, ad Corinth. p. 284. 285.

ſieret ἐνοὶ; ut a Λητὼ, Λητοί. Itaque & hinc in *Duali* Nominat. factum ἐνῶϊ, ἐνὼ, & ablata ε mox νῶϊ, νὼ. In quo quidem νῶϊ & ſimili huic σφῶϊ veteris pronuntiationis clarum admodum veſtigium eſt, quod magis demonſtret, *Dualem*, a *Plurali* formatum fuiſſe. Reliqui caſus *Gen.* & *Dat. Dual.* νῶϊν, νῶν ſatis jam erunt plani. Sed Latinorum quoque NOS Pronomen ſimiles natales redolet; uti vidit jam aliquatenus clar. *Voſſius*, in Etymol. Vetuſtior forma videtur fuiſſe NOËS in *Nominat.*, NOÄS vero in *Accuſativo*. *Dativum* porro fuiſſe putem *noïs*: unde, adſumto digammate, νόϝις, & dein *nobis*. Atque ita etiam *voës*, *voäs*, *vos*, *voïs*, *voϝis*, *vobis*: de quibus inferius. Haec de pronomine *primae* perſonae.

SECUNDAE perſonae pronomen haud multo minus varium fuit olim apud Graecos. Quod quidem pronomen ut juſto ordine tractetur, principio obſervandum eſt, literam σ, quae eſt in *Nominativo* vulgari Σὺ, non videri *radicalem*; ſed ortam eſſe ex *adſpiratione*, qualis in multis cernitur vocibus: uti v. gr. in σάλος, pro ἅλος; σαυκὸς, pro αὐκὸς, ab ἄυω; σειράω, ab εἴρω, εἰράω; σέλας ab ἕλας; σόγκος ab ὄγκος; σύλον, ab ὕλω; σύρμα, a σύρω, quod ab ὕρω &c. Lat. SUPER ab ὑπὲρ, *ſemi*, ab ἡμὶ cet. de quibus vide *Voſſ.* Tract. de Lit. permut. & Maitt. Alph. Diall. p.390.

Quod autem potiſſimum induxit nos, ut crederemus, literam σ, in Σὺ, haud eſſe radicalem,

lem, poſitum eſt in comparatione pronominis hujus *Pluralis*, ὑμεῖς, ὑμῶν, ὑμῖν, ὑμᾶς: in quibus quum litera σ prorſus deſit, ſatis inde apparet, eam non eſſe *radicalem*, ſed ſpiritus aſperi loco adſcitam, ut ſupra diximus. Adde & aliud, haud ſpernendum fortaſſe, argumentum, quod υ vocalis, in hoc pronomine σὺ, alia ſequente vocali, in metro nunquam elidatur; obſervante *Valcken.* ad Eurip. Phoen. p. 275. Cujus rei non alia videtur eſſe cauſſa, quam quod υ illud ſit *radicale*, neque, ſalva pronominis forma, elidi poſſit.

Quodſi jam porro conſideraveris interiorem formam ejuſdem pronominis σὺ, in numero *Duali*; (cujus caſus ſunt Nom. & Acc. σφῶϊ, σφὼ, Genit. item et Dativ. σφῶϊν, σφῷν) & caſus hoſce contuleris cum Lat. Plural. vos, & vobis: multum adhuc roboris accedet obſervationi noſtrae, de litera σ non *radicali*, eodem in pronomine. Nulla enim ſimilitudo apparet inter Graecor. σὺ (Aeol. & Lat. τὺ) ac Dual. σφῶϊ, & Plur. Lat. vos, niſi ſtatuamus, primariam hujus pronominis formam fuiſſe ῦ, quod ipſum ὖ etiam obſcurius pronuntiatum fuerit ὄ: unde deinceps, pro *ſpiritu* aſpero adſcita litera σ, ortum fuerit σὺ &, pro eadem adſpiratione etiam adhibito *digammate* Aeolico, enatum ſit Fo, in Plurali Foës ϝὸς, vos, itemque cum φ, in Duali φῶϊ, &, novo adoptato σ, σφῶϊ, σφώ. Confer dicta ſuperius p. 288.

 Sed

Sed progrediendum hic paullo etiam ulterius, duce eadem, quam Ariadnaei fili inſtar ſemel adhibere incepimus, analogia.

Nempe non σὺ tantum & τὺ, verum σὶς quoque & τὶς, in caſu *Nominativi* hujus pronominis, videntur dixiſſe veteres Graeci: quin & σὸς, σὺς, σεὺς, ac τὸς, τὺς, τεὺς uſitata illis fuiſſe caſuum obliquorum rationes ſatis evincunt; & infra, uti ſpero, in caſuum horum recenſione, a nobis ad oculum demonſtrabitur.

In transcurſu hic notemus levem quandam ἀβλεψίαν viri ceteroquin longe doctiſſimi & multo diligentiſſimi, *I. M. Geſneri.* Is, in Comment. ad *Quinctil.* Inſtit. Orat. L. VIII, c. 3, ſegm. 24, p. 371, Servium memorat, ad *Virg.* Aeneid. L. II, vs. 595., dixiſſe „ MIS & TIS fuiſſe NOMINATIVOS antiquos pronominum EGO & TU. „ Quae ſi vera eſſent de Servio a Gesnero commemorata, haud leve inde praeſidium peti poſſet opinioni noſtrae. Sed fefellit immortalem virum h. l. memoria. Servius enim non dicit, iſta MIS & TIS fuiſſe NOMINATIVOS, ſed fuiſſe GENITIVOS, antiquos ſingulares: uti ejuſdem inſpectio unumquemvis facile poterit edocere, & *Voſſius* noſter, (de Anal. L. IV, c. 4.) atque *Scioppius*, *Perizonius*, (ad Sanct. Min. L. II, c. 13.) alii, quin & ipſe laudatus *Geſnerus* poſtea in Thes. L. L. vocibus MIS & TIS, ex *Ennio* ac *Plauto*, rectiſſime obſervaverunt.

Con-

Conſtituamus nunc paullo accuratius diverſiſſimas caſuum formas, in pronomine hoc, *ſecundae* perſonae, σὺ vel τύ.

Nominativus SINGULARIS eſt σὺ, Aeolice & Latine τὺ, TU: & addito νὴ, (uti ab ἐγὼ, ἐγώνη) a τὺ, τύνη, h. e. *tu certe*, *tu quidem*; pro quo Lacones dixere τούνη, vocali υ paullo obſcurius pronuntiata. Vide ſis Schol. ad Iliad. E, vs. 485. & conf. *Heſych.* apud *Maitt.* p. 194. & hunc in Alphab. Diall. p. 414. Etiam, addito γε, Attice σύγε, ut ab ἐγὼ, ἔγωγε.

Genitivus Sing. eſt σοῦ, pro σέο, quod Jones ſervarunt, & Attici quoque in σέοθεν. Etiam σοῦς, pro σέος Dor. a recto σὶς: porro σεῖο, & τεῖο Poëtice, σεῦ Aeol. & τεῦ Dor. (qui et τοῦ dixere pro τέο) pari modo ac Dores in pronomine *primae* pers. adhibuerunt ἐμεῦ, μεῦ &c. Apud Latinos e veteri lingua, hoc in caſu remanſit TIS pro TIIS: unde *Plaut.* in Mil. Glor. Act. IV, Sc. 2, vs. 42. Quia TIS egeat cet. atque ita Genitivus veteris pronominis primae pers. MIS, pro MIIS. Vide ſupr. p. 290. laudatos viros doctos, & *Forcell.* in Lexico Latinit. vocc. MIS & TIS.

Dativus σοὶ, Dor. τοὶ: & τὶν, pro τίνη (de quo *Valck.* Digreſſ. IV. a Theocr. p. 285) etiam τεῖν, τεὶν pro τείνη: compoſitione facta ex τὶ pro τίι, ſive ex τεὶ, & νὴ, a quo τίϊ Lat. TIBI, pro *tiFi.* Conſ. ſupr. p. 286. & loca Il. Α, 201. Odyſſ. Δ, 619. 829. Λ, 559. &c.

Accuſativus σὲ, Dor. τὲ; Lat. TE: nempe pro σεν & τεν, neglecta ν, ut ſupra in ἐμὲ, μέ. Quin & τὺ pro τὺν Dores hoc in caſu adhibuerunt.

Ceterum, pro Accus. TE, Latini veteres quoque uſurparunt TETE, quemadmodum in Nominativo TUTE; adjecta, nimirum, ad finem pronominis, ſyllaba TE, quae reſpondeat Graeco τε, cognato alteri δὲ, unde apud eoſdem ſuperſunt MED, TED & ſimilia, pro μέδε, τέδε.

In PLURALI pronominis *ſecundae* perſonae *Nominat.* vulgaris eſt ὑμεῖς, pro ὑμέες, quod Iones ſervarunt, una cum pinguiori ὑμεῖες. Dores extulerunt ὕμες, Aeoles ὔμμες, Poëtae etiam ὕμμες. Quas formas ſi compoſueris cum pronomine plural. *primae* perſonae ἡμεῖς, pro ἡμέες, quod Dorice ἅμες, ἅμες, Aeolice ἄμμες: facile apparere poterit, ὑμέες, ὑμεῖς; & ἡμέες, ἡμεῖς, ὑμῶν & ἡμῶν, pro ὑμέων, ἡμέων &c. eſſe compoſitas voces ex priſcis pronominibus *primae* perſonae ἑ ſive ἁ, & *ſecundae* perſonae ὑ, (quae, vel cum *adſpiratione*, vel ſine ea, pronuntiata *utriusque* fuerint numeri) & vocula μέες, μέων &c. a ſingulari, uti puto, μίς, μίος, μίϊ, μὶν, ſive μὲν: de cuius voculae origine, & uſu pauca adhuc inſerenda ſunt.

Nimirum, inter verba *originalia* linguae Graecae *ſimpliciſſima* (de quibus Lennepius Analog. Cap. XII, p. 167. 168. egit) *quinque* formae fuerunt, μάω, μέω, μίω, μόω, μύω, quibus omni-

mnibus una eademque videtur fuiſſe notio primaria MOVENDI, vel *motu repetito agitandi* &c; quemadmodum ipſum Lat. verbum MOVERE, & formae vocum, huic cognatae, MOTUS, MOTIO & ſim. ab eodem Graec. μόω, quod *quartam* ea in ſerie ſtirpem conſtituit, manifeſto deſcenderunt.

Jam vero a *tertia* ſtirpe μίω (cui eandem quoque *movendi* originem communem eſſe, ſatis demonſtrant vel ſola verba inde derivata μίσγω, MISCEO, MICO, *micare* &c.) aut potius ex hujus *futuro* μίσω deſcendiſſe videtur vocula μὶς, in Genit. μίος, & ex origine ſua deſignaſſe *moventem ſe* ſive *perſonam* ſive *rem*, quae *motu ſuo* in oculos hominum incurrat: unde deinceps adhiberi coepta fuit, pro *pronomine* tertiae *perſonae*, tam in *maſculino* genere, quam in *foeminino*, & *neutro*. Vide *Heſychium*, *Apollonium*, *Suidam* in μίν, & Grammaticos alios hac in voce.

Primaria, quam indicavimus, voculae μὶν ſignificatio (etſi longo uſu, quo, tanquam pronomen *tertiae* perſonae, trita fuit, deinceps, paene eſt obliterata) tamen etiam nunc elucere quodammodo poteſt ex locis quibusdam; verbi cauſſa apud Homerum, Iliad. Γ, ubi Helena, *Ulyxem* conſpicata, magna cum alacritate ordines militum obeuntem, his verbis ipſum deſcribit, vs. 196.

Αὐτὸς δὲ, κτίλος ὥς, ἘΠΙΠΟΛΕῖΤΑΙ ςίχας ἀνδρῶν.
Ἀρνειῷ ΜΙΝ ἔϊσκω πηγεσιμάλλῳ.

Sic Diomedes de *Lycurgo* furente, Iliad. *Z*, 139.

Καὶ ΜΙΝ τυφλὸν ἔθηκε Κρόνȣ παῖς.

De *Chryſeide* porro, ſua in domo, miniſtrante Achilles, Iliad. A, 29. 31.

Πρίν ΜΙΝ καὶ γῆρας ἔπεισιν.
Ἱςὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

De *Minerva* irata, & vix ſeſe continente, idem poëta Iliad. Δ, 23.

Σκυζομένη Διῒ πατρὶ, χόλος δέ ΜΙΝ ἄγριος ᾕρει.

De *ſceptro*, manibus judicum geſtari ſolito, Iliad. A. 237.

Νῦν αὖτέ ΜΙΝ υἷες Ἀχαιῶν.
Ἐν παλάμης φορέȣσι δικασπόλοι.

Sed magis ſentietur eadem hujus voculae μὶς proprietas, qua rem *motam*, ſive *moventem* ſeſe deſignet, in conſtructione cum articulo poſtpoſitivo, loco alioquin intricatiſſimo, in Orphei Argonaut. vs. 729.

Ὃν δὴ καλλίχορόν ΜΙΝ ἐπώνυμόν οἱ καλέȣσιν.

ubi conſule *Geſnerum*, vix ſeſe expedientem: cui difficillimum etiam viſum fuerat alterum illud ejuſdem poëtae, vs. 1234. quo loco, *Medeam* a ſe remotura, Circe ait.

Ἀλ-

Ἀλλά MIN αὖτίκ' ἐγὼ πρόφρων ξυνήϊα πέμψω,
Σῖτον καὶ μέθυ λάρον ἔχειν, συν δὲ κρέα πολλά.

Corrigit h. l. Geſnerus Ἀλλ' ὑμῖν αὐτίκ' ἐγώ κ. τ. λ. Sed ὑ in ὑμῖν ubique, ni fallor, producitur. Itaque, niſi cum viro eruditiſſimo omnino velis tenere, ſententiam h. l. neceſſario poſtulare *vobis*, leviſſima fortaſſe mutatione, poſſis ſcribere Ἄλλα μὲν αὖτίκ, ἐγὼ, ut Il. A, 526. Verum de his videant Critici aetatis noſtrae principes. Virum ſummum *I. A. Erneſtium*, ſimili immutatione inſtituta, pro μιν legiſſe μὲν, in duobus Homeri locis Iliad. Φ, 249. & Odyſſ. Z, 48. 49. eruditis notum eſt: etſi in illis quidem τὸ μὶν, (poſt obſervationem noſtram de voculae iſtius proprietate) fortaſſe poſſit retineri.

Verbulum addere adhuc liceat de Latinorum MET, in TUTEMET, EGOMET, IPSEMET. Quum Graecis & Latinis uſitatiſſimum esſet, literas *s* & *t*, vocales item *e* atque *i*, inter ſe permutare, vix dubitaverim, quin MET iſtud reſpondeat Graeco μὶς, cujus accuſativus eſt μὶν. Sentiri poterit quodammodo haec utriusque voculae convenientia, ubi τὸ IPSEMET comparaveris cum Homerico αὐτόν μιν.

Sed redeundum nobis eſt ad *Pluralia* noſtra ὑμεῖς, ἡμεῖς cet., in quibus *caſibus* pronominum, ſi vera ſit noſtra obſervatio, vocula μεῖς, pro μίες, planiſſime idem ſignificaverit, ac Belgarum *lieden*, in *Gylieden*, *Wylieden*, *Onslieden*, ULIE-

 DEN:

DEN: quod poſtremum exemplum aptiſſime huc quadrabit, quum Belgicum *u*, hac in compoſitione, aeque ac Graec. ὑ, ſit *utriusque numeri;* atque adeo tam bene adjungi potuerit nomini Plurali *lieden*, ac Graeci ſuum ὑ junxerunt cum μεῖς, μῶν &c. in ὑμεῖς, ὑμῶν, ὑμῖν, ὑμᾶς.

Ceterum, a *Singul. Nominativo* Τὶς (de quo ſupra diximus p. 290.) in *Nominativo Plurali*, etiam dictum olim fuiſſe Τέες, uti a μίς, μέες, nemo facile dubitaverit, qui analogiae filum ſequatur: idque verum eſſe infra ſuo loco a nobis erit probandum.

Progrediamur ad *Genitivum* Pluralem ὑμῶν. Hunc contractum eſſe ex ὑμέων, demonſtrat dialectus Ionica. Aeoles dixere ὑμμέων, & ὕμμων. Reſpondet Belgarum *ulieden*, vel *van u lieden.*

Dativus eſt ὑμῖν, pro ὑμῖιν ex ὑμίσιν, vel ὑμίσι, Dorice ὕμμιν, *ulieden, aan u lieden.* Adjectum ν originem ſuam fortaſſe debet integro νή: ut, quemadmodum in Dativo *Singulari* dixerunt τὶν, pro τινή, ita et in Dativo *Plurali* ὑμῖν noſtrum ſit pro ὑμίνη. Sane Aeoles ab illo ν aliquando abſtinuerunt, ὕμμι dicentes & ὕμμιν: uti in pronomine *primae* perſonae, eodem hoc in caſu, ἄμμι dixerunt & ἄμμιν; quin etiam in *Dativo* Singulari fortaſſe τὶ, pro τὶν, ex τίι, unde TIBI, aeque ac μὶ, (Lat. MI) pro, μίι, ſine ν adjecta, adhibetur.

Accuſativus eſt ὑμᾶς, pro ὑμέας Jonico, quibus etiam ὑμεῖας prolatum: Aeolice ὑμμέας & ὕμ-

ὕμμας. Poëtae quoque ὑμὲ & ὕμμε, abjecto ας, uſurparunt: haud aliter, atque in *Duali* pronominis primae perſonae, ἄμμε adfuit ſupra p. 287. Vide hic omnino *Clark.* ad Iliad. A, 59. H, 378. Odyſſ. I, 404. K, 209. X, 73.

Latinorum porro Pluralis *Nominat.* & *Accuſ.* VOS videri eſſe contractos, ex Ϝόϊες, Ϝόας, ſupra diximus p. 288. Quod filum analogiae ſi jam deinceps ſequamur, apparebit, *Dativum* Lat. VOBIS eſſe pro ϜόϜις, digammate altero Aeolico F mutato in B; (*) uti v. Gr. in φέρβεσθαι, pro φέρφεσθαι, & ſimilibus. Neque multum diverſa eſt, eodem in pronomine, *ſecundae* perſonae, ratio numeri *Dualis*. *Nominativus*, nempe, & *Accuſativus* Dual. σφῶϊ, σφὼ, videntur eſſe formati, ex σϜῶϊ, (pro σϜοέϊ) σϜὼ, digammate Ϝ converſo in φ: quod factum etiam in multis aliis; uti v. gr. in ἀλφὸς ALBUS pro ἀλϜὸς; in ἀμφὼ AMBO, pro ἀμϜὼ a ſtirpe ἄμω *necto, jungo, conjungo.* Unde ἀμφὼ pp. ſunt *juncti, conjuncti duo*, quam originem uſus linguae quoque confirmat: adhibendo τὸ *ambo*, de *duobus* inter ſe *conjunctis*, quum δύο ſive δύω, DUO (a δύω *penetro, pene-*

tran-

(*) Confirmari adhuc ulterius poterit fortaſſe ex hac obſervatione etymon vocis ARBITER, quod ſupra produximus p. 273. Ab ἄρω eſt ἄρϜω; unde Lat. ARVUM, per *v*: haud aliter atque a productiori hujus forma ἀρϜίω factum ARVINA. Pro ἀρϜίω autem dixerunt ARVIO, uti *ambo* pro ἄμϜω, ſive ἄμφω, de quo ſtatim. Vide hic omnino *Valck.* in Digreſſ. IV a Theocrit. p. 272. & quae dicenda ſunt infra ad Analog. Lennep. p. 207.

trando findo, diffindo) pp. indicet *ſeparatos, diviſos*: ex quo verbo δύω etiam, inſerto digammate Aeolico, facta videntur DUBIA, DUBIUS, DUBITO, quum nempe mens humana in varias partes ſecedit,

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit *illuc*.

Adſcita porro, in σφῶϊ noſtro, ab initio eſt litera σ, (niſi eandem forte a σὺ vel σὸ *Singulari* malis repetere) uti ſimiliter factum in benemultis aliis: qua ratione a κάζω, eſt σκάζω; a κάπτω, σκάπτω; a κίω, κία, & hinc σκία; a κόπω, σκόπτω, σκώπτω; cet. tum vero in primis ante literam φ, uti in σφάλλω, pro φάλλω, Lat. FALLO, cujus primigenia ſtirps eſt ἄλω, unde ἄλλω, Fάλλω, σφάλλω; porro in σφενδόνη, Lat. FUNDA, σφέος *ſuus*, ab ἑὸς, unde Fέος, φέος, σφέος; in σφὴξ, Lat. VESPA; σφίγγω *ango*, quod a ſtirpe ἴγω, cognata alteri ἄγω; unde ἴγγω, Fίγγω, Lat. FINGO, φίγγω, σφίγγω, & alia hujuſcemodi.

Ceterum a *Singulari* τὸς, pro σὸς, etiam in *Duali* τὼ dictum fuiſſe, pro σὼ, uti a λόγος, λόγω, analogia ſuadet, & terminatio *dualis*, in *Praeſenti* ac *Futuro* Activo verbi, evincit. Qua de re inferius.

Addendum denique, pro σφῶϊ, σφὼ Aeolice & Dorice etiam in *Duali* dici ὔμμε: quod manifeſto formatum eſt ab ὔμμες *Plurali*, reſorbta ultima ς: quemadmodum in *Dualis* numeri formatione Graecos facere conſuevisſe obſervavimus p. 287.

Ve-

Veniamus jam deinceps ad pronomen Graecum *tertiae* perſonae. Cujus quidem formam *primigeniam* ſi dixero indagationis eſſe longe difficilioris, paucos fore arbitror, qui a me diſſentiant. Quid enim, quaeſo, prima fronte majus videri poterit diſſonantia iſta, qua Graecorum pronomen, *tertiae* perſonae vulgo dictum, (*in Genitivo*) οὗ, (*Dativo*) οἷ & (*Accuſ.*) ἕ, Latinorum SUI, SIBI, SE: porro οὗτος HIC, αὐτὸς IPSE, & Latin. IS, ISTE, ILLE, a ſe invicem diſcrepant?

Sed videamus primum de pronomine illo, quod modo diximus, *tertiae* perſonae vulgo appellari.

Hujus *Nominativum* Singularem olim fuiſſe ὃς *Angelus Caninius*, in Helleniſmo, p. 239. editionis Crenianae, ſtatuit, diſſentiente nonnihil *I. G. Voſſio*, in notis ad *Clenardi* Grammatic. Graec. p. 78. ubi vir ſummus „ non minori errore „ *Nominativum* hujus pronominis ſtatui ὅς „ ait „ „ quam ſi *primitivum* pronomen SUI, a SUUS „ eſſe dicatur. Quod ſi tamen vulgarem ſen„ tentiam ſequi viſum" inquit „ dicere con„ veniat, duplex eſſe ὃς, unum *primitivum*, pro „ IS, alterum *poſſeſſivum* pro SUUS." Hactenus ille. A qua poſteriori ſententia, in hoc uno, & mihi diſſentire liceat, quod, propter contractionem formarum οὗ, οἷ, ἕ, ex ἕο, ἕοι & ἕε (quae formae *ſimpliciores* apud *Jones* ſervatae ſunt) ſtatuere malim, caſum *rectum* olim fu-

fuiſſe ἕος: unde in *Genitivo* antiquo (qualis eſt λόγο, a λόγος) factum ſit ἕο, in, *Dat.* ἕοι, in *Acc.* ἕε, & mox ἕ, οἷ, ἕ. Hic vero ſi quis jam ulterius quaerat, unde ergo illud ἕος ſit repetendum, haud fortaſſe imparata erit reſponſio, nempe ἕος illud originem ſuam debuiſſe antiquiſſimo pronomini *tertiae* perſonae, quod Graecis fuerit ἴ, ἵ, ἱ: de quo nunc aliquanto accuratius adhuc erit videndum.

Etymologus magnus in opere illo eruditiſſimo, (quod Grammaticorum veterum Graecorum tot præclara nobis ſervavit obſervata, quodque „ egregium opus, propter exemplorum „ penuriam, ſi quod aliud, digniſſimum eſſe, ut „ typis denuo repeteretur," jam ſuo tempore, judicavit *L. Bos*, Diſſertat. de Etymolog. Graec. p. 3.) Etymologus igitur, de pronomine *tertiae perſonae*, quod vocant, MIN agens col. 588, vs. 10. Μίν, inquit " ἀντωνυμία ἐστὶ τρίτου προσώπου πρωτότυπος ἐγώ, σὺ, ἵ. τοῦτο γὰρ τὸ ἵ ὡς τρίτον βραχυνόμενον πρόσωπον, ἐφελκύσατο τὸ ν. καὶ, πλεονασμῷ τοῦ μι, ἐγένετο μίν. Σημαίνει δὲ τρία γένη ἀρσενικὸν, θηλυκὸν, καὶ οὐδέτερον, αὐτὸν, αὐτὴν, αὐτό.

Quae quidem animadverſio de origine voculae μιν, etſi, noſtro quidem judicio, analogiae linguae Graecae quam maxime ſit adverſa, (ſiquidem nihil eſt a ſermonis natura magis alienum, quam τὸ ἵ, ſine ulla cauſſa, ad finem adſciſcere ſibi literam ν, & deinceps *praefigere* literam aliam μ, idemque MIN, tali ex origine, poſſe eſſe pro-

pronomen trium perſonarum) id tamen veri in ſe continet Etymologi admonitio, τὸ ἵ fuiſſe antiquiſſimum pronomen tertiae *perſonae*, in lingua Graeca. Quare veriſſime, ut puto, laudatus ſupra *A. Caninius*, Helleniſmi p. 239. „ Veteres, inquit, ἵ dixerunt in perſona „ *tertia.*" A *Caninio* nonnihil diverſus *Laſcaris* (apud Maittaire p. 196.) τοῦ τρίτου προσώπου, „ ait" ἡ ὀνομαςικὴ κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἵ. nempe, *cum ſpiritu aſpero*, quam adſpirationem exhibent quoque Teutonica iſta *Hi*, *Hy*, & Brittannorum *He*, quin & Latinorum hi, uti apparere poteſt ex pronomine demonſtrativo hic, quod, reſorbta vocali, factum eſſe ex *hice*, (adjecta nempe ſyllaba κε) infra plenius erit probandum.

Sed eosdem quoque Latinos agnoviſſe τὸ ἴ cum *ſpiritu ieni*, evidens ſatis eſt vel ex altero pronomine idem, *eadem*, idem: quippe quod manifeſte compoſitum eſt, ex i & dem ut ejusdem componitur ex *ejus* & *dem*. Mitto jam, in reliquis formis hujus claſſis, is, *ea*, id, ille, iste cet. adſpirationem ab initio quoque deeſſe: manifeſto, ni fallor, indicio, τὸ ἴ ſine *adſpiratione*, aeque ac τὸ ἵ cum *adſpiratione*, uſu olim publico viguiſſe.

In tranſitu hic loci obſervandum adhuc eſt, quod ſupra monere jam debueram, pro μὶν iſto (quod ex ἴ, ν, & μ, compoſitum volebat Etymologus) apud Tragicos uſitatum fuiſſe NIN; ex dialecto, ut videtur, ita pronuntiatum,

tum, pro MIN, prouti literas M & N inter loquendum ſaepius alternatas olim fuiſſe, ſatis conſtat: qua de re vide *Voſſium* & *Maittairium* ſaepe a nobis laudatos. De NIN iſto autem adi *Valcken.* Annot. ad. Euripidis Hippol. vs. 1253. p. 299. A. Verum & alia, obſcuriora licet, veſtigia nobis adhuc inveſtiganda ſunt antiquiſſimi pronominis iſtius ἴ, ſive ἵ: ut omnis de eo dubitandi anſa tanto magis praecidatur, & ſermonis vetuſtioris rationes ſibi conſtent certius. Huc primum refero, quod in *Heſychio* reperias Γίο. αὐτοῦ: pro quo reſcribendum eſſe Fίο, h. e. ἴο cum *digammate* Aeolico, docuerat jam *Caninius*, l. l. Quod ipſum Fίο, hac ratione emendatum, unde ortum ſit, jam ſtatim elucescit. Nempe ex *Genitivo* Singul. pronominis noſtri ἵ: ut ἶο dixerint pro ἷος *Eijus*, vel *ejus*. Plura vide apud viros doctos ad Heſychium. Sed magis placebit noſtris hominibus, ſi obſervavero, ipſum illud ἰ clariſſimum ſui indicium reliquiſſe in Demonſtrativis Att. οὑτοσὶ, αὑτηΐ, τουτοΐ, & τουτί, τουτουὶ, ταυτησὶ cet. ubi adjectum ί effecit ut ούτοσὶ, αύτηΐ, τουτοΐ pp. ſignificaverint, *hic ipſe*, *haec ipſa*, *hoc ipſum*, atque adeo emphaſin quandam adferat τὸ ί, quam, ſua jam aetate, agnovit *Priscianus* (laudatus a *Maittairio* p. 36) obſervans, p. 188. „quibuſdam pronominibus, apud Graecos, „ἰῶτα addi, ad vim ſignificationis *intendendam*, „ut ἐκεινοσί, οὑτοσὶ, ὁδί." Vide etiam Grammati-

ticos Graecos, ab eodem *Maittairio* exſcriptos l. l. Quodſi autem haec emphaſis, ut fieri ſolet, *crebro* pronominis *uſu*, nonnihil deinceps ſit imminuta, aut etiam hic illic obliterata, id nihil ſane impedit, quo minus credamus, eandem olim vere adfuiſſe, & originem ſuam debere illi, quam diximus, pronominis ἵ ſuffixioni.

Quibus praemiſſis, operae pretium fuerit, data hac occaſione, Latinorum pronomen *demonſtrativum* HIC, HAEC, HOC, uti & alterum IS, EA, ID, nonnihil adhuc illuſtrasſe.

Nimirum ab antiquiori iſto ἵ, adjecta ſyllaba κε, vel potius γε, factum eſt HICE ἵκε vel ἵγε, Lat. HICE: eadem analogia qua pro ὁ, ἡ, τὸ, dixerunt ὅγε, ἥγε, τόγε. Qua in re ferme conſentientem nobiscum habemus magnum *Voſſium*, de Anal. Libr. IV. c. 5, p. 196. Porro ſimul haud inutiliter h. l. obſervari poterit, fuiſſe olim maximam adſinitatem, inter articulum *praepoſitivum* ὁ, ἡ, τὸ ac *poſtpoſitivum* ὅς, ἥ, ὃ, & noſtrum ἳ, unde in mascul. ἵγε HICE, HIC, in foem. vero ab articulis iſtis foemininis ἡ vel ἣ, ἥγε, ex quo fonte ortam eſſe formam *foemininam* Lat. HAEC, tam parum dubitari poterit, quam certum eſt, ex *Nominativo* & *Accus.* neutro ὅγε fluxiſſe Lat. HOC; ex *Dativo* autem ᾧγε ſive antiquo ὧιγε eſſe Lat. HUIC, pro HOIC, *hoice*; ex ὅνγε eſſe HUNC pro HONC, *honce*; ex ἥνγε, vel ἄνγε, HANC; ex ᾇγε HAC, pro HAIC, ubi adverti meretur, veteres Latinos, in

in *Dat.* Singulari foem. gen. etiam dixiſſe HAE, quod cum ᾇ Dorico pro ᾳι, planiſſime jam convenit. Vide *Catonem* de Re Ruſt. c. XIV, §. 3. & ibidem Victorium, p. 33. 34. editionis Geſnerianae.

Sed probe obſervandum eſt, vocalem ι a Graecis & Latinis antiquitus etiam pronuntiatam fuiſſe per ει, ſive *ei*. Qua de permutatione legi poterunt *Haverk.* de Vet. Ling. Gr. Pronunt. c. XIII. p. 142. *Valcken.* ad Eurip. Phoen. vs. 21, p. 11. vs. 658, p. 252. vs. 1475, p. 497. vs. 1701, p. 568. *Heringa* Obſerv. p. 273. ſſ. *Weſſeling.* ad Herod. L. VII. p. 615. *Voſſ.* Anal. L. II, c. 16. p. 756. de liter. permutat. p. 13. Obſerv. Miſcell. T. V, p. 56. *D' Orville* Vann. Crit. p. 365. 439.

Uti autem promiſcue pronuntiarunt veteres ἱ & εἱ, ita etiam *cum adſpiratione*, pro ἱ, extulerunt εἱ HEI: qua de pronuntiatione, praeter *Voſſium*, *Maittairium*, alios, qui de *adſpirationis* nota, vocalibus praemiſſa, paſſim egerunt, conſuli poterunt *Forcellinus* in *Heja*, *Hejulo* cet. & *H. Cannegieter* ad Aviani Fab. XLII, 10.

Ex qua quidem pronominis antiqui ἵ, Lat. HIC, pronuntiatione per εἵ, ſuſpicari quis fortaſſe poſſit, repetendam eſſe originem adverbii Lat. HEIC, quod pro HIC adhibuerunt veteres: quemadmodum ex libris antiquis, lapidibuſque vulgo adeo notum eſt, ut doceat *Voſſius*, de Arte Gramm. L. I, c. 13. „ nihil retuliſſe, *hic* ſcri-

„ ſcriberent, an *heic*". Sed magno opere tamen hic cavendum eſt, ne iſtud quidem HEIC accipiamus, pro antiquo *Nominativo* Singulari HIC, aut exiſtimemus, ipſum Lat. vulgatius illud ſcriptum Adverb. HIC quidquam commune habere cum *Nominativo* pronominis *hic*, *haec*, *hoc*. Repugnat enim quantitas in proſodia: quum *hic*, tanquam pronomen, corripi ſoleat, etſi non negemus, idem aliquando produci potuiſſe quoque, ſecundum obſervationem doctiſſimam Clarkianam ad Iliad. A, vs. 51. Τὸ HIC vero, ſive HEIC, tanquam adverbium ſpectatum, apud metricos, ſemper producatur. Reclamat etiam ipſa natura adverbiorum in utraque lingua: quippe in qua ADVERBIA, quae dicuntur, natura ſua nunquam ſunt caſus *Nominativi*, ſed ſemper caſus *Accuſativi*, vel *Ablativi*, abſolute, ut vocant, poſiti. Quod ipſum verisſimum eſſe, hoc in adverbio, ſtatim ſenties, ſi cogitaveris, etiam dici ſolere *hic loci*, vel *heic loci*, *hic terrarum* cet. id quod nunquam paterentur linguae rationes, ſi HIC adverbium, ſive HEIC, deſcendiſſet a caſu recto HIC, HAEC, cet.

Quid igitur? Mea quidem ex ſententia, adverbium HIC, ſive HEIC, natura ſua eſt antiquus *Ablativus*, (Graecis vulgo *Dativus*) ſingularis, retracto accentu, pro HICE vel HEICE poſitus: quae, ſi ad Graecam ſcribendi rationem revocaveris, erunt Gr. ἵγε, pro ἱΐγε, & ἵγε vel ᾗγε: compoſita adeoque ex ἵι, εἶ vel ᾗ,

caſibus *Dativis*, *neutra* vel *feminina* in forma acceptis a pronomine antiquo ἵ, vel ἵς, (unde in Genit. factum ἵο, ut apparuit ſupra ex τίο ſive potius ἵȣς, ad normam *declinationis tertiae*). & particula γε, vel κε. In quibus porro *hic* & *heic* ellipſin ſubeſſe nominis cujusdam ſubſtantivi, facile ſuadebit analogia in Graec. ᾗ, & Lat. HOC pro HOIC (Gr. ᾧγε, uti ὧδε vel ὧδι) in pluraſibus *hoc noctis*, *hoc luci* aliisque: qua de ellipſi conſulatur in primis vir Eruditiſſ. *L. Bos*, voce μερίς. Tandem, ne dubites eadem de ellipſi in Lat. HIC adverbialiter poſito, en tibi illud *Virgilii*, Aen. VIII, vs. 423.

Hoc *tunc ignipotens coelo descendit ab alto:* ubi Verr. Flacc. apud Servium τὸ HOC explicat per HIC. Quin & ipſe Cicero Verr. II, c. 16. extr. Hic *ſi quid erit offenſum* i. e. *hac in re*, ſive *hac in parte*. Quae loca debemus *Forcellino*. Aliaſimilia quaere apud *Geſnerum* in Theſauro.

Ceterum ne tirones forte quidquam turbet, quod diximus, HEICE eſſe poſſe pro εἷγε, vel ᾗγε, obſervent velim, Graecos olim, pro ῃ, ſcripſiſſe ει: id quod jam ſupra colligi potuit ex Analogia Lennepiana p. 35., & plenius docebitur infra ad ejusdem Cap. VIII, p. 81. Conferant interim TEI pro τῇ apud *Voſſ.* de Anal. L. I. c. 13. p. 63. & *Salmaſium* laudatum a *D'Orvill.* Vann. Crit. p. 317. Pro HIIC vero, ſequenti aetate, ſcriptum fuiſſe *hIc*, *hic*, vix opus eſt, ut admoneamus. Ita certe *dIs*, pro *diis*, *Iſ-*

dem

dem, pro *iisdem* cet. Vide *Cortium* ad Salluſtii Cat. I. 2. pag. 5. XXXIX. 6. p. 242. & ad *Livium*, Drakenb. IV, 606. 1048. V, 96. 209.

Sed redeo ad noſtrum ἵ, ſive ἴ, pronomen antiquiſſimum Graecum perſonae *tertiae*, ut, qua lege ab eodem hocce ἵ, vel ἵ, pronomen alterum IS, EA, ID, haud renuente utriusque linguae analogia, commode repeti poſſit, & revera originem repetat ſuam, clarisſime etiam perſpiciatur.

Ubi tamen in anteceſſum adhuc obſervandum eſt, vocales ε & ι, in lingua Graeca, ut *e* & *i* apud Latinos, olim promiscue fere uſurpatas fuiſſe: imo &, niſi fallant me omnia, quemadmodum apud Hebraeos veteres Arabaſque hodiernos, uno eodemque ſigno *vocali*, antiquiſſimis temporibus fuiſſe indicatas.

De permutatione harum vocalium ε & ι apud Graecos, vide *Maittairium* in Alphab. Dialect. p. 403. 409. & *Haverkamp.* de ling. Gr. veteri pronuntiat. Capp. XVII. & XXI. apud Latinos vero aeque ac Graecos magnum *Voſſium* de Liter. permut. p. 11. & 17. de Arte Gramm. L. II, c. 16. de Anal. II, c. 11. 12. IV, c. 19. p. 246. *Broekh.* ad Tibull. I, 2, 20. II. 221. *Perizon.* ad Sanct. Min. p. 36. *Cort.* ad Salluſt. Cat. I, 1, p. 2. XLIV, 1. p. 264. *Bentl.* ad Hor. Serm. I, 5, 72. 17, 30. *Drakenb.* ad Liv. T. II, p. 934.

Ex eadem permutatione frequentiſſima vocalium *e* & *i*, in *Ablat.* Singulari, explicari fortas-

taſſe etiam apte poterit origo conjunctionis copulativae τε: ex qua vocula κατὰ μετάθεσιν factum volunt Latinum ET, reclamante tamen multum analogia. Rectius igitur ſtatuas cum *Voſſio*, Latinum ET dici pro Gr. ἔτι. Ita certe pro ἐπὶ, ſequente vocali, dicitur ἐπ': neque aliter Gr. ἐκ ortum videtur, retracto accentu, ex ἐκὶ, Lat. porro AC ex ἀκὶ; PER ex περὶ; SIC ex ἰκὶ, & ſimilia. Jam vero, ſecundum analogiam Lennepianam, ἔτι proprie, fuerit *Dativus*, vel *Ablativus* Sing, ab ἔτις obſoleto, pro quo quidem ἔτι, quum etiam ἔτε dixerint veteres, eodem ex fonte, priori tantum reſecta vocali, habebimus τε, uti pro ἐμὲ, με: quin et, utraque vocali reſorbta, τ', uti pro ἐμὲ, μ', apud poëtas.

Quibus praeſtructis facillime jam intelligetur, quid ſit pronomen illud ἑ apud Homerum toties obvium, pro αὐτὸν, αὐτὴν, & αὐτὸ, ut volunt Grammatici, & Lexicographi, *Euſtath.* ad Iliad. A. 236, p. 93: 11. *Etymol.* magnus, *Apollonius*, & *Heſych.* ubi vide Albert. T. I, col. 1057 & 1088. Nempe ἑ iſtud nihil aliud eſt quam noſtrum ἵ, vel ἵ: a quo etiam deſcendiſſe Lat. IS, EA, ID nunc adhuc paucis erit comprobandum.

Pronomen autem IS, EA, ID, quantum ad etymologiam attinet, planiſſime convenire cum Graecorum ἵ & ἑ ſive ἑ, de quo diximus, dubitare nos non patietur alterum pronomen Lat. aliquanto productius, IDEM, EADEM, IDEM, quippe in quo ἵ hocce longe adhuc eſt mani-

manifeſtius*; non in *Singulari* tantum ſed etiam in *Plurali* numero, ubi in *Nominativo*, pro *iidem*, ſcripſerunt quoque *Idem*, uti in *Dativo* pro *iiſdem*, *Isdem*. Vide *Cortium* ad Salluſt. Catil. I, 2, p. 5. XXXIX, 6. p. 242. Itaque, ſecundum hanc originem, in *Nominat.* Sing. olim, pro ἵ, videntur dixiſſe, productiori forma, *ios*, ſive *ius*, *ia*, *ium*: pro ἑ autem, ſimili ratione, *eos*, *ea*, *eum*. Ex quibus formis, inter ſe permiſtis, in *Nominativo* maſcul. receptum fuit IOS, ſive IUS; quod ipſum contractum eſt deinde in IS: prorſus ut, pro ALIUS, ſimiliter dixerunt ALIS. Conf. *Voſſius*, Anal. L. IV. c. 5, p. 196. qui tamen diverſa formatione, ALIUS potius ex ALIS repetebat. Porro ex altera claſſe in *foeminino* genere, receperunt τὸ *ea*. In *neutro* debebat ſimiliter efferri IUM vel EUM: ex qua poſteriori forma, in *Nominat.* & *Accus.* Plur. ſupereſt EA. Sed, e forma priſca, *neutrius* loco potius adſciverunt ἰ: unde, adjecta ſyllaba τε, *ite*, mox *it*, ſive ID; quemadmodum pro *illut* ex *illute* (ὄλλοτε), dixerunt *illud*; pro *iſtut*, ex *iſtute*, *iſtud*; pro *iſtuce*, *iſtuc*; pro *aliut*, ex *aliute*, ἀλίοτε, *aliud*. Cujus qui-

* Idem hocce ἵ & ἕ manifeſto deprehendiſſe mihi viſus ſum in Graec. ἴδὲ et ἠδὲ apud Homerum, quodque reſpondere putem Latino ITEM, ut αὖτε reſpondet Lat. AUTEM. Ἴδὲ vero & ἠδὲ compoſita eſſe ex ἵ ſ. ἕ pronomine *tertiae* perſ., tam *Pluralis* quam *Singularis* ſignificationis, exinde apparet quod Latine commodiſſime ſaepe reddi poſſint per *idemque* et *iidemque* Vid. Il. Γ. 194. 382. E. 3. Λ, 15. 586. coll. Α, 534. Β, 79. 452. &c.

quidem ALIUTE veſtigium aliquod haud ſpernendum, ex lege antiquisſima Numae, supereſt apud *Voſſ.* de Art. I, 22. In Genitivo autem veteres ſcripſere *eijus*, uti in *Dativo* EII, variis in locis apud Plautum: videturque ortum ab ἑ, ſive ἑὶς pro ἑός, (ut *is* pro *ios*,) ad normam *tertiae* declinationis, in Genit. ἕεος contr. ἑοῦς, vel ἑιέος ἑιοῦς, ἑοῦς, *ejus*. Supereſt tamen quoque in *Genitivo* foem. EAE, monente *Voſſio*: quemdmodum pro *Dativo* EI, ex *eei*, ἕεϊ, etiam EAE legitur apud Catonem. *Accuſat.* masc. & foem. eſt, ad normam *ſecundae* declinationis, *eum*, *eam*, ab *eus*, *ea*: ſed a *Nominat.* *es* & *is* pro *eos*, *ios*, ſuperſunt quoque *em* & *im*, in locis veterum apud *Voſſ.* & *Geſner.* indicatis: quod quidem IM cognatum eſſe Graecis NIN & MIN, conjiciebat, haud ſatis tamen analogice, Cl. *Koenius*, ad Corinth. p. 105. *Nominat.* Plur. eſt *ii* (pro quo veteres etiam *ei*) *eae*, *ea*, & ſic in *Accuſativo* *eos*, *eas*, *ea*: quod ipſum tamen neutrum *ea* (ut omnia ejusmodi ξύλα v. gr. pro ξύλοα & ſim. p. 287.) factum fortasſe ex *eoa*. Quin & *eoa* contractum videtur fuiſſe in *eo*, ἕω; unde habemus ADEO, hoc eſt, AD EA, quemadmodum explicuit *Voſſ.* de Analog. L. IV. c. 5. p. 198. Qualis contractio ex veteri *eoa* in *eo* ſi forte diſpliceat, dici poterit τὸ *adeo* eſſe pro *ad eo*, obscuriori paullum pronuntiatione, voalibus *a* & *o* inter ſe permutatis: qua de permutatione, praeter *Voſſ.* & *Maitt.*, conſuli quoque pot-

poterunt *Lennep.* Animadv. ad Coluth. p. 69. 70. & *Koen.* ad Cor. p. 215. & exempla inſpici apud *Hemſterh.* ad Ariſtoph. Pl. p. 160. *Valck.* Animadv. ad Ammon. L. I, c. 9. De reliquis ad pronomina noſtra (*is*, *ea*, *id*, & *hic*, *haec*, *hoc*) pertinentibus conſule *Voſſ.* *Geſn.* & *Forcell.* quorum tamen virorum obſervationes, ſuper aliis pronominibus cognatis *ille*, *iſte* cet. ni fallimur, ex iis, quae ſupra expoſita ſunt, aliquatenus adhuc poterunt illuſtrari. Ad eandem faculam elucescent fortaſſe quoque & alia, paullo obscuriora, quae ad cognationem articulorum ὁ, ἡ, τὸ & ὃς, ἣ, ὃ, cum pronominibus noſtris *hic*, *haec* *hoc*, & *is*, *ea*, *id*, pertineant. Noſtra quidem ex opinione, nihil eo in genere certius eſt, adfinitate iſtiusmodi arctisſima inter pronomina *tertiae* perſonae, & Articulos ὁ atque ὃς, affirmantibus magno opere hanc ſuſpicionem exemplis, verbi causſa, apud *Homer.* Iliad Κ, 224. *Heſiod.* Εργ. vs. 22. &c. At illum quidem in campum ulterius excurrere vetat praeſentis inſtituti noſtri ratio.

Illuc tandem redeamus, unde longior, ſed neceſſaria, digreſſio facta fuerat.

Quemadmodum igitur ſupra vidimus p. 282. ex ἀέγω, vel ἄεμι, enatum fuiſſe ἄω & ἆμι, porro ex πλυέγω, πλύω, ex πλύεμι, πτῦμι, pronominibus *primae* perſonae ἐγὼ, & ἐμὶ adjunctis ad *formam* verbi *abſtractam*: ita, pronominibus *ſecundae*, *tertiaeve* perſonae, ad eandem verbi

formam *abſtractam* adjectis, enaſci jam debebunt *altera* & *tertia* perſonae Singulares, iisdem & ſimilibus in verbis. Quod qua ratione vere factum ſit, jam ulterius erit diſpiciendum.

Nimirum, accedentibus σὺ, & ἵ, ſive ἶ, *ſecundae* & *tertiae* perſonae pronominibus, ad iſtas verborum formas, (quas ſupra poſuimus, p. 282) ἄ, πλύ, ζέ cet., hac ex conjunctione, oriantur neceſſe eſt, in *ſecunda* perſona ἀσὺ, πλυσὺ, ζεσὺ, τιθεσὺ, ἱςασὺ διδοσὺ, ζευγνυσὺ; in *tertia* vero perſona, αἶ, πλυἶ, ζεἶ, τιθεἶ, διδοἶ, ζευγνυἶ, vel αϊ, πλυϊ, ζεϊ, τιθέϊ cet. cum adſpiratione vocalis *iota*, cujusmodi adſpirationis notulam, etiam mediis vocibus, inſertam fuiſſe egregius auctor docet *Villoiſonus*, Diatribes p. 119. 120. Sed quum incommodior eſſet, multis in verbis, utraque haec forma, euphoniae gratia deinceps gemina potiſſimum facta eſt in his mutatio. *Primum* enim *accentus tonicus* (quem more Grammaticorum Orientalium dicemus) ex *ultima* vocali *retractus* eſt ad ſyllabam verbi *primam*, vocali υ, pronominis σὺ, ſimul reſorbta: quo pacto jam pro τιθεσὺ extulerunt τίθες; pro ἱςασὺ, ἱςας; pro ἱςησὺ, ſive potius ἱςεσὺ forma cognata, ἷςες; pro διδοσὺ, δίδος; pro ζευγνυσὺ, ζεύγνυς. *Deinde*, pro *adſpiratione*, ante vocalem ἳ, in *tertia* perſona, verba in μι, (quae prorſus convenire cum verbis in ω, clarisſime demonſtravit *Lennepius*) adſciverunt σ illud, de quo toties dictum eſt. (Redi ad pag. 268. & vide ipſum

ipſum *Lennep.* Anal. p. 212) Qua lege iam in *tertiis* perſonis Singularibus habebimus τίθεσι, ἵησι, ſive ἵϛασι, δίδοσι, ζεύγνυσι. *Dores* autem, pro σ, maluerunt hic, ut alibi, cognatam literam τ: efferentes τίθετι, ἵϛατι, δίδοτι & ſimilia; unde & Latinorum *t*, in eadem perſona *tertia* Singulari, originem ſuam habere ſuperius obſervavimus, p. 277. Ut nempe, retracto, pari ratione, *accentu* ad *primam* ſyllabam, & reſecta *ultima* vocali, pro *amati*, *doceti*, *auditi*, dixerint *amat*, *docet*, *audit*.

In verbis vero vulgaribus, in ω deſinentibus, Graeci σ illud, ſive τ, *tertiam perſonam* formaturi, non adhibuerunt: verum hujus loco, pro ι, extulerunt ει; ut ſupra vidimus ſonos *i* & *ei*, tam apud Graecos, quam in ſermone Latino, promiſcue fere adhibitos fuiſſe. Qua de re ſi quis adhuc dubitaverit, cogitet quaeſo verecundas aures Romanorum veterum eadem de cauſſa admiſiſſe quidem pronuntiationem vocis *terni*, non vero eam vocis *bini*. Nempe, quia periculum erat, ne forte, quemadmodum illud *terni* pronuntiabatur *ternei*, ſic etiam pro *bini* efferretur *binei:* quod vocabulum, ſi Graecis literis repraeſentaretur, videri poſſet eſſe turpiusculum. Confer Cicer. ad Diverſos: IX, 22.

Itaque, pro ι, adhibito ει, (ſive potius ι, tanquam ει, pronuntiato) ex ἄϊ, πλύϊ, ζέϊ, in *tertiis* perſonis Singul. ortum eſt ἄει, πλύει, ζέει atque ita in omnibus aliis Verbis, in ω deſinenti-

tibus, tam in *Futuris* Indicativi Act., quam in *Praeſentibus* ejuſdem Modi.

Sed in *ſecundae* perſonae Singul. *Praeſentis* & *Futuri* Activi, verborum in ω cadentium, formatione, paullo major hic orietur difficultas, ſi cogitaveris, ſecundum noſtrae quidem compoſitionis leges, quemadmodum pro τιθεσὺ, ἱστασὺ διδοσὺ, ζευγνυσὺ fieri diximus τίθες, ἵστας, δίδος, ζεύγνυς, ita ab ἀσὺ, πλυσὺ, ζεσὺ &c. eadem ratione oriri debuiſſe ἀς̀, πλὺς, ζές & ſimilia: quum tamen hac in perſona dicatur ἄεις, πλύεις, ζέεις, τύπτεις, ποιέεις, βοάεις, χρυσόεις &c. diphthongo ει ſemper adhibita ante literam ς, quam in *ſecunda* hac perſona Singul. ex σὺ ortam eſſe ſupra docuimus. Ad hanc difficultatem tollendam reſponderi fortaſſe poſſit, formas iſtas ἄεις, πλύεις cet. proprie invaluiſſe pro ἄες, πλύες, ζέες, τύπτες, &c. quae formae, adhuc prae manibus ſint in dialecto Dorica: pro ἄες, πλύες, ζέες, τύπτες vero, ε tanquam ει prolata, facta eſſe ἄεις, πλύεις, &c. Porro ipſum illud ς, in *Doricis* τύπτες, συρίσδες, ἀμέλγες & ſimilibus, ortum forte eſſe ex *duriori concu ſu* conſonantium; propter quam Hebraei non tantum efferant *kodès* קֹדֶשׁ pro *kods* קֹדְשׁ *melech* מֶלֶךְ, pro *melch* מֶלְךְ *tofes* תֹּפֶשׂ pro *tofs* & ſim. ſed Latini etiam, (ex *Marklandi* ſententia, ſuperius tacta p. 267) *plébes*, pro *plebs*, *ſépes* pro *ſeps* &c. qua analogia τύπτες invaluiſſet pro τύπτς, συρίσδες pro συρίσδς, ἀμέλγες pro ἀμέλγς &c. Verum quum haec formandi ratio longius petita videri pos-

poſſit, neque in omnibus exemplis propoſitis valeat; malim equidem ſtatuere, formas iſtas vulgares ἄεις, πλύεις, ζέεις, τύπλεις, ποιέεις cet. proprie non eſſe repetendas a verbis ſimplicioribus ἄω, πλύω, ζέω &c. ſed a verbis productioribus ἀέω, πλυέω, ζεέω, λυπλέω, vel potius ab ἄεμι, πλύεμι, ζέεμι, τύπλεμι cet. Unde, compoſitione facta cum *adformante* ς, qualem propoſuimus, primum facta ſint ἄες, πλύες, ζέες, τύπλες, & dein, vocali ε longiuscule pronuntiata tanquam ει, ἄεις, πλύεις &c.

Monſtravit nobis hanc viam ipſe Lennepius, diverſo licet in argumento, Analog. p. 94. 95. neque aliter contigiſſe deprehendimus in formatione perſonarum *Pluralis* & *Dualis* numeri, de qua inferius erit dicendum. Quod vero, pro ε, etiam dicatr ει & η, adeo manifeſtum eſt in lingua Graeca, ut vix opus ſit verbulum ea de re huc loci admonuiſſe. Vide ſis *Villoiſonum* loco laudato, *Maittairium*, p. 403. 419. &c. *Voſſ.* in Tractatu de Literar. permutat. p. 11. In transcurſu hic obſervemus adhuc; ex eadem cognatione formarum vicinarum fortaſſe repetendas eſſe vocales *longas* η & ω, in τίθημι, δίδωμι &c. ut, nempe, τίθημι proprie ſcriptum ſit pro τιθέεμι, δίδωμι pro διδόομι; ex formis productioribus λιθεέναι, διδοόναι cet. atque ita in aliis ſimilibus: etſi fatear, vocales iſtas longas aliunde quoque commode repeti. Vid. *Lennep.* Anal. p. 113. ſeqq.

Re-

Reliqua jam levi brachio perſtringamus: ne in nimiam molem excreſcat haec qualiſcunque animadverſio, de formatione perſonarum *praeſentis* & *Futuri*, ope pronominum vetuſtiorum.

Igitur in *prima* perſona *Pluralium*, *Praeſentis* & *Futuri*, Indicativi Activi Verborum in ω, reperimus terminationes ομεν, ετε, ουσι, in *Dualibus* vero ετον, ετον. Sed latius extendendas eſſe has formas *Plurales* & *Duales*, docebunt exempla *Praeſentium* temporum *Activi*, Verborum in μι, quippe in quibus Verbum ἵστημι, ſ. ἵσταμι praebet quidem terminationes *Duales* ac *Plurales*,

ατον, ατον

αμεν, ατε, ᾶσι, pro άασι.

τίθημι vero ſimiliter

ετον, ετον,

εμεν, ετε, εῖσι, pro έεσι

ἶμι porro, pro εἵμι,

ιτον, ιτον

ιμεν, ιτε, ισι.

δίδωμι pro δίδομι, ſive διδόομι,

οτον, οτον

ομεν, οτε, οῦσι, pro όοσι.

ζεῦ

ζεύγνυμι denique exhibet

υἶον, υἶον,
υμεν, υἶε, ῦσι, pro ύυσι.

Ex quibus, omnibus inter ſe comparatis, apparere jam poterit, terminationes iſtas *Plurales* ac *Duales*, vere eſſe μεν, τε, σι, τον, τεν: quae *terminationes*, adjectae ad verba, quorum ultima vocalis, in forma abſtracta, eſt α, efficiant αμεν, ατε, ασι, ατον, ατον; quorum vero ultima eſt ε, εμεν, ετε, εσι, ετον, ετον, & ſic ι, ιμεν, ιτε: at ο, ομεν, οτε; υ υμεν, υτε &c. Reſtabunt igitur verae *terminationes* ſive *adformantes* (quas more Grammaticorum Orientalium hic iterum dicemus) in *Pluralibus* MEN, TE, ΣΙ in *Dualibus* vero TON, TON.

Horum e numero *adformans primae* perſonae MEN, pro quo *Dorice* dicitur ΜΕΣ, manifeſte jam ortum eſt a *Plurali* pronomine *primae* perſonae, ΑΜΕΣ vel ΕΜΕΣ. Vide ſupr. p. 286. 287. Permutatio literae finalis ς in ν, ſi cui nimis dura videatur, is adeat *Maittair.* in Alphab. Dialect. p. 389. 390. 383. *Voſſ.* de Permutat. Liter. p. 30. 22.; vel ſtatuat, pro μες, olim dictum quoque fuiſſe μενς, litera ν inſerta, ut, in *tertia* perſona *Plurali*, Dores Aeoleſque dixere αντι, εντι, &c. Hac lege pro τύπτομες dixiſſent quoque τυπτομενς, & pro, hoc, τύπτομεν.

Al-

Alterius vero perſonae Pluralis *adformans* ϛε ortum videtur ex ϛες, finali litera ς abjecta, ut in *Dualibus* nominum, & *pronominum*. Ita V. Gr. ἄμμε in *Duali forma* dixerunt pro ἄμμες. Vide p. 287. Quod ipſum ἄμμε cum ἄμε & ἄμμε, etiam *Pluraliter* pro ἄμμες, ς abjecto, uſurparunt poëtae & Dialecto *Doricae* proprium cenſebatur. Vide *Maittair*. p. 194.

Ex qua etiam permutatione formarum *Pluralium* & *Dualium*, ſive potius *Dualis* formae ex *Plurali* origine (ſuperius p. 287. a nobis indicata) illustrari fortaſſe poterit nonnihil controverſia eruditiſſimorum hominum, an vere *Dualis* adhibeatur in lingua Graeca pro *Plurali*. Vide *Clark*. ad Iliad. Α, 566. Β, 288. Ε, 487. 778. Ι, 182. Od. Δ, 33. 61. 282. Θ, 55. 292. Ι, 404. Κ, 209. Λ, 210. Ν, 96. Π, 2. Φ, 86. 216. Χ, 174. Ω. 101. & ibidem ERNEST: GESNER. porro ad Orphic. vs. 818. D'ARNAUD Lectt. Graec. p. 186. ABRESCH ad Aeſchyl. p. 472.

Itaque, ut ad propoſitum redeamus, τε adformans *ſecundae* perſonae *Pluralis* nobis quidem videtur repetendum eſſe ex ϛὲς, quod ipſum τὲς a ϛὺ *Singulari*, ſive potius forma cognata, ductum vide ſupr. p. 298.

Sequitur σι *adformans tertiae* perſonae *Pluralis*, pro quo Dores, dixere etiam ϛι vel ντι, literis σ et τ iterum, pro more, permutatis. Eſt vero hoc in *adformante* ſola vocalis ι habenda pro litera *radicali*.

Erat

Erat, nimirum, pronomen *tertiae* perſonae ἴ vel ἰ olim *utriusque* numeri, plane ut ὔ vel ὐ, pronomen *ſecundae* perſonae; de quo dictum eſt ſupra p. 296. Uti vero pro ὔ dixerunt σὺ, vel τὺ: ita pro ἴ factum eſt σὶ vel τὶ, atque adeo in *tertia* perſona *Singulari* formarunt pro τίθεϊ vel τίθηϊ, τίθησι; pro ἵστηϊ, ἵστησι, Dorice ἵστατι; pro δίδωϊ, δίδωσι, δίδωτι.

Ne autem, in *Plurali*, hoc pacto eadem prorſus exiſteret forma *tertiae* perſonae, atque numeri diſcrimen deficeret, inter adformans *tertiae* perſonae *Singularis* ac *Pluralis:* Graeci ante adformans plurale vocalem verbi *radicalem* duplicarunt, dicentes V. Gr. a διδό (ex διδόναι) διδόοσι, & contractione facta διδοῦσι; a τιθέ, (ex τιθέναι) τιθέεσι, τιθεῖσι; ab ἱστά, (ex ἱστάναι) ἱστάασι, ἱστᾶσι; a ζευγνύ (ex ζευγνύναι) ζευγνύυσι, ζευγνῦσι. Porro ut pro διδόοσι, διδοῦσι, ita pro τυπτόοσι factum eſt τυπτοῦσι, pro ποιεόοσι (ex veteri ποιεόναι) ποιέουσι, ποιοῦσι: atque ita in reliquis.

Obſervandum tamen eſt, *Dores Aeoleſque* pro *geminatione* hac vocalis, quam modo diximus, maluiſſe inſertionem literae ν, ante adformantem σι vel τι; efferentes διδῶντι, τιθέντι vel τίθεντι, ἱστάντι & ſimilia: *Jones* vero vocalem α (ex forma aliqua vicina, ut videtur) ſimpliciter adſciviſſe; unde habeas eadem in perſona διδόασι, τιθέασι, ἱστέασι, ζευγνύασι, &c.

Duales porro terminationes ſive *adformantes*, τον, τον, unde repetendae ſint, minus manifeſtum

ſtum eſt. Suſpicor equidem, literam ν, in fine earum eſſe *adſcitam* aliunde, ſive potius, ν illud eſſe pro νὴ, ut quemadmodum pro τινὴ, dixerunt τὶν, pro τεινὴ, τεΐν, (vide ſupr. p. 29[illegible].) ita pro τονὴ factum ſit τόν. Iam autem τὼ aliud eſſe formam *antiquam dualem* pro τοὶ, ut λέγο, ſive λέγω pro λέγοι, facile apparebit ex iis, quae obſervata ſunt ſupra p. 287. Itaque primum fuiſſe ſuſpicor τυπτετονὴ ἱςατονὴ, & hinc facta τύπτετον, ἵςατον. *Secundam* vero & *tertiam* Dualem in *Praeſenti* & *Futuro* ejuſdem eſſe terminationis, haud adeo mirum accidet ei, qui cogitaverit, maximam fuiſſe olim convenientiam, inter formas nonnullas pronominum *ſecundae* & *tertiae* perſonae quatenus, nimirum, in iiſdem, ſoni vocales *u*, *o*, & *i*, paſſim permutarentur. Quod ipſum ſatis apparet ex comparatione Graeci σὺ, pro ὔ, cum Lat. VOS, Graecorum porro ἵ, unde *hic* pro *hice* cum altero ὅ, unde *hoc* pro *hoce*, ὅγε, & caſibus denique obliquis pronominis *demonſtrativi*, *illius*, *illi*, compoſitis cum veterum *ollius*, *olli*, & ſimilibus.

Sed praeter ſuperiora iſta τον, τον, habetur aliud *adformans tertiae* perſonae *Dualis*, in *Imperfecto*, *Plusquamperfecto*, & *Aoriſto* Indicativi, tam *Activi* quam *Paſſivi*; quin & in omnibus temporibus *Optativi* modi; nimirum την: ut ἐτύπτετον, ἐτυπτέτην, ἐτετύφειτον, ἐτετυφείτην cet. Quod quidem THN, multum utique diſtans a TON, pro τονὴ, quo pacto ſit explicandum, breviſſime adhuc diſquiremus. Ana-

Analogiam ducem ſecuti, haud veremur conjicere, quemadmodum, pro τονὴ, dixerunt τον, ita, pro τηνὴ, eoſdem Graecos dixiſſe τὴν. Quae ſi vera eſt conjectura, manifeſtum erit, τηνὴ illud antiquius conflatum eſſe ex νὴ *certe, utique*, & TH pro TEE, hoc vero (ultima litera reſecta, quemadmodum fieri vidimus in formis *Dualibus*) pro TEES, a Singulari forma TIS: in qua ipſa forma TIS litera τ praepoſita iterum adoptiva eſt; quemadmodum τ adſcitam eſſe vidimus in τὺ, pro ὑ &c. Singularis igitur *Nominativus* fuerit IS, Lat. *is, ea, id*, unde TEE, TH, idem atque II, *eae, ea*: ſed in *ſignificatione Dualis*. Animadvertendum autem eſt, id ipſum τ, quod, noſtra ex hypotheſi, a principio adſumtum fuit in TEES, pro EES, a Doribus adoptatum quoque fuiſſe in *Pluralibus* TOI, TAI, pro ʽOI, ʽAI. Vide quae diximus ſupr. p. 303.

Meminiſſe autem oportebit tirones, quae, de diverſo uſu terminationum τον & την, in *Dualibus* his, monuit ὁ πάνυ ad Euripid. Phoeniſſas, vs. 1310, p. 440.

De *reliquorum* temporum Indicativi, per ſuas perſonas, formatione, & *adformantium* pronominum, in iisdem, originibus, infra dicendum erit ſuo loco. E. S.

AD ANALOG. CAP. IV, p. 45.

De Characteriſtica temporis Futuri, Σ poſita ante Ω.

„ Dignoſcitur, " inquit Lennepius „ flexio „ *Futuri primi*, litera σ poſita ante ω, ſive „ ea lateat in litera duplici ξ, vel ψ, ſive ſo- „ lummodo inſeratur, in verbis, quae vocan- „ tur, *puris*." Haec quidem veriſſime dicta eſſe, conſenſus Grammaticorum omnium probat, & ipſae linguae Graecae demonſtrant rationes. Quid enim, quaeſo, magis manifeſtum eſt, quam, uti a τίω, in *futuro*, eſt τίσω; ab ἀκούω eſt ἀκούσω; a τελέω, τελέσω; a γελάω, γελάσω; ab ἀρόω, ἀρόσω: ita a λέγω, oportere fuiſſe λέγσω; a πλέκω, πλέκσω; a λείβω, λείβσω; a τέρπω, τέρπσω cet.; pro quibus poſterioribus formis, recentiores Graeci compendioſe magis ſcripſerunt λέξω, πλέξω, λείψω, τέρψω. Atque h. l. in primis conſulenda ſunt, quae monuit *Villoiſonius*, in diatriba illa eruditiſſima, ſuperius a nobis laudata, p. 121. ſſ.

Quae quidem omnia, etſi, ſecundum recentioris linguae Graecae rationes, rectiſſime ſe habeant, antiquiſſimis tamen temporibus paullo aliter rem comparatam fuiſſe, haud vana fortaſſe conjectura, ſtatuere auſim. Nimirum *praeſentium* temporum & *futurorum* formas, in primis iſtis linguae Graecae incunabulis, prorſus *eaſdem* fu-

fuiſſe, certiſſime nobis perſuaſimus. Quae opinio ſi vera ſit, hinc conſequatur neceſſe eſt, ut quidquid deinceps, *praeſentia* inter & *futura*, diſcriminis ortum ſit, tam in ſermone Graeco, quam in Latino, id omne tribuere debeamus uſui quotidiano, multa paſſim innovanti, & novas loquendi leges ſancienti.

Incredibilis propemodum adſerti veritatem ut probabiliter demonſtremus, non provocabimus hic ad linguas orientales, Aramaeam, Arabicam, & Hebraeam, in quibus dialectis FUTURA vicem explere ſoleant temporum PRAESENTIUM: quum, hoc ex argumento, a multis minus fortaſſe intellecto, contra inferri poſſe videretur, „ *praeſentium* formas a *futuris*, non „ vero *futuras* a *praeſentibus* arceſſendas eſſe." Teſtabor potius quotidianam omnium, in omnibus forſitan orbis terrarum linguis, experientiam: ex qua unicuivis exploratiſſimum eſſe poſſit, PRAESENS tempus paſſim adhiberi ſolere pro FUTURO.

In Latina quidem lingua nihil tritius eſt: qua de re conſuli poterunt Grammatici. Inſtar omnium adeantur hic *Cortius* ad Salluſt. Bell. Catil. 51: 26. 58: 2. Iugurth. 9: 2. 14: 1. 87: 4. *Perizon.* ad Sanct. Min. I, 13, 4. 14, 4. & 152. *Drakenburg.* ad Liv. III, 56. p. 779 b. Exemplis ſcriptorum Latinorum, ab eruditiſſimis illis viris in medium prolatis, vel ex uno *Plauto*, multa adhuc poſſent addi. Veluti

verb. gr. ex hujus Ciſt. Act. III, 2, 85. IBO *domum; Atque ad parentes* REDUCO Silenium; id eſt, *reducam.* Moſtell. Act. III, 1, 103. *Dic, te* DATURUM *ut abeat.* TH. *Egon dicam* DARE? Perſa Act. III, 2, 2. *Qui mihi juratus eſt, ſeſe hodie argentum* DARE, id eſt *daturum eſſe:* & alia complura ſimilia.

Ex Graecorum vero ſermone maxima horum exemplorum copia praeſto erit *Homerum* verſantibus. Ita v. gr. Iliad. K, vs. 62.

Αὖθι ΜΕΝΩ μετὰ τοῖσι, δεδεγμένος εἰσόκεν ἔλθῃς,
Ἦε ΘΕΩ μετὰ σ' αὖτις, ἐπὴν εὖ τοῖς ἘΠΙΤΕΙΛΩ;

Ibine MANEO *cum illis, praeſtolans donec veneris;*
An RECURRO *ad te, quum diligenter illis mandaro?* Ibidem vs. 54. 55.

Ἐγὼ δ' ἐπὶ Νέςορα δῖον
ΕἿΜΙ, καὶ ὈΤΡΥΝΈΩ ἀνςήμεναι;

Ego vero ad Neſtora nobilem EO, & HORTABOR *ut ſurgat.* coll. Il. Σ, 341. Porro Il. Λ, 317. Ἠ τοι ἐγὼ ΜΕΝΈΩ καὶ τλήσομαι. N, 735. 752. Ξ, 48. 190. 235. O, 212. 261. &c. Vide viros doctiſſimos, *Dukerum* ad Thucyd. II, 44. p. 125. III, 47. p. 197. V, 65. p. 357. Obſervatt. Miſcell. Vol. III, Tom. I, p. 150. *Valck.* ad Eu-

Euripid. Hippol. vs. 1067. p. 279. *Abreſch* Animadv. ad Aeſchyl. II, 31. p. 462. 463. *Viger*. p. 216. & ibid. *Hoogev.* ut & p. 508.

Quin & *Futura* poni pro *Praeſentibus*, non uno loco obſervarunt ſummi viri. Vide *Hemſterh.* ad Thom. Mag. voce Ἐπεξελευσόμενος, p. 337. & alios ſupra jam laudatos. *Hoogeveenius* ad Viger. p. 216 poſuit illud Horat. Epiſt. L. I, 18, 3.

Ut Matrona meretrici diſpar ERIT, *atque*
Discolor, *infido ſcurrae* DISTABIT *amicus*,

pro *eſt*, & *diſtat*. Cui jungere licebit *Homer*. Il. K. 183. Ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα ΔΥΣΩΡΗΣΟΝΤΑΙ ἐν αὐλῇ κ. τ. λ. & *Heſiod.* Ἔργ. 176. Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. οὐδέ ποτ' ἦμαρ ΠΑΥΣΟΝΤΑΙ καμάτου καὶ ὀϊζύος κ. τ. λ. Vide etiam fragmentum Orphicorum, in deſcriptione hiemis, apud Tzetz. ad Heſiod. Ἔργ. vs. 504. Geſnero p. 393.

Ex his igitur obſervatis facile jam conſtare poterit, *praeſentia* & *futura* tempora in verbis, apud Graecos antiquisſimos, eadem voce fuiſſe quondam deſignata.

Quo vero tanto minus hic quempiam moretur litera σ, *futurorum* terminationibus praemiſſa (quae, non minus in *Paſſivis* & *Mediis*, quam in *Activis* formis, locum habet) cogitari hic velim, eandem literam σ, in ipſo quoque *Praeſenti*, locum habere: ubi τίθησι, ἵστησι, δίδωσι, ζεύγνυσι, dixerunt Graeci pro τίθει, ἵσται, cet.

 de

de quibus vide ſupra p. 312. 313. Originem debet nempe haec σ adſpirationi cuidam; qua praecipue adhibita, in *futuris* ſuis, Graeci pro ἀκέω, τελέω, γελάω, ἀρόω, pronuntiarunt primum *akoúho*, *telého*, *geláho*, *aróho*, & deinceps, σ poſita loco adſpirationis, ἀκέσω, τελέσω, γελάσω, ἀρόσω.

Quemadmodum autem Aeolas ſupra diximus (loco *adſpirationis* iſtius, quam ceteri Graeci per σ repraeſentarunt) uſurpaviſſe *digamma* ſuum, uti v. gr. in *plurali* pronominis *ſecundae* perſonae σὺ, pro ὗ, ϜΌΕΣ, ϜΌΑΣ, VOS, conf. p. 297. eosdemque *Aeolas*, ſive horum imitatores Latinos, diximus quoque, pro Ϝ iſto, adhibuiſſe B, uti in VOBIS, pro ϜΌϜΙΣ; ALBUS, pro ἀλϜὸς; AMBO, pro ἀμϜὼ &c. ibid. p. 297. (quibuscum conferri poterunt *Montfauc.* Palaeogr. Gr. L. II, p. 128. & quae collegit *Scaliger* in Indicc. Gruterian. p. LXXXIV. LXXXV. ac *Maitt.* Indic. ad Marmor. Oxon.) ita pro *adſpiratione*, ſive σ, in *futuris* ſuis Latini veteres, conſtanter videntur adhibuiſſe ſuum B.

Itaque, uti AMO ex *amao* (Gr. ἀμάω, ἀμῶ pp. *complector* ulnis; ſpeciatim *ſegetem*, & hinc metonymice *comprehenſum* hoc modo *ſegetem* falce manuali *demeto*, Heſiod. Ἐργ. vs. 480. alia vero ex metonymia *complector* animo aliquem, & hinc *diligo*;) uti, inquam, hoc ipſum *amo*, ex *amao*, fecit *futurum* ſuum *amabo*, & *doceo* fecit *docebo*: ſic ab *aperio* a veteribus ductum fuit

ape-

aperibo; a *dormio*, *dormibo*; a *ſervio*, *ſervibo*; ab *opperior*, *opperibor*; a *reperior*, *reperibor*: quin & a *ſugo* pro *ſugeo*, *ſugebo*: a *reddo*, pro *reddio*, *reddibo*. Vide *Voſſ.* de Analog. L. III, c. 34. In his igitur omnibus, ceteriſque ſimilibus, nullus equidem dubitaverim, quin litera, terminationem antegrediens, B orta ſit ex F, ſive ex *digammate* Aeolico, *aſperi* ſpiritus, ſive literae σ, vices compenſante.

Sed hac de re ſi cui forte minus adhuc perſuaſum ſit, en veſtigia quaedam Latina, quae planum faciant, in *futuris* Latinorum, haud aliter atque in *futuris* Graecis vulgaribus, literam *ſ*, ſive σ, olim vere adfuiſſe.

Apud *Plautum* Mil. Glor. Act. IV, Scen. 9, vs. 2. 3. editur a *Meurſio*, *Gronovio*, aliis:

Ego jam conveniam illunc: ubi ubi eſt gentium,
Inveſtigabo: operae non PARSO *meae.*

Quae ſi vera ſit lectio, conjicere licebit, hoc *parſo* eſſe ab obſoleto *paro*, πάρω; unde in *perf. Act.* πέπαρκα, & hinc denuo πάρκω, *parco*, e ſtirpe primitiva πάω: quemadmodum ſimiliter a μάω factum eſt μάρω, μέμαρκα, & hinc μάρκω *marco*; unde porro *marceo*, & ſimilia. Verum quoniam, *Grutero* teſte, omnes edd. vett. & Mſſ. in loco Plautino, pro *non parſo*, exhibent *non parco*, urguere equidem hoc exemplum nolim.

Aliud igitur proferendum erit exemplum, quod exceptione omni ſit majus, & quotidie obvium: ut de veritate ejuſdem non poſſit dubitari. Eſt autem *futurum*, vulgo dictum anomalum, *faxo*, haud dubie formatum ab antiquiſſimo *fao*, Gr. φάω, pp. *luceo*. Unde in perfect. πέφακα; & hinc denuo φάκω *lucere facio*, vel *in lucem profero* (quod dedit φάκος, contracte φὰξ, FAX, uti πάκος dedit contr. PAX:) a φάκω autem eſt productius FACIO, quod proprie adeo ſignificet *in lucem profero*, *emitto*, *oſtendo*; uti in illo *Columellae* de arbor. c. 54. *Rapi & napi, antequam caulem, aut cymam* faciant. & *Plauti* Moſtell. V, 1, 66. *Exempla edepol* faciam *in te*; uti & apud Cicer. ad Att. XV, 10. *Ludos vero non* facere, *quid foedius*? Quae loca debemus *Forcellino*. Unde jam ſtatim quoque intelligi poterit, qua de cauſſa verbum *facere* adhibeatur tantum de *externis*, & *luci* quaſi *expoſitis* actionibus, alterum vero *agere*, de *internis* proprie dicatur. Sed haec in tranſcurſu.

A φάκω igitur, ſive obſoleto *faco*, eſt futurum *faxo* pro *facſo*, Gr. φάξω pro φάκσω: & rectiſſime adeo, de eodem hoc FAXO, Voſſius noſter, Analog. L. III, 41. p. 161. „In mentem venit" inquit „Latinos hac in parte ſecutos eſſe *mo*-„*rem* declinandi *Graecorum*; qui dicunt ἄγω, „ἄξω; πλέκω, πλέξω; τίκτω, vel τέκω, τέξω." Quod deinceps ulterius confirmat, collatis aliis

La-

Latinis verbis *axo*, *adaxo*, *perduaxo*, *jaxo:* quae apud ipſum virum ſummum legi poterunt.

Addamus & nos verbum VISO, quod, haud ſatis analogice, vulgo compoſitum cenſetur ex *viſum eo*, cum in *Infinitivo* utique non dicatur *viſire*, ex *viſum ire*, ſed ſimpliciter *viſere*. Nimirum, *viſo* veteres videntur dixiſſe pro *vidſo*, ut *prenſo* pro *prendſo*, eliſa *d*, more Graecorum; uti verb. gr. in ᾄδω, ᾄσω, pro ᾄδσω & ſimilibus. Hic vero ne quis forte excipiat, *viſo* & *prenſo*, in *futuris* ſuis, habere *viſam* & *prenſabo*, neque adeo verba haec *viſo* & *prenſo* pp. *futura* eſſe, quam potius *praeſentia* tempora, uti *lego* & *amo:* probe animadvertendum hoc loco eſt, a *praeſentibus* verborum analogice duci *futura*, a *futuris* autem *nova praeſentia*, atque adeo nova *verba* fieri. Ita v. gr. ab ὄδω (unde Latin. ODOR) eſt *futurum* ὄδσω, & brevius per ζ ſcriptum ὄζω, unde jam mox novum verbum, ὄζω, *odorem reddo:* & ſexcenta talia; quorſum referenda ſunt pleraque Latinorum frequentativa in SSO, & alia. Vide infra ad Analog. Cap. XIV, p. 185. ff. Quid, quod archaiſmi iſti (qui vulgo dicuntur, & *ſyncopae*, neſcio cui, tribui ſolent) *abjuraſſo*, *accuraſſo*, *amaſſo*, *aſſultaſſo*, *coenaſſo*, *capſo*, *celaſſo*, & alia exempla, a *Paraeo* collecta, in Lexici Plautini Mantiſſa p. 554—556, eodem etiam pertinent, efficiuntque, ut literam *characteriſticam* futuri olim fuiſſe *ſ*, vel *ſſ* geminatum, pleniſſime nobis jam perſuadeatur?

 At,

At, inquies, ſi *futura* iſta Latina (de quibus ante dictum eſt) *amabo*, *docebo*, *audibo*, formata ſint, ſecundum veteris linguae analogiam; atque adeo litera *b* in illis vera characteristica ſit, uſitatiori iſti Graecorum σ reſpondens; unde igitur repetenda erunt *recentiora* Latinorum *futura*, in *quarta* & *tertia* conjugatione, qualia ſunt *audiam*, *capiam*, *legam:* in quibus ne tenuiſſimum quidem literae iſtius characteriſticae ſive *b* ſive σ, veſtigium appareat; imo etiam prorſus diverſa ſit terminatio, in *m*, nempe, loco *o* vel ω?

Dicam hic, pace tua, mi lector, quid inquirenti ea de re in mentem mihi venerit ſuſpicari. Certiſſimum id quidem mihi eſt, neque muto ſententiam, *characteriſticam futuri* Latinis eſſe *b* ante *o*; ut Graecis σ ante ω: ſed *futura* iſta *audiam*, *capiam*, *legam*, ſi originem ipſorum reſpicias, nego eſſe *futura*, *proprie* ſic *dicta*. Sunt enim potius tempora *praeſentia*, ex naturali illa mortalium omnium conſuetudine, (qua *praeſentia* pro *futuris* ubique gentium accipi ſuperius diximus) pro *futuris* poſita, & deinceps ita conſtanter in Latino ſermone adhibita, ut (quamvis etiam apud *Terentium*, nitidiſſimum ſcriptorem, invenias *ſcibo*, *ſervibo*, quin & apud ipſum *Horatium*, Carm. III, 23, 19. legatur in vulgatis editionibus, ſervante etiam hanc lectionem *Baxtero*, MOLLIBIT *averſos penates*,) tamen, *Bentlejo* indice, „ nemo unus Auguſtaei ae-

„ aevi futurum *quartae* conjugationis in IBO
„ protulerit."

Verum, ut illa, quae de *futuris*, *tertiae* & *quartae* Conjugationis Latinae, in *am*, tanquam, natura & proprietate ſua, temporibus *praeſentibus*, ſupra admonui, diſtincte magis exponere poſſim, res ea repetenda eſt paullo altius.

Nempe, quemadmodum ſupra diximus p. 284. „ Latinorum tempora *praeſentia* Subjunctivi *legam*, *amem*, *ſim*, *poſſim*, integre olim prolata fuiſſe *legami*, *amemi*, *ſimi*, *poſſimi*:" ita multo jam confidentius auſim conjicere, ſecundum ea, quae de Graecorum lingua demonſtrata a nobis ſunt, p. 311. ſeqq., Latinis antiquiſſimis haud aliter olim fuiſſe duas *praeſentis* formas; unam in *o*, alteram in *m*, praecedente hanc ſemper aliqua vocalium *e*, *a*, *i*, *u*. Quarum vero formarum priorem illam, in *o* deſinentem, quum *Indicativo Modo* deinceps ita propriam adſignaſſent, ut, in pauciſſimis tantum verbis, hoc eſt, in verbo *inquam*, itemque in verbo *ſum*, & hujus compoſitis *poſſum*, *proſum* cet., terminationem in *m* Indicativo permitterent: poſteriorem hanc terminationem in *em*, *am*, *im*, dederunt *Subjunctivo* Modo, tanquam *propriam* & peculiarem; uti v. gr. in *amem*, *doceam*, *legam*, *audiam*, *ſim*, *poſſim*, *proſim*, *velim*, *malim*: ea tamen lege, ut in *tertia* & *quarta* conjugatione, (aevo potiſſimum Auguſtaeo) eandem quoque terminationem in AM, *futuro Indicativi* darent, altera illa priſca

in

in BO, *tertiae huic* & *quartae* conjugationi denegata.

Ceterum, quod de *futuris* Indicativi & *praeſentibus* Subjunctivi *Activi* hic loci diximus, idem valere quoque de iisdem formis, in verbo *Paſſivo*, vel me tacente, unusquisque jam facile intelliget. Eadem enim prorſus res eſt in *legar*, *audiar*, & ſimilibus formis *Paſſivis*: quippe quae eadem ſub terminatione vim exſerunt & *futuri* Indicativi & *praeſentis* Subjunctivi Modi.

Et, his quidem ex obſervatis, planius aliquanto, ni fallor, intelligi nunc poterunt, quae magnus Voſſius noſter, de vi *futuri* temporis, latente aliquando ſub terminationibus Subjunctivis, in *em*, *er*, *am*, *ar*, erudite admodum commentatus fuit. „ Terminatio haec in *em* & *er*, *am* & *ar*, nunc *praeſentis* eſt temporis" inquit „ nunc *futuri*. Nam *praeſens* eſt, *Cum te* „ *amem*, vel, *diligam fratris germani loco*: item, „ *Cum a te nunc amer*, vel, *diligar quam maxi-* „ *me*. At *futurum* fuerit, *Si aeque in poſterum* „ *amer*: *ſi futuris in annis aeque diligar*, *ſi cras* „ *veniant*, & ſimilia." Quae dicta deinceps exemplis, ex Cicerone & Ovidio productis, confirmat, *De Analog. Lib.* III, c. 15. p. 75. quibus exemplis multa alia adjici poterunt. Ego vero, pace doctiſſimorum Grammaticorum, ſi origines priscas reſpiciam, hujusce generis omnia exempla ad *praeſentium* formas revocare malim: ita tamen, ut *praeſentia* haec *inſtantis* cujus-

juſdam aut *futuri* temporis vim exſerere dicenda ſint; haud aliter, atque in *praeſentium* temporum, pro *futuris* adhibitorum, exemplis Graecis ſupra vidimus, p. 324.

Unde jam ſimul ſtatim elucescent cauſſae ſermonis in ſimilitudine quadam terminationum *futuri* temporis Indicativi, & *praeſentis* Subjunctivi apud Graecos: atque adeo facile apparebit, *futurum* Indicativi ἀκούσω, εις, ει, (ut hoc utar) & *praeſens* Subjunctivi ἀκούω, ῃς, ῃ, ſi rem recte reputemus, origine ſua plane eſſe eadem, neque quidquam adeo diverſitatis utrique huic formae ſubeſſe, modo diſceſſeris ab *adſpiratione* per σ, quae *futuro* Graecorum, tanquam propria *characteriſtica*, data eſt, & terminationibus in ῃς, ῃ, pro εις, ει, recentiori aetate, ſive potius *ſcriptione*, ſubſtitutis. Notiſſimum enim eſt, pro ῃς, ῃ, veteres ſcribere ſolitos fuiſſe εις, ει, atque adeo in terminatione nihil eſſe *veri* diſcriminis, quae ad *origines* linguae pertineat. Neque alia ratio eſt terminationum *dualium* & *pluralium* numerorum, in *Praeſentibus* & *Futuris*: quae ab originum ſtudioſis (ſecundum ea quae de *vocalibus* dicta ſunt ſuo loco) haud difficulter jam intelligentur.

Denique ex eadem hac *praeſentis* & *futuri* temporis ſimilitudine, ſive potius *identitate* (quam dicunt Philoſophi recentiores) in oculos jam incurret, quid ſtatuendum ſit de *futuris*, quae Grammatici Graeci vocare ſolent, *ſecundis*

dis, de *futuris* item verborum in λω, μω, νω, ρω, tam *primis*, quam *ſecundis*, apud eoſdem Grammaticos: qualia ſunt, v. gr. τιῶ, λαθῶ, λιπῶ, τυπῶ, ςελῶ, ςαλῶ, ὀφελῶ, νεμῶ, ναμῶ, καμῶ, σπερῶ, σπαρῶ, τεμῶ, ταμῶ. Haec enim omnia quum *contractas* nobis ſiſtant formas, ex antiquioribus iſtis τιέω, λαθέω, λιπέω, τυπέω, ςελέω, ςαλέω &c. apparebit, has ipſas formas non adeo dicendas eſſe formas *futurorum*, quae σ ſuum amiſerint, ſubſtitutas adeoque pro τιέσω, λαθέσω, λιπέσω cet., quam potius meras eſſe formas *praeſentium* veterum, in quibus nulla *adſpiratio*, ſive σ ſit admiſſa, ſed ſola *contractio* diſcrimen conſtituerit *praeſens* inter & *futurum* Indicativi. Sed haec accuratius explicanda erunt, ad Analog. Lennep. p. 53. E. S.

AD ANALOG. CAP. IV, p. 46, vs. 23.

De Futuris, *in* ξω *deſinentibus* cet.

„*Quae vero in* Futuro *habent* ξω, *proprie loquendo* „*ſibi adjunctum habent* Futurum Doricum *verbo-* „*rum in* σδω". Haec Lennepius p. 46. quae deinceps uberius explicat p. 47. ad finem, inductione verbi ἀφύσσω: cui quum adjungi ſoleant „*duo futura*" inquit, „ἀφύσω & ἀφύξω, *prius* „*illud* ἀφύσω *revera pertinere dicit ad* formam „obſoletam Praeſentis ἀφύζω, *vel potius* primi- „tivum ἀφύω, *poſterius* vero *ad* ἀφύσσω, *tanquam* „*verbum Doricum*, *referendum ſit.*"

Sae-

Saepius perlegenti haec mihi, & cum antecedentibus ac ſubſequentibus componenti, viſus eſt eruditiſſimus praeceptor noſter Lennepius humani quid paſſus fuiſſe; idemque, ni fallor, videbitur omnibus, quotquot attenta mente haec verba expenderint. Si enim veriſſimum ſit, quod pag. 46. ſtatuit vir ſummus, „ ori- „ ri *futura*, in ξω deſinentia, OMNIA proprie „ a verbis, ſive *uſitatis*, ſive *obſoletis*, quae in „ *praeſenti*, ante terminationem ω, habeant li- „ teras vicinas, & cognatas *palatinas* κ, γ, χ:" qui, quaeſo, adfirmare idem potuit Lennepius noſtro in loco, futurum ἀφύξω proprie *pertinere ad formam Doricam* ἀφύζω? Aut igitur litera ξ, ex aliis quoque compoſitionibus, quam ex γσ, κσ, χσ oriri potuit, aut minus firmum eſt ſtatuiſſe, ad ἀφύσσω, tanquam formam Doricam, proprie pertinere futurum ἀφύξω.

Itaque, ſalva reverentia, qua praeceptorem optimum proſequimur, & convenienter ipſius Lennepii menti, immutabimus paullisper, aut amplificabimus potius aliquantum, hanc regulam; hoc modo: „ futurum ἀφύξω, ſi *uſum lin-* „ *guae* ſpectes, referendum quidem eſſe ad ver- „ bum ἀφύσσω, proprie tamen pertinere ad „ obſoletam quandam formam, ſive ἀφύγω, ſive „ potius ἀφύκω": unde jam quam maxime analogice fiat ἀφύξω, uti a λέγω, λέγσω, λέξω; a πλέκω, πλέκσω, πλέξω &c.

Sed

Sed diſtincte magis ſingula haec exponenda ſunt. Diximus igitur, „ ſi *uſum linguae* ſpectes, „ referendum eſſe futurum ἀφύξω ad ἀφύσσω:" quod ut probemus operoſius, minus eſt neceſſarium. Simile enim eſt fut. φρίξω, quod recte ad φρίσσω vel φρίττω, in uſu linguae, referri ſolet a Grammaticis. Cui jungi poterunt verba, quorum *unum futurum* eſſe dicitur, at *duplex praeſens*: uti σφάξω *jugulabo*, φοινίξω *rubefaciam*, μάξω *miſcebo*, a σφάσσω ſive σφάττω, & σφάζω, φοινίσσω & φοινίζω, μάσσω & μάζω. Vide hic *Alex. Scotum*, Univerſae Gramm. Gr. p. 169: & confer *Maittairium* p. 215.

At vero, ſi analogiam primasque origines ſpectaveris, noſtrum ἀφύξω, & ſimilia, referri omnino oportebit ad obſoletum ἀφύγω, ſive potius ad ἀφύκω: id quod de altero iſto φρίξω, ad φρίσσω, referri ſolito, luculenter docuit Lennepius p. 48 D. „ quemadmodum in φρίσσω" inquit „ cujus *futurum* φρίξω, & *perfectum* „ πέφρικα, non aliunde potuerunt oriri, niſi a „ φρίκω: atque EADEM RELIQUORUM OMNIUM RATIO EST."

Quod veriſſime dici, atque adeo *futura* omnia in ξω proprie oriri a *praeſentibus* in γω, vel κω, clarisſime apparebit, ex verbis τμήσσω *ſeco*, & ςάζω *deſtillo*, quod *Dorice* ſcripſeris, per σσ, ςάσσω. Et verbo quidem τμήσσω *ſeco*, (pro τεμήσσω, a τεμήσω, *futuro* verbi τεμέω, quod a τέμω, unde & τεμένω, τέμνω:) huic igitur verbo

τμήσ-

τμήσσω *futurum* tribuitur τμήξω, quod tamen rectius referendum eſſe ad τμήγω, probe jam pervidit Etymologus, ubi col. 273: 27. in voce διέτμαγεν, ΤΜΗΓΩ inquit τὸ κόπτω. ὁ μέλλων, τμήξω. ὁ μέσος παρακείμενος, ἔτμηγα κ. τ. λ. Confirmant hoc ipſum quoque derivata nomina τμήγης *ſector* & τμῆγος pp. *ſectura* apud *Heſychium:* ut omnis dubitandi anſa, hoc quidem in verbo, ſit praeciſa. Neque aliter ſe res habet in altero ϛάζω, ſive Dorico ϛάσσω, *deſtillo.* Hujus enim *futurum* ϛάξω, (quod idem habet Etymologus in ϛακτὴ) proprie non eſſe repetendum a ϛάζω, ſed a ϛάκω, verba Etymologi ſatis probant: παρὰ τὸ ϛάζω, inquit, ϛάξω, ἔϛαγμαι, ἔϛακται, ϛακτή. Quae denuo confirmantur aliis nominibus derivatis, ϛακτὸς, & ϛακτίς: in quibus litera iſta κ evidentiſſime habetur; originisque a ϛάκω manifeſtum nobis praebet indicium.

Poſſet etiam hic loci, *Maittairio* indice, aliud proferri exemplum, e verbo πλάσσω: nempe ἔπλαξε, quod tanquam *aoriſtus* edi ſolet in *Theocrit.* Eidyll. XXIV, 107. ejuſdemque generis thema πλάκω ſibi vindicaret, unde πλακία &c. Sed pro ἔπλαξε, in loco Theocriti, ὁ πάνυ ex editione Florentina, nuper reſtituit ἔπλασσεν: quapropter illud quidem nunc miſſum faciemus, &, ſi tanti eſt, lectorem ablegabimus ad alia, ab eodem *Maittairio*, p. 215. laudata. Ceterum de verbis, quae in *futuro* σω & ξω admittant, vide

etiam ſummum *Hemſt.* ad Ariſt. Pl. p. 299. & *Ruhinken.* ad Timaei p. 158. E. S.

Ad Anal. Cap. IV. 1. 1.

„ *Verba in* ζω, σδω, σσω, ττω, δδω, πτω, *non* „ *niſi* dialecto, *inter ſe differre*".

Ut uno niſu ex omnibus tricis Grammaticis, hoc in verborum genere, nosmet expediamus, haud inutile forſan fuerit, commodo hoc loco animadvertiſſe, verba in ζω, σδω, σσω, ττω, δδω, πτω, uti una eademque gaudent origine, ita quod ad formas ſuas longe minus a ſe invicem diſtare, quam exiſtimari vulgo ſoleat.

Hoc vero ut paullo diſtinctius intelligamus, utamur, quaeſo, eodem illo exemplo, in quo Lennepius varietatem flexionum in Dialectis propoſuit; nempe, φράζω, φράσδω, φράσσω, φράττω.

Omnes has formas unam eandemque agnoſcere originem, ſive ſtirpem primigeniam, φάω, aut φέω, ex iis, quae (Analog. Cap. XII, p. 164, ſſ.) ab auctore dicta ſunt, liquido admodum apparere poterit. A φάω, enim ſive φέω, deſcenderunt φάρω & φέρω, unde denuo producta ſunt φαράω & φεράω, & hinc, per contractionem, factum φράω: quod verbum in *futuro* regulariter formavit φράσω. Hactenus, ni fallor, conſentientes facile mecum habebo omnes, quotquot ſanioris ſtudii hujus analogici guſtu quodam imbuti ſunt.

Iam

Iam vero diſpiciendum erit accuratius, quo pacto ab iſto φράσω, futuro verbi φράω, ceterae formae, quas propoſuit cel. Lennepius, φράσσω, nimirum, φράττω, φράδδω, φράσδω, & φράζω, deſcendere potuerint. Ac primum quidem, pro φράσω, ſive *futuro* conſueto verbi φράω, litera ſibilante σ (quae, omnibus in linguis, facile admodum geminari ſolet) duplicata pronunciaſſe Graecos φράσσω, quis miretur, qui ſecum reputaverit, idem factum eſſe in permultis aliis? A κύω *oſculor*, formatum eſt fut. κύσω, & σ geminata, κύσσω: unde, in *aoriſto*, ἔκυσε Odyſſ. Ψ, 208. & eodem ſignificatu ἔκυσσε Il. Θ, 371. Od. Φ 225. ac ſine augmento κύσσε, Od. π, 15. quod iterum κύσε, ib vs. 190. Il. ζ, 474. Ω, 478 &c.; Deinceps a φράσσω, *futuro* verbi φράω, deductum eſt novum verbum φράσσω; uti ab ἐράω, ἀράσω, ἀράσσω, eſt novum verbum ἀράσσω: & ſic τάσσω, πλάσσω, ἐρέσσω, αΐσσω, ὀδύσσω, λεύσσω, cet. a τάσω, τάσσω; a πλάσω, πλάσσω &c. *futuris* verborum τάω, πλάω, ἐρέω, αΐω, ὀδύω, λεύω. Cujusmodi etiam alia quaedam recenſuit Lennepius infra Anal. p. 186.

In tranſitu hic animadvertendum eſt, Latinorum quoque verba in *ſſo*, ſi originem ipſorum ſpectemus, eandem hanc formationem ſequi: ut, nempe, ſint proprie deſumta a *futuris* antiquis in *ſo* ac *ſſo*.

Amaſſo igitur, *coenaſſo*, *ſervaſſo*, & alia apud *Ennium*, *Plautum*, ceteroſque, (de quibus ſu-

pra dixi p. 329) ſummo jure huc ſunt revocanda. Ab AMAO enim olim quidem factum AMASO, (pro quo Aeoles dixerint *amaFo*, Latini *amabo:*) ab *amaſo* vero AMASSO: & ſic a *coenao*, *coenaſo*, *coenaſſo*; a *ſervao*, *ſervaſo*, *ſervaſſo*. Ab *arceo*, *arceſo*, *arceſſo*; a *prohibeo*, *prohibeſſo*; a *liceo*, *liceſſo*; ab obſoletis vero *faceo*, *capeo*, *laceo*, *ſupereo* (cognato alteri ὑπέρειμι) *faceſſo*, *capeſſo*, *lacesſo*, *ſupereſſo*. A *petio*, itidem obſoleto, (unde *petivi*, *petitum*, *petitio* cet.) *petiſo*, *petiſſo*, uti a *peteo* (πετέω, apud Etymol. col. 662. 141.) *peteſſo*; quin & a *pitio*, (πιτίω, unde πιτίσρα i. q. ποτίσρα, Etymol. col. 673. 27) *pitiſſo*. Conf. *Voſſ.* Etym. & Geſner. in Theſaur. L. L. voce *pitiſſo*: pro qua voce tamen in loco Terentii (ubi ſemel legitur) Heautont. III, 1, 48. *pytiſando* repoſuerunt *Faërnus*, *Bentlejus*, *Forcellinus*. Hoc quidem *pytiſando* eſſet a πυτίω, πυτίζω: unde πύτισμα &c. Sed de his fortaſſe alibi.

Sequuntur jam deſinentia in ττω, uti φράττω: quod, uti φράσσω dici vidimus pro φράσω, reduplicata σ, ita & ipſum pro ſimpliciori φράτω videtur invaluiſſe. Φράτω autem, literis τ & σ permutatis, putem ejuſdem formae verbum eſſe ac φράσω: prorſus uti ἀνύττω, & ἀνύτω, (hoc vero pro ἀνύσω, *futuro* verbi ἀνύω,) uno ex fonte manifeſte profluxerunt. Vide *Maittair.* p. 213. 390. 395. Quod ipſum jam porro dictum velim de omnibus verborum formis, vulgo appellatis, *Atticis* in ττω, pro σσω, ut αἴττω, ἀράττω, ἐρέττω

cet.

cet. quippe quae ab aliis iſtis magis communibus in σσω, ἀίσσω, ἀράσσω, cet. non niſi leviſſima pronuntiatione differunt: imo olim ab ipſis Atticis per σσ fuerunt prolata. Vide hic *Hemſterh.* ad Luciani Judic. Vocal. p. 90--93. & *Valcken.* ad Eurip. Phoen. vs. 406. p. 149.

In tranſitu animadverti hic meretur, etiam Latinos olim verbis in *tto*, pro *ſſo*, haud omnino caruiſſe: uti v. gr. apparet e verbo MITTO, *miſi*, *miſſum*, *mittere*. Verbum hoc a μίτος, FILUM, ducebat olim magnus *I. C. Scaliger*, de Cauſſis L. L. l. 1, c. 32. p. 62." „*quo-* „*niam qui* mittit *elongat*." Rectius, opinor, vocem μίτος duxiſſet a μίω: quod verbum, niſi, cum *Iſaaco Voſſio*, repetere velis ab ἴω, praefixa μ, (uti μόχος, μόχλος dicta eſſe pro ὄσχος, & ὄχλος ipſe ſtatuit *Lennepius*, Anal. p. 208.) cognatum fuerit alteri μόω, *motumque* adeo notaverit, quo quid *elaxetur* & *projiciatur*. A μίω igitur *futurum* descendere potuit μίσω, hinc μίσσω, μίττω MITTO. Ab eodem porro μίω, ſive *perfect. paſſ.* μέμιται, vox μίτος ſubſtantive notat *licium*, ſive *filum* quod e manu *emittatur* & ſtamini *implicetur*. Demonſtrat autem ſupinum MISSUM, (a μίσσω pp. deſumtum) alterum illud MITTO, μίττω, Doricum eſſe in ττω, atque adeo ejusdem originis, aut potius ejuſdem formae verbum.

Neque majorem difficultatem habebit tertium genus in δδω: quod ita jam convenire deprehendetur cum ſuperioribus iſtis in ττω, ut lite-

rae ϑ & δ, quotidiano omnium linguarum uſu, invicem ſolent permutari. Vide hic iterum *Maitt.* Alphab. Diall. p. 376 & 394, in primis vero p. 213. (ubi in medium prolata ſunt πολόδδω, θερίδδω, μυσίδδω cet.) & *Voſſ.* de Liter. permutat. p. 9 & 31. qui plura dabit.

Ex quibus ſatis ſuperque manifeſtum eſt, ea omnia verba, quae σ, τ, δ, vel σσ, ττ, δδ, ante terminationem habent, origine ſua convenire, & pro iisdem plane accipienda eſſe: dialecti varietate tantum intercedente.

Verum & hic iterum, ὡς ἐν παρόδῳ, obſervari meretur, etiam Latinorum verba in *do* (uti ex *futuris* in *ſo* hoc genus ortum proprie videtur; litera *s* in *t*, ac *d*, transmutata:) cum illis in *ſo* maximam colere adſinitatem, & ex iiſdem adeoque ſtirpibus eſſe propagata, unde orta ſunt verba in *ſo*. Id quod gemino exemplo, ad majorem linguae Latinae illuſtrationem, confirmare conabimur.

Verbum EDO, *edi*, *eſum*, *edere*, aſſinitate longe arctiſſima contineri cum ſtirpe ἔω, vel ἔμι quis ambigat? Declinatio enim ejuſdem verbi per *es*, *eſt*, *eſſe*, *eſtur*, hoc eſt *edis*, *edit*, *edere*, *editur*, id demonſtrat apertiſſime. Patet idem quoque ex derivatis ESCA, *eſus*, *eſito*: ut nemo poſſit obloqui. Iam vero, unde, quaeſo, iſta convenientia in flexione? Ex hoc, nimirum, quod verbum EO, ἔω, vel ἔμι (unde in 2. perſ. praeſentis ἔσι ES &c.) in *futuro* habu-

buerit *eſo*, quod, ex permutatione iſta literarum, quam ſupra diximus, dederit deinceps *eto*, *edo*: litera primigenia *s* manente iterum in ſupino *eſum*, & originem hanc, quam dedimus, extra dubitationis aleam collocante.

Alterum verbum, quo exempli loco uti volebam, eſt CEDO, *ceſſi*, *ceſſum*, *cedere*. Hoc quidem verbum ab Hebr. עזר repetere velle, uti olim fecerunt viri docti, ridiculum hodie foret: neque multo certior eſt *Voſſii* derivatio ab εἰκάθω, vel χάζω. Nihil utique ſimplicius, quam ſtatuiſſe, uti EDO eſt ab EO, Gr. ἔω, ita CEDO noſtrum eſſe a *ceo*, Gr. κέω. Simplex & hic ſigillum veri. Fuit autem ſtirps κέω cognata alteri κίω & κάω: quibus primariam, eamque communem, *movendi*, notionem tribuit *Lennepius*, in Etymologcio: & verbi quidem κέω noſtri propriam notionem poſitam eſſe dicit „ in *motu*, qui fiat *impellendo*, *allidendo*: hinc „ autem natam eſſe ſignificationem, qua quid, „ *percuſſum findi* intelligatur." Hoc filum ſequentibus haud magno opere laborandum jam nobis erit, in explicatione proprietatis verborum *cedo*, *cēdo*, *caedo*, κήδω, κήδομαι & ſimilium.

Iſto enim pacto, ex primaria notione *movendi*, verbum Lat. CEDO geminam habere potuit poteſtatem; alteram *admovendi*, atque adeo *porrigendi*, *tradendi*, *dandi*: alteram *amovendi*, *removendi ſe* e medio, *diſcedendi*, *abeundi*. Itaque jam

cedo, per ſyncopen quandam, pro *cedito*, vel *cedto*, & mox, priori ſyllaba, propter uſum frequentiſſimum, ut videtur, correpta, idem ſignificaverit proprie atque *admoveto*, *porrigito*; uti CETTE, ex *cedte* eſt pro *cedite*, pp. *admovete*, *porrigite*. Sic in illo *Ennii* apud Nonium: „ *Cette* manus veſtras, measque *accipite*"; *cette*, id eſt *porrigite*, *admovete* manus veſtras; & ſic in aliis ab eodem Cap. II §. 27. laudatis. Ita quoque in *Plaut.* Merc. V, 3, 4. „ *cette* dextras nunc „ jam; id eſt *porrigite*, *admovete* dextras. In *ſingulari* vero, apud eundem *Plautum*, frequentiſſime legitur eodem hoc in uſu: ut proprietatem verbi *cedo*, quae eſt in *movendo*, *admovendo* agnoſcas quam certiſſime. Vide modo, ſis, Caſin. II, 6, 27. (ubi *cedo* fortaſſe eſt praes. Indicativi, in verbis: „ *Accipe* hanc ſis. CH. „ *Cedo*, mane." cet.) porro Epid. IV, 1, 32. Menaech. III, 3, 20 ad 23., Merc. I, 2, 38. Moſt. I, 4, 19. &c.

Alterum verbum CEDO, *ceſſi*, *ceſſum*, *cedere*, cum priori ſyllaba producta, notionem *amovendi*, *removendi* ſe *e medio*, quam clariſſime exſerit: ut ſexcenta probant loca ſcriptorum, & quotidiano ex uſu unicuivis ſatis conſtat. Denique, ne nimii ſimus in argumento leviori, en tibi verbum κήδω, hoc eſt Lat. CAEDO, ni fallor, maxime proprio in uſu apud Homerum, Il. E, 404.

Cui

Ος τόξοισιν ΕΚΗΔΕ θεὺς, οἳ ὄλυμπον ἔχυσι.

Cui neſcio an ſimile nonnihil ſit illud *Perſii*, Sat. IV, 42.

Caedimus, *inque vicem praebemus crura ſagittis* Ut *Homeri* phraſin τόξοισιν ἔκηδε θεὺς, ſecundum proprietatem verbi, commode ſic poſſis reddere: *ſagittis* CECIDIT, ideſt, *laeſit*, *compunxit*, *vulneravit deos*. Unde porro idem κήδειν & κήδεσθαι, ad animum tranſlatum, notare potuit *dolores ſaucia ntes*, *vulnerantes*, *ſtimulantes*, qualis fere metaphora etiam eſt in Belg. & Brittannorum *grieven*, *to grieve*, *grievance* &c. itemque in *ſpyten*, *to ſpite*, & aliis Graecis κεντέω, ἀχεύω cet. Imaginem vero hanc plenius expreſſam habebis in eodem loco Homeri, quem ſtatim tetigimus vs. 399.

Κῆρ ΑΧΕΩΝ, ὀδύνῃσι ΠΕΠΑΡΜΕΝΟΣ.
Αὐτὰρ ὀϊςὸς
Ὤμῳ ἐνὶ ςιβαρῷ ἠλήλατο. Κῆδε δὲ θυμόν.

Sentis, opinor, verba ἀκέω (unde ἀχέων) i. q. ἀκέω Lat. ACEO, *ere*, Belgice pp. *geprikkeld worden*, *prikkelingen lijden*; πεπαρμένος pp. *compunctus*, *confixus*, & κῆδε *ſauciabat* ſagitta (eadem metaphora continuata) eleganter admodum unam in ſeriem connexa eſſe. Adde his jam alia loca in quibus noſtra κήδειν, κηδέειν, κηδέσκειν, κήδεσθαι, de dolorum *acerbitate* &

compunctione, animum quaſi *vulnerante*, ac *ſollicitante* adhibentur; uti Il. Λ, 458. Φ, 370. Ω, 240. Od. I, 402. Ψ, 9. Il. A, 56. B, 27. &c. quibus ex locis animadverſionis hujus qualiscumque noſtrae, de verbi κήδειν proprietate, abunde conſtare poſſit veritas. Ubi tamen & illud obſervare velim, idem hocce κήδεσθαι ſaepius univerſe uſurpari de *impulſione* quavis & *commotione* graviore animi, ut fere ſimpliciter per Lat. COMMOVERI curiſque *ſollicitari* atatque adeo *curare* impenſius, reddi queat, originemque ſuam a κέω *moveo*, *impello* prodat apertiſſime. Vide Il. Σ, 55. I, 342. Od. P, 397. T, 23. X, 358 &c.

Sed e diverticulo in viam. Perveneramus ad formas Doricas in σδω, (Analog. Lennep. p. 46. extrema) ut φράσδω: cujus generis complura nobis praebent Grammatici συρίσδω, ὀρίσδω, & ſimilia. Vide *Maittair*. p. 213. Quae quidem omnia ita conformata videntur fuiſſe, ut in his terminatio σδω, pro δσω, invaluerit: literarum δσ facta trajectione in σδ. Itaque verbum ὄσδω (ut hoc utar) idem plane eſt atque ὄδσω, quod brevius deinde per ζ ſcriptum ὄζω. Conf. hic *Haverk*. de Ling. Gr. veteri pronuntiat. p. 65. Stirps igitur eſt ὄδω, unde facta ὄδσω, & per metatheſin ὄσδω, atque ita in ceteris.

Unde porro ſequitur, verba in ζω, quae hic reſpiciuntur, proprie conformata fuiſſe per δσω, & ſimpliciter adeoque eſſe repetenda a ver-

verbis in *δω*, quae in *futuro*, poſt ſuum *δ* (ex altero quodam *σ* ortum, ut ſupra vidimus) novum *σ*, *characteriſticum* futuri, acceperint. Itaque uti *ὄζω odorem reddo*, eſt pro *ὄδσω*, ex *ὄδω* (Lat. veteri ODO; unde Gr. *ὀδωδή*, & Lat. ODOS, ſive ODOR: ita *κάζω exorno* pro *κάδσω*, derivandum fuerit a *κάδω*. Quorum quidem verborum, *ὄδω* & *κάδω*, ſtirpes ſi ulterius indagare volueris, recurrendum tibi erit ad primitivas formas *ὄω* pp. *fero*, & *κάω* cognato ſuperiori iſti *κέω* & *κίω* „ *moveo*, *motum pono*, *diſpono*:" uti de poſteriori hoc verbo ſtatuit Lennepius, in Etymologicis. ODOREM autem a *ferendo*, *effluviisque*, quae Philoſophi dicunt, quoquoverſus *dilatis*, & *diſſipatis*; ORNATUM vero a *diſpoſitione apta* dici, quis miretur? Porro veriſſimam eſſe ejuſmodi, duobus his in verbis, *ὄζω* & *κάζω*, etymologiam, docere ſatis poterunt formae cognatae. Verbo *ὄζω* enim mutuo datum eſt *futurum ὄσω*, uti *κάσω futurum* eſt uſitatum verbi *κάζω*: quae vel, ſola *futura*, *ὄσω* & *κάσω*, noſtro judicio, evincere poſſint, ſtirpes germanas fuiſſe *ὄω* & *κάω*. Quibus accedunt rationes *nominum ὀσμὴ*, *ὀσμὸς*, & *participii κεκασμένος* aliaque, alio in loco plenius fortaſſe explicanda.

De verbis tandem in *ζδω* ut ſingulatim hic loci agamus, opus non eſt: quippe quorum cauſſae ex aliis planiſſime jam poſſunt cognoſci. Confer ſi tanti eſt, *Maittair*. p. 213., uti & *Palmerii* Excercitat. p. 526.

Sed

Sed mirum videri queat, verba in πlω, a ſummo praeceptore noſtro *Lennepio*, eandem quoque in claſſem eſſe relata. Quid enim, quaeſo, harmoniae apparebit, primo adſpectu, inter verba in σσω, llω, ςδω, δσω, δδω & poſtremum hocce genus in πlω? Nihilominus tamen docent Grammatici veteres, ſummam olim fuiſſe ſimilitudinem, inter verba in σσω & πlω: idemque hoc, linguae Graecae uſu, confirmatur certiſſime. Vide hic locum Euſtathii, laudatum a Lennepio pag. 47. ubi adducta reperies verba πίπlω & πέσσω, ὄπlω & ὄσσω, νίπτω & νίσσω: quibus alia jungi poterunt λίπlω & λίσσω, λύπlω & λύσσω.

Reſtat igitur, ut diſpiciamus, unde originem habeat haec tanta, tam diverſis in verbis, ſimilitudo.

Mea quidem ex opinione res ita ſe habet. In *futuris* verborum vera *characteriſtica* olim non tantum fuit σ ante ω, ſed etiam β, ſive B Latinorum, ortum ex *digammate Aeolico*. Qua de re ſuperius plura diſputavimus, p. 326. Itaque uti pro ἀμάσω, ab ἀμάω, dixerunt etiam ἀμάϜω, & ἀμάβω, AMABO; eodem modo pro καλύσω, futuro verbi καλύω, (quod productum a κάλω CALO, cognato alteri κέλω CELO,) pronuntiarunt quoque καλύϜω & καλύβω. Quod ipſum poſterius καλύβω paullo fortius prolatum videtur fuiſſe καλύπω, litera β *tenui* in *mediam* π converſa: unde porro factum eſt καλύπlω.

Quae

Quae tamen, ne temere nimis poſuiſſe dicar, nunc deinceps per partes erunt probanda. Principio dixi, „verbi καλύπτω ſtirpem antiqui„orem fuiſſe verbum κάλω, cognatum alteri „κέλω:" id quod ex conſtanti illa adfinitate verborum, vocalibus α & ε tantummodo diverſorum, ſatis ſit veriſimile, & vel ſola comparatione verbi Latini Celare, Græcique nominis κελύφη, cum laudato verbo καλύπτειν, abunde confirmatur. Deinde notanda hic eſt vox κάλυξ, κάλυκος, Lat. calyx, calycis, manifeſto deſcendens ſive a praeter. perf. κεκάλυκα, ſive a nova verbi forma καλύκω, atque adeo certiſſime repetenda a καλύω, ex κάλω. Hoc ipſum vero κάλυξ quum, Etymologo teſte, col. 487: 37. ſignificet idem, atque ἄνθος ῥόδου μεμυκὸς, vel potius, ut habetur col. 502: 52, κάλυξ ſit ἡ καλύπτουσα τὰ ῥόδα: ſponte ſua in oculos jam incurret, κάλυκα, calycem, dictam eſſe a *tegendo*, *occultando*; (unde etiam κάλυκες, ſive κάλυγες, apud *Heſychium*, exponuntur τὰ ἔμβρυα:) & ſimul adeoque evidentiſſimum erit, verbum καλύειν eandem *occultandi* notionem olim exſeruiſſe.

Jam vero ab iſto καλύω, ea, qua diximus, lege factum eſt καλύβω; unde καλυβὸς *thalamus*, & καλύβη *tugurium*, quin & ipſe *aoriſtus*, vulgo dictus, *ſecundus* ἐκάλυβον. A καλύβω autem (fortiori nonnihil adhibita pronuntiatione) exortum fuit καλύπω & hinc καλύπτω: pro quo ve-

veteres etiam uſurpaſſe καλύσσω & καλύπτω, certiſſimum eſt. Vide *Phavorinum*, col. 982: 42. & col. 1683. voce σιλπνός: ubi plura. Denique eadem res eſt in κρύβω, unde κρύπω, κρύπτω, & βλάβω, unde βλάπω, βλάπτω ſimilibusque: quorum verae ſtirpes invenientur, ſi literam *inſititiam* π poſitam eſſe putaveris pro β, hanc vero β arceſſiveris ex *adſpiratione* quadam, in *futuris* adhibita; quam quidem *adſpirationem* reliqui Graeci vulgo expreſſerint per σ, dicentes v. gr. pro *amaho*, ἀμάσω, Aeoles vero & Latini, repraeſentarunt per F, β, *b*, unde ἀμάϜω, ἀμάβω, AMABO. Sed de his ſuperius.

Visne &, epimetri loco, egregium aliquod exemplum, unde pateat, literas πτ, in verbis Graecis, ante ω *finale* poſitas, cum duplici σ, in *futuris*, (quantum ad verborum formas originales attinet) omnino convenire, atque adeo diverſiſſimis ſignificationibus, quas utrisque his in verbis reperimus, quasque *ſecundarias* dicimus, illuſtrandis anſam praebere opportuniſſimam, en tibi verba ἐρέπτω & ἐρέσσω, ſive ἐρέττω. Haec duo verba, ſi ſignificationem eorum externam reſpicias, toto coelo a ſe invicem videbuntur diſtare. Ἐρέσσειν enim, teſtantibus Lexicographis, notat „ *remigare* & *impellere:*" ἐρέπτειν vero ſive ἐρέπτεσθαι „ *edere*, *tegere*, *orna-* „ *re*, *coronare.*" In quibus utique nulla omnino apparet ſignificandi convenientia: quam tamen, in poſterioris ſaltem verbi diuerſis uſibus, apud

apud Graecos obtinuiſſe olim certiſſimum eſt, ſi vera ſit magni *Scaligeri* obſervatio, ubi de *Cauſis Ling. Lat.* L. XIII, Cap. 193. p. 449. demonſtrat, „ Unius vocis *unam* tantum eſſe „ ſignificationem *propriam* & *principem*." Quod ipſum veriſſimum omnis literaturae ſanioris dogma deinceps, hoc noſtro ſeculo, extra omnem dubitationis aleam, collocavit ſchola *Schultenſiana* & *Hemſterhuſiana*.

His igitur fundamentis inſiſtentes, adfirmare non veremur, verba ἐρέπτειν & ἐρέσσειν, non ſecus ac καλύπτειν & καλύσσειν, & reliqua ſimilia, una eademque gaudere origine: quippe deſcendentia a formis *futuris* ἐρέω, ſive *erého*, ἐρέσω, ἐρέϜω, verbi ἐρέω, cujus vera ſtirps eſt ἔρω, ſive ἔλω, *traho*, *attraho*. Applicita autem fuit haec *trahendi attrahendive* notio, ad *ductionem*, ſive *adductionem remorum*: unde in ἐρέσσειν eſt ſignificatio *remigandi*, *remosque adductos* iterum *impellendi*. Rurſus eadem *trahendi*, *attrahendi* notio, in altero ἐρέπτω, ſive potius ἐρέπτομαι, tranſlata eſt ad brutorum animantium, equorum in primis, *comeſtionem*, ubi *gramen*, v. gr. *lotum*, *foenum*, ore ſuo *trahentes rapaciter* vorant. Qua de cauſſa apud Polluc. L. VI. Segm. 42. reperias, ἐρέπτειν dici τὸ συντόνως ἐσθίειν. Ceterum, in uſu hujus verbi, probe attendendum eſt ad formam *Mediam*, qua ἐρέπτομαι proprie notet *traho ad me*, ore *attraho* ad me lotum & ſic *comedo*. Vide Iliad. B, 776. E, 196. Θ, 560.

Φ,

Φ, 204. Od. 1, 97. &c. Ex qua quidem obſervatione ſimul apparebit, *Henr. Stephanum*, aliosque doctiſſimos Lexicographos, haud ſatis recte (poſt Etymologum magnum, col. 370. 372 & alibi) noſtrum ἐρέπτω repetiiſſe „ ἀπὸ τῆς „ ἔρας, id eſt, a *terra*, in quam *inclinati erant* „ bruta: ut ſit quaſi εἰς ἔραν κύπτειν." Simplicitas, quae, in linguis etiam, unice regnat, derivationes hujusmodi *compoſitas* non admittit. Verbulo adhuc addendum eſt, literam β (pro qua alteram π invaluiſſe diximus in κρύπτω, ἐρίπτω & ſimilibus) alibi quoque ſaepiſſime inſertam deprehendi vocibus; ſive factum id dixeris loco *ſpiritus aſperi*, vel *lenis*, ſive alia quacumque de cauſſa: ut in φέρβειν, pro φέρειν, apud *Callimach. Hymn.* in Cererem, vs. 137. Vide *Valck.* ad Scholia in Phoeniſſ. Euripid. p. 702. cujusmodi alia complura inferius producentur ad pag. Anal. 207. E. S.

AD ANALOG. CAP. IV, p. 53.

De Futuris Atticis, ut δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, ἐξολῶ.

„ *Futura* hujusmodi *formata fuiſſe*" cenſet Lennepius „ *a futuris in* άσω, *vel* έσω: SUBLA„ TA nimirum *inter vocales*, ad morem Ioni„ cum, *litera* σ. Ad hanc igitur, rationem *vera* „ iſtiusmodi *futura* fuiſſe δράσω, ἐξελάσω, κρεμά„ σω, & ἐξολέσω: ex quibus, σ ſublata, deinceps

„ ceps Jonica facta ſunt δράω, ἐξελάω, κρεμάω, „ & ἐξολέω; & hinc denique Attica contrac- „ tiora δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, ἐξολῶ.” Haec vero etſi probabiliter diſputentur, atque etiam aliis ita viſum fuerit (ut *Hemſterh.* ad Ariſtoph. Plut. p. 217. *Pierſono* ad Moerid. Attic. p. 17-124.) pace tamen ſummorum virorum nonnihil adhuc dubitaverim, an veritati ſatis ſint conſentanea. Hoc unum ſaltem certiſſimum eſt, eo pacto, a priſcis iſtis, quae dicuntur, δράσω, ἐξελάσω, κρεμάσω, ἐξολέσω, ad contractas formas δρῶ, ἐξελῶ &c. breviſſima via non perveniri. Litera enim σ, his in futuris, & in aliis formis ſimilibus, orta eſt ex *ſpiritu* quodam ſive *aſpero* ſive *leni*, uti ſuperius a nobis eſt demonſtratum p. 350. Quod ſi recte ſe habeat, conſequatur inde neceſſe eſt, non utique δράω, ἐξελάω, κρεμάω, ἐξολέω, dicta fuiſſe pro δράσω, ἐξελάσω &c. ſed contra, δράσω prolatum fuiſſe pro δράω, ἐξελάσω pro ἐξελάω, & ſic porro. Verius igitur dixeris, futura δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, ἐξολῶ, contractas quidem fuiſſe ex δράω, ἐξελάω, κρεμάω, ἐξολέω: ſed haec ipſa δράω, ἐξελάω, κρεμάω, ἐξολέω, eſſe formas *futurorum*, ſine iſto σ, quod loco *ſpiritus*, in plerisque *futuris* Graecis, uti & in formis *praeſentium* nonnullis, poſtea ſit adſumtum. Vide dicta ſuperius pag. 340. 341. E. S.

AD ANALOG. Cap. V, p. 58. 59.

De ſignificatione temporis AORISTI, *apud Graecos.*

Diſcrimen, quod Cel. Lennepius in lingua Graeca locum habere obſervat, *Aoriſtum* inter & *Praeteritum perfectum*, adeo evidens eſt, ut vix operae pretium ſit, alia exempla, quibus ulterius confirmetur, huc adduxiſſe. Dabimus tamen unum alterumve ſimile, tironum in gratiam. Itaque, uti εὐδόκησα Matth. III, 17. ab auctore exponitur per *acquievi*, *acquieſco*, & *acquieſcam*; (qua in interpretatione vir ſummus videtur ſecutus *Hogevenium* ad Viger. Idiotiſm. Cap. V, 3, 11. p. 214. 215.) ita dictum illud egregium Heſiodi, Ἔργ. vs. 372.

Πίςεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιςίαι ὮΛΕΣΑΝ ἄνδρας·

Latine ſic poſſis reddere: „ *Credulitas autem pariter ac diffidentia* PERDIDIT, PERDIT, & PERDET *viros.* Neque aliter apud eundem vs. 355.

Δώτῃ μεν τις ἜΔΩΚΕΝ, ἀδώτῃ δ' ὄτις ἜΔΩΚΕΝ.

Datori namque quis DEDIT, DAT, DABIT; *non danti vero nemo* DEDIT, DAT, DABIT.

Atque

Atque adeo illud *nemo* DEDIT, DAT, DABIT, idem jam eſt, ac ſi dixeris: *nemo* DARE SOLET; quod habet interpres Heſiodi Latinus. Quibus ea adjunge, quae *Valckenarius*, poſt *Stephanum*, *Graevium*, *Hemſterhuſium*, *Gatakerum*, & *Bentlejum*, de eadem hac vi *aoriſti* admonuit ad fragmentum pulcherrimum *Euripidis*, in Archelao, Diatrib. p. 162. ubi pro ἐνέλαβε ſive ἐν ἔλαβε, vir ſummus, repoſuit ἐνέλαμψε, hoc eſt, SOLET ENITESCERE. Adeant tirones quoque *Vigerum* ſuum l. l. Cap. V, 3, 11. & *Hogevenium*, qui complura opportuna annotarunt. Deſino in loco Apoſtoli Petri Epiſt. I, Cap. I. vs. 24-25. ἘΞΗΡΆΝΘΗ ὁ χόρτος, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἘΞΈΠΕΣΕ. Τὸ δὲ ῥῆμα Κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα. Quae verba ſi comparentur cum effato apud Jeſaiam, unde ducta ſunt, Cap. XL, 7. יבש חציר נבל ציץ, literaturae orientalis peritus lector facile intelliget, *aoriſtos* iſtos ἐξηράνθη & ἐξέπεσεν eandem illam vim exſerere quam indicavit *Valckenarius*, quamque Hebraei *praeterito* ſuo, aut etiam *futuro* tempore, exprimere ſoleant. (Vide hic Syntaxin Schroederianam, Reg. XLVI, 3. coll. XLVIII, 2.) At ſimul inde, ni fallor, conſtabit, haud ſatis accurate praeſtantiſſimos interpretes Belgas Graecam phraſin, in loco Petri, ſic reddidiſſe: *Het gras* IS VERDORRET, *de bloeme* IS AFGEVALLEN. Praeteritum enim Belgarum eam vim non exſerit, quae eſt in *Aoriſto* Graeco. Debuiſ-

buiſſent igitur reddere, uti fecerant apud Jeſaiam, *Het gras* VERDORT, *de bloeme* VALT AF. *Maar het woord des HEEREN* BESTAAT *in eeuwigheid.*

Ceterum non ſolos Hebraeos adhibere PRAETERITUM ſuum, ubi Graecos AORISTO uti vulgo ſolere modo vidimus, ſed etiam Latinos idem facere, erudite docuit magnus *Bentlejus* ad Horat. Carm. Lib. III, 23, 19. ubi pro *mollibit*, ex optimae notae Codicibus Mſſ., reponebat MOLLIVIT: ut talis oriretur ſtructura:

Immunis aram ſi *tetigit* manus,
Non ſumtuoſa blandior hoſtia
MOLLIVIT averſos penatis
Farre pio, & ſaliente mica.

Obſervat ibidem Criticorum ille princeps „PRAETEITUM, hic loci, poni in ſignificatione PRAESENTIS, vel potius PERPETUI TEMPORIS" Poſſis tamen, mea quidem ſententia, iſtiusmodi *praeterita* paullo aliter adhuc accipere; ut *mollivit*, in illo dicto Horatii idem ſignificet ac *mollivit unquam;* prout nos Belgae diceremus. „*Geen koſtbaar offerdier* HEEFT *ooit aangenamer de vertoornde huisgoden verzagt.* Ita certe in altero loco Horatii Epiſt. I, 247.

Non domus & fundus, non aeris acervus & auri
Aegroto domini DEDUXIT corpore febres;

Non

Non animo curas.

Belgice: „ HEEFT OOIT de koorts, of zorgen" VERDREVEN, Qui color orationis magis adhuc illuſtrabitur ex ejusdem *Horatii* Ep. I, 16, 67.

PERDIDIT arma, locum virtutis DESERUIT, qui
Semper in augenda feſtinat & obruitur re.

uti & illo *Virgilii*, Georg. Lib. I, vs. 181.

Saepe exiguus mus
Sub terris POSUITQUE domos, atque horrea FECIT,
Aut oculis capti FODERE cubilia talpas.

Poſſis etiam addere illud Auctoris ad Herenn. L. II. c. 19. *Si multos* INDUXIT *in peccatum pecuniae ſpes; ſi complures ſcelere ſe* CONTAMINAVERUNT *imperii cupiditate; ſi multi leve compendium fraude maxima* COMMUTARUNT: *cui mirum videbitur, iſtum a maleficio, propter acerrimam formidinem, non temperaſſe?* Ex quo certe poſtremo exemplo clariſſime apparet, *praeteritum* illud non adeo eſſe *perpetui temporis*, ut vir maximus, R. Bentlejus, vocavit, quam potius *temporis vere antegreſſi*, cujus intuitu argumentum duci poſſit ad futura alia ſimilia.

Denique monendi ſunt tirones, ipſos etiam Graecos, pro AORISTO ſuo, tali in ſtructura, nonnunquam uti PRAETERITO PER-

FECTO: uti contra pro PERFECTO adhibere poſſunt *aoriſtum.* Utriusque adſerti veritatem probet illud Homeri Iliad. A, 37.

κλυθί μευ Ἀργυρότοξ᾽, ὅς χρύσην ἈΜΦΙΒΕΒΗΚΑΣ
Κίλλαν τε ζαθέην, τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις,
Σμινθεῦ. ἔιποτέ τοι χαρίεντ᾽ ἐπὶ νηον ἜΡΕΨΑ
Ἢ ἐι δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί᾽ ΕΚΗΙΑ.

Vide porro eruditiſſ. *Hogevenium* ad Viger. Idiotiſm. l. l. p. 215. ubi etiam alios *Aoriſti* Graecorum uſus eximie illuſtratos reperies. E. S.

AD ANALOG. CAP. V, p. 60.

De Augmento in verbis.

„ Antiquiſſimis temporibus, apud Grae„ cos," vix ullum *augmentum* locum habuiſſe conjicit *Lennepius:* idque „ multa veſtigia do„ cere" dicit „ in antiquiſſima dialecto Io„ nica conſpicua." Nempe, apud Ionicos ſcriptores, ea fere conſuetudo obtinet, ut *augmentum* modo *adhiberent*, modo *omitterent*, pro lubitu fere, aut prouti verſus ratio exigeret. Itaque apud poëtarum principem reperias modo τεῦχε, Il. A, 4. Λ, 623. Od. K, 18. 118. modo ἔτευχε Il. N, 259. Ξ, 314. Σ, 372. Od. Σ, 349. τίκτε Il. B, 628. Λ, 224. N, 452. Π, 34. Φ, 188 & ἔτικτε Il, E, 547. Z, 206 &c. aliaque. Ita

Ita βαίνε & ἔβαινε, βάλε & ἔβαλε, βὰν & ἔβαν ſimiliaque complura alia. Apud *Herodotum* legitur modo ἔσαν, *ſine* augmento; modo ἦσαν pro ἔεσαν, *cum* augmento; & ſic ἄγον & ἦγον pro ἔαγον: quod tamen diſcrimen amanuenſium arbitratui acceptum fert *P. Weſſelingius*, ad Lib. I, 62: p. 30. 69: p. 34. Vid. *Portus* a ſummo viro h. l. laudatus, quem „ neglectae ἀὐξήσεως „ cumulum congeſſiſſe refert:" & confer iterum *Weſſeling.* ad Lib. V, 301. p. 391.

Mihi quidem *augmenti* hujus Graeci rationes accuratius expendenti, veriſimile admodum viſum eſt, (id quod *Lennepio* placuit) „ AUGMENTUM UNICUM tantum, & quidem ε, ab *ini*„ *tio*, verbo adjectum fuiſſe." Et in hujus quidem *augmenti* ε cauſſas ſi inquiſiveris paullo penitius, reperies mecum fortaſſe, „ ε hoc ab „ *adſpiratione* quadam eſſe repetendum." Qualem *adſpirationem* non *Syri* tantum & *Chaldaei* adhibere ſolent, dicentes, verbi cauſſa, אשתה *eſchtee* & שתה *ſchtee* h. e. *bibe*, ארכרי *edkeri* i. e. *recordare* cet. (Vide hic *A. Schultens.* Inſtit. Aram. p. 76.) & Arabes; ubi pronuntiant *ebnon*, pro *bnon*, בן *filius* (quod ipſum *e*, pro *radicali* litera, per imprudentiam accipiebat olim Theologus conſummatiſſimus, *Camp. Vitringa*, in Commentar. ad Jeſ. LI, 3. T. II. p. 621. ubi Arabum אבן, ابن pro بن, componitur cum Hebr. אבן *lapis*, quum Ar. ابن *filius* manifeſte pertineat ad ſtirpem בנה Ar. بنا *ſtruxit*, *aedificavit*,

non vero ad אבן أبن *Concrevit;* unde eſt אבן *lapis:*) verum etiam Franco-Galli eodem *e* quotidie utuntur pro *adſpiratione* leviſſima, in vocabulis quibusdam, duas conſonas a principio habentibus, atque è Latino Belgicove fonte repetendis, *eſpace* pro *ſpace*, *eſtomac* pro *ſtomac*, *eſtoc* pro *ſtok;* qua de re diximus in *Primis lineis inſtitutionum ad fundam. Dial. Arab.* R. L. p. 30.

Quid quod ipſi Graeci idem ε, facilioris pronuntiationis cauſſa, ſaepiſſime praemittunt vocibus ſuis, tam a *conſonante*, quam a *vocali* incipientibus: uti v. gr. in κεῖνος & ἐκεῖνος, ῥεύγω & ἐρεύγω, ἕδνα & ἔεδνα, θέλω & ἐθέλω. Sed de his vide Anal. Lennep. Cap. XVI, p. 203.

Ex quibus veriſimile jam fit, quod Lennepio placitum: „ vocalem ε, quae in *praeteritis* „ verborum *augmentum* conſtituere vulgo cen- „ ſeri ſolet, ad formas *primitivas* iſtorum tem- „ porum omnino non pertinere, atque hac de „ cauſſa a ſcriptoribus *Jonicis*, & aliis (de quibus vide Maittair. p. 124.) ſaepiſſime negligi.

Quod autem cel. Lennepius, p. 61. admonuit, nomen ἔρση, quae vox pp. ſignificat *rorem*, [plantis *adhaereſcentem* ab obſol. ἔρω *necto;* unde Lat. *ſero* &c.] ut praeter alios docet *Graevius* ad Heſiodi Theog. vs. 83. p. 310. hoc igitur nomen ſervaſſe *augmentum* ſuum, ut efferatur etiam ἐέρση, [uti v. gr. Il. Ψ, 598. Od. Ε, 457.] & ſimilia, ἑορτὴ, & ἐόργη, ſervato, eadem ratione, *augmento:* idem quoque praedicari poteſt, de vocibus

cibus ἔεδνα, & ἔελδωρ: quin & ε, ab initio ſaepius praemiſſum, legi, oſtendit linguae Graecae uſus, ut paſſim apud *Homerum*, in ἐείκοσι adhibita pro vulgari ἔικοσι, (ob metri leges ut cenſebat *Cl. Weſſeling.* ad Herod. II, 132. p. 159.) in ἐεικοςὸς, pro ἐικοςὸς. Sed de his infra monendum erit ad p. 204. ubi plura dedit Lennepius. E. S.

AD ANALOG. CAP. V, p. 61. 62.

De Augmento temporali.

Augmentum *temporale*, quod vocarunt Grammatici, „ nihil aliud eſſe, niſi ε, quod, cum *prima* verbi vocali, *contractum* coaluerit: " luculenter admonet Lennepius.

Veriſſimam hanc eſſe obſervationem, demonſtrant exempla, in quibus ε iſtud, *ſine contractione*, nudum adhuc conſpicitur: uti v. gr. in ἔαγα *fregi*, quod *Atticum* dicitur pro ἦγα: quum contra oportuiſſet dici, ἦγα hocce eſſe, per *contractionem*, pro ἔαγα. Quod enim poſtea pro ſimpliciori iſto, & antiquiori ἔαγα, vulgo extulerint ἦγα, id nihil facit ad mutandam vocis hujus formam *originalem*. Accedunt alia, quae promiſcue fere adhibita reperias, ἔαγον & ἦγον, ἐάγην & ἤγην, ἑαδον & ἧδον: de quibus omnibus idem ſtatuendum eſt, eas nempe formas triſyllabas eſſe ſimpliciſſimas atque adeo *antiquisſimas:* ex quibus contractae iſtae recentio-

res deinde ſint formatae. Inſpice hic *Daweſii* Miſcellanea, iterum edita a viro eruditiſſimo *Th. Burgess*, Oxon. 1781. p. 155. quem praeſtantiſſimum librum, quum haec ſcriberem, demum a me evolutum fuiſſe, eſt quod ſerio doleam. Si prius ad me perveniſſet, potuisſem, atque adeo debuiſſem, *Daweſii*, *Burgeſſii-que*, obſervata doctiſſima jam ſaepius laudare: quibus meae qualescumque animadverſiones hic illic haud parum confirmari potuiſſe videantur. Imo vero lubentiſſime adſcripſiſſem doctiſſimum eum librum catalogo iſti breviori, quem in gratiam tironum ſuperius contexui pag. 224-227. Porro quod cel. Lennepius noſter dixit, p. 62. ab ἕχω, antiquiſſimum *imperfectum* fuiſſe ἕεχον, unde deinceps εἶχον, permultis quoque ſimilibus ulterius poteſt illuſtrari. Sic enim εἷλον *cepi* dixerunt pro ἕελον, ab ἕλω: εἷλκον, *trahebam* pro ἕελκον, ab ἕλκω: εἷμαι *ſedi*, pp. *demiſi memet*, pro ἕεμαι, ab ἕω: εἷρπομες *ibamus lente*, pro ἑέρπομες ab ἕρπω, Lat. SERPO; ut & εἷρψε, pro ἕερψε, ab ἕρπω, eodem verbo cum *ſpiritu leni* prolato: εἴχεο *tenebas*, pro ἐέχεο, ex ἐέχεσο. cet. Id quod eo majorem evidentiae gradum adipiſcitur, quo certius eſt, apud veteres aliquot hujuscemodi formas *non contractas* adhucdum reperiri: uti v. gr. ἔεικται, ἔειπα, ἐεισάμην, ἕελμαι, ἐέλπετο, ἐέργαθε, ἕεστο, pro quibus vulgo invaluerunt contracta εἶκται, εἶπα, εἰσάμην, εἷλμαι, ἤλπετο, ἤργαθε, εἷστο. cet. E. S.

AD

AD ANALOG. CAP. V. p. 62, VS. 24.

Quemadmodum εἴληφα, εἵμαρμαι cet. Confer etiam illud εἴληχα, quod frequens eſſe *Aeſchylo* in primis & *Sophocli* oſtendit magnus *Valcken.* Annot. ad. Eurip. Hippol. vs. 80. p. 174. Adde & εἴλεγμαι, εἴληπται, pro λέλεγμαι, λέληπται: & omnino *Maittair.* p. 57. ubi multa congeſta. Porro p. 63: 3. memorat cel. *Lennep.* permulta alia, in quibus ε *augmenti*, ex forma priori retentum fuerit; ut in ἑστήκω, ab ἕστηκα, *praeterito* verbi στάω, δεδοίκω, e δέδοικα, verbi δείω cet. De his plura vide infr. ad pag. Analog. 184. 185.

De *duplici* vero *augmento*, (quo Atticos recentiores delectatos fuiſſe, monet *Valcken.* Diatr. ad Euripid. Reliq. Cap. XXV, p. 278. C. coll. D'Orvill. ad Charit. p. 609.) adde exempla a *Maittairio* prolata p. 58. quae omnia, ſecundum Lennepii obſervata, facillime ad veram linguae Graecae Analogiam referri poterunt.

AD ANALOG. CAP. VI, p. 66.

De Terminatione temporis praeteriti perfecti, *aliorumque* praeteritorum.

Promiſeramus (ſupr. p. 321. ad finem) ,, de reliquorum quoque temporum Indicativi, *per ſuas perſonas*, formatione, & *adformantium* pro-

no-

nominum in iiſdem, *originibus* infra a nobis, dictum iri." Hujus qualiſcumque conſilii noſtri memores, ad materiam iſtam longe intricatiſſimam haud ſine pudore quodam & metu aggredimur. Uti enim certiſſimum nobis quidem videtur eſſe, non temere, & ſine cauſſa, terminationes praeteriti *perfecti* & *aoriſti* temporis *activi*, a priſcis jam Graecis, adhibitas fuiſſe, in

Sing.	Dual.	Plur.
α, ας, ε.	ατον, ατον.	αμεν, ατε, ασι.

ita haud diffitemur, cauſſas linguae Graecae, hac certe in parte, etiamnum eſſe longe abditiſſimas.

Tentemus tamen & hic aliquid, quod a majoris ingenii, eruditioniſque amplioris viris, aliquando emendatum iri deſperare non licebit.

Itaque, ut hanc materiam paullo commodius ingrediamur, juvabit comparaſſe *Praeſentis* & *Futuri* temporis *terminationes* (quas, de more Grammaticorum orientalium, *adformantes* diximus) cum *terminationibus*, ſive *adformantibus*, temporis *Praeteriti perfecti*, & *Aoriſti* activis. Sunt igitur *adformantes* hae

Praeſentis & *Futuri:* ω, εις, ει. τον, τον. μεν, τε, σι.

Perfecti & *Aoriſti:* α, ας, ε. τον, τον ſive την. μεν τε, σι.

Ubi

Ubi obſervandum eſt, nos uſos fuiſſe terminationibus iſtis *ſimpliciſſimis*, quas in omnibus verbis, ſine diſcrimine, fere reperiri, demonſtratum eſt, pag. 316. 317.

In *Dualibus* ac *Pluralibus* formis, uti ex comparatione terminationum *Praeteriti perfecti* cum terminationibus *Praeſentis* & *Futuri*, ſtatim deprehendi poteſt, nihil plane eſt diverſitatis: niſi quod *aoriſtus*, pro *tertia* duali τον, habeat την. Solum igitur diſcrimen obtinet in numero *ſingulari*: ubi, pro *adformante primae* perſonae, ω, in *Præterito perf.* eſt α, in *ſecunda* autem *perſona*, pro εις, eſt ας, in *tertia* denique pro ει, *praeteritum* habet ε.

Jam vero, qui ſecum reputaverit, vocales ο ſive ω & α, ſola tantum dialecto, pronuntiandive *obſcuriore* aut *clariore* ratione, ita a ſe invicem diſcrepare, ut *una*, pro *altera*, ſaepiſſime adhiberi ſoleat; (uti, pro θάκος *ſedes*, dici quoque θῶκος, pro ἄριςος, ὤριςος, pro ἄρχμενος, ex ἀρχόμενος, ὤρχμενος, pro γλῶσσα, γλάσσα & ſimilia, variis locis obſervavit Etymologus magnus, multaque alia ejuſmodi dedit *Maittair.* in Alphab. Diall. p. 400 ſeqq. & Indic. ad Marmora Oxonienſia:) huic minime mirum videri poterit, pro ἐγὼ, antiquiſſimos Graecos etiam dixiſſe ἐγὰ; adeoque pro πεποιήκω & ἐποιήσω, pronuntiata ab ipſis fuiſſe πεποίηκα, & ἐποίησα; quae quidem terminationes *primae* perſonae *perfectorum* & *aoriſtorum* Activorum, in α, commu-

muni uſu adeo deinceps invaluerint, ut altera iſta in ω, plane ſit oblivioni data: niſi potius ſtatuere velis, hanc ipſam diverſitatem pronuntiationis *diſcrimen* aliquod effeciſſe, inter *praeſentia futurave* tempora, & praeteritum tam *perfectum* quam *aoriſtum*.

Secunda perſona *Singularis* Praeteriti *perfecti*, & *Aoriſti*, deſinit in ας, quum contra *Praeſens*, & *Futurum* ibi habeant εις, contractum ex εες: ita tamen, ut litera ς, in eadem *perſona* verbi, veri nominis ſit *characteriſtica*; quemadmodum ſupra dictum eſt, pag. 312.

Tertia denique perſona *Singularis*, *Perfecti* & *Aoriſti*, deſinit in ε, pro quo ε *Praeſens* & *Futurum* habent ει, ſive potius ι: uti pluribus probatum eſt, ſupr. p. 312. 313. Sed quum, pro ι hocce, etiam ε in *pronomine* tertiae perſ. Sing. dixerint antiquiſſimi Graeci, (id quod demonſtravimus ſupra p. 308. 309. 310.) nemo jam, ut opinor, dubitaverit, quin terminationes illae ει & ε, in *Praeſenti Futuroque*, & in *Praeteritis*, eosdem natales habeant: apparebitque adeo, omnes illas *adformantes Singulares*, (non ſecus quam in Orientalibus linguis factum eſſe conſtat,) a pronominibus perſonalibus antiquiſſimis horumve cum verbi forma *originali* copulatione arctiſſima eſſe repetendas.

Paullo maiorem difficultatem eadem res habebit in *terminationibus*, ſive *adformantibus* Praeteriti *imperfecti* & *plusquamperfecti*.

Plus-

PLUSQUAM PERFECTUM hoc flecti monet cel. Lennep. p. 69. ſequenti modo: in

Sing.	Dual.	Plur.
ειν, εις, ει.	ειτον, ειτην.	ειμεν, ειτε, εισαν.

In qua quidem forma nihil fere apparet quod a communi *adformantium*, quas ſupra diximus, lege non longiſſime diſcedere videatur. Quid enim, ſi *primam* perſonam ſingularem ἐτετύπειν, verbi cauſſa in ειν exeuntem, compoſueris cum ceteris *primis* perſonis, τύπτω, τύψω, τέτυφα, ἔτυψα, prima fronti alienum magis dici poteſt, quam convenire terminationem *primae* hujus *plusquam perfecti* perſonae, cum terminationibus primae perſonae ω & α, in *Praeſenti*, *Futuro*, *Praeterito perfecto*, & *Aoriſto*? Nihilominus tamen, niſi vehementer fallor, ad *unum* eundemque *adfirmantium* fontem reduci haec poterunt atque adeo debebunt.

Nimirum in dialecto *Jonica*, (ceterarum omnium vetuſtiſſime) pro *terminationibus* his, in ειν, εις, ει, aliae uſitatae fuerunt terminationes in εα, εας, εε: uti docet cel. Lennep. paullo inferius p. 70. 71. pluribusque demonſtravit *Maittair.*, de Diall. p. 126. laudato quoque eximio loco Euſtath. ad Iliad. Α, vs. 70. p. 50: l. 27. ἔθος ἰωνικὸν ἐκάλησε, τοὺς ἐνεργητικοὺς ὑπερσυντελικοὺς διὰ τοῦ ε καὶ α προάγειν, κατὰ τὴν λήγουσαν τοῦ πρώτου

προ-

προσώπȣ τῶν ἑνικῶν. τὸ γȣ̃ν ἐπεποιήκειν πεποιήκεα φασὶν Ἴωνες κ. τ. λ. Qua tamen in re probe obſervandum eſt, τὸ πεποιήκεα non factum eſſe ex ἐπεποιήκειν, augmento abjecto, & terminatione ειν verſa in εα. Qualis enim, quaeſo, & quam violenta ejusmodi foret converſio terminationis ειν in εα?

Analogiae multo videbitur convenientius, ſtatuiſſe, extremum illud ν, in ἐπεποικέιν, eandem originem habere atque alterum. illud ν, *terminale*, in *Praeterito imperfecto* ἐποίεον, ἔτυπτον, ſimilibusque aliis v. gr. ἐτίθην, ἐδίδων, ἐζεύγνυν: de quo poſtremo dubitare jam nemo poterit, qui meminerit, in *Imperfecto* eodem hocce, pro ἐτίθην Jonas quoque dixiſſe ἐτίθεα, atque ita in ſimilibus.

Quemadmodum igitur ſupra vidimus, (p. 285.) pro ἐγὼ, Dores dixiſſe ἐγώνη, & Aeoles brevius extuliſſe ἐγὼν, ita nemini jam mirum valde accidere poſſe exſtimamus, unde ν illud terminale *primae perſonae*, praeteriti *Plusquamperfecti* & *Imperfecti* ſit ortum: ex ἐγὼν, nempe, pro ἐγωνή.

Sed reliqua, huc pertinentia, & quae ad alios Analogiae Graecae locos exponendos faciant, in commodiorem occaſionem reſervabimus. Speciminis loco haec ſufficiant.

Ad Analog. cap. VI, p. 71.

„ *Aoriſtos verborum in* λω, μω, νω, ρω, *ante terminationes ſuas, tam Infinitivas, quam ceterorum Modorum, olim habuiſſe* σ."

Opportuniſſimam hoc tempore nacti occaſionem, obſervationes qualescumque noſtras, ad Analogiam L. Gr. Lennepianam, ante triennium, & quod excurrit, abruptas, commodo noſtro continuandi, de *terminationibus Aoriſti Graeci*, in verbis, in λω, μω, νω, ρω, deſinentibus, quaedam dicere pergemus, a Grammaticis huc usque, quod ſciam, nondum ſatis explicata. Hos igitur *Aoriſtos*, (ut ceteros plerosque omnes, a verbis *perfectis* ductos) *ante terminationem ſuam*, olim habuiſſe literam conſonantem σ, quis neget, poſt *Lennepii* demonſtrationem, Analog. p. 72. factam? Exempla, a ſummo praeceptore noſtro, ex *Homero* potiſſimum producta, κέλσαι [Od. Κ, 51.] ἀμέρσαι [Il. Π, 53.] κένσαι, [Il. Ψ, 337.] adeo manifeſta ſunt, ut neminem fore putem, qui, hac literarum luce, obloqui poſſit. Quod enim CANINIUS, SCOTUS, alii exiſtimarunt, κένσαι dixiſſe veteres, per Syncopen, pro κεντῆσαι, atque ita in reliquis, id quidem a linguae ſimplicitate maximo opere abhorret, & vix operae pretium eſt, ſerio refutaſſe. Qua enim analogia a τύπω, τύπσω (τύψω) eſt τύπσαι, ſ. τύψαι, eadem certe

via a κέλω (Lat. veteri CELO) κέλσαι deſcendere oportuit, a φέρω (Lat. FERO) φέρσαι, a κέρω, κέρσαι, Od. κ, 511. apparetque adeo, nullam in his ſimilibusque dari contractionem, ſed omnia naturae leges ſimpliciſſimas ſequi. Conf. etiam Analog. p. 50. & quae de φέρσαι obſervavit cel. *Valcken.* ad Euripid. Phoen. p. 701. 702.

Quodſi autem hic quaeratur, quid cauſſae ſit, cur tam pauca hujus Aoriſti veteris exempla, in verbis λω, μω, νω, ρω, reperiantur, contra vero plane eadem in plerisque illorum norma obtineat, quae eſt in στέλλω, ἔστειλα, in ψάλλω, ἔψηλα, in νέμω, ἔνειμα, in χαίνω, ἔχηνα, in σπείρω, ἔσπειρα &c. idem reſponderi poterit, (quod *Lennepius* Analog. p. 50. de *futuris* verborum in λω, μω, νω, ρω, admonuerat), „ eſſe haec a verbis productioribus formata *mollioris pronunciationis ergo*; idque praeſertim ab *Atticis*, qui, ut reliquarum artium & diſciplinarum, ita etiam linguae ſuae patriae, prae ceteris Graeciae populis, ſtudioſi fuerunt."

Eſt tamen & aliud, fortaſſe haud alienum, quod hic attendi mereatur, quodque jam ſupra (p. 326.) de *Futurorum* formis a nobis fuit obſervatum, σ illud *Futuri* originem ſuam repetiiſſe ex *adſpiratione* quadam, terminationi verborum adhibita; quam quidem *adſpirationem* alibi etiam in *medio* verborum olim uſitatam (ut ad Odyſſ. Μ, vs. 89. obſervavit quoque *Erneſtius*) aut in Σ aut in Β emolliverint Graeci veteres. Rele-

lego

lege ſis, quae fuſius diſputavimus p. 322 — 330. & locum *Villoiſoni* ſupra laudatum.

Quae ſi vera ſint, ut puto eſſe veriſſima, inde facili negotio colligi poterit, veteres promiſcue dicere potuiſſe ϛέλσαι & ϛεῖλαι, σπέρσαι, & σπεῖραι, νέμσαι & νεῖμαι, *ſpiritu aſpero*, ante terminationem αι, adhibito, reſolutoque mox eodem ſpiritu in σ, vel ſpiritu aſpero neglecto. Sola reſtabit differentia inter vocales *breves* ε, α, ι, & *longas*, ει, η, & ι productius: quae vero *vocalium* differentia variis potius dialectis tribuenda fuerit, quam ut, ejus gratia, novas formas finxiſſe neceſſe ſit. Confirmari autem haec inde etiam videntur, quod, non in vulgaribus tantum *Aoriſtis* verborum λω, μω, νω, ρω, ſed & in aliis quibusdam, a Grammaticis ſtudioſe collectis, σ iſta *Futuri* ſoleat deëſſe. Talia ſunt ἔκεια, ἔκηα, ἤλευα, ἔχεα, ἔσευα, cet. quae putantur dicta fuiſſe pro ἔκεισα, ἔκησα, ἤλευσα, ἔχεσα, ἔσευσα, a verbis κείω, κήω, ἀλεύω, χέω, σεύω: in quibus omnibus literae tamen σ, tanquam *characteriſticae* Futuri, nulla videtur fuiſſe neceſſitas, ſi quidem *Futura*, (ut ſupra probavimus) in priſcis linguae originibus, σ illud ne habuiſſe quidem cenſenda ſint.

AD ANAL. CAP. VI, p. 74.

De Aoriſto, quem vocant, ſecundo.

Aoriſtum vulgo dictum, *ſecundum*, a Praeterito *imperfecto*, non, niſi forma verbi, diverſum eſſe, adeoque nihil aliud eſſe *aoriſtum* hunc *ſecundum*, quam veri nominis tempus *imperfectum*, ſed ab alia, (eaque antiquata fere) verbi *Praeſentis*, forma ortum, judicabat cel. *Lennepius*. Verbo ut dicam, quemadmodum Latini habent duo *imperfecta* DICTABAM & DICABAM, prius illud a DICTO, *dictavi*, poſterius a DICO, *dicavi*, ortum, eadem ratione olim Graecos putabat habuiſſe ἔτυπτον, ortum a τύπτω, & ἔτυπον, a τύπω, ambo veri nominis *imperfecta*, ſed cujus *imperfecti* poſterioris tempus *praeſens* τύπω in deſuetudinem abierit, quod tamen τύπω, re ipſa, olim exſtitiſſe, non tantum probent *Futurum* τύψω, (quippe pro τύπσω, ſcriptum) & aliae temporum obliquorum formae inde factae, ſed quod etiam ad oculum demonſtrent voces ſubſtantivae τύπος, τυπὰς, τυπὴ, τυπὶς &c. quae aliud thema habere non potuerint quam τύπω illud ſimplicius, unde manifeſto deſcenderunt.

Jam vero *Praeſens* ejusmodi *antiquatum* ſaepius eſſe, (ut duae ſint formae *imperfecti temporis*, idem plane ſignificantes, ſed cujus alterutrius *praeſens* non appareat) quid, quaeſo, clarius demon-

monſtrare poſſit, quam ipſa noſtra lingua vernacula. Verbum noſtrum vulgare ex. gr. TREKKEN, Lat. *proficiſci*, in Imperfecto nunc quidem certiſſime habet *ik trok*, *hij trok*. Vide Belgicam verſionem Bibliorum, Gen. 13: 11. 26: 26. 1 Sam. 14: 46. 2 Reg. 25: 4. cet. Nihilominus tamen, pro *ik trok*, *hij trok*, *wij trokken*, eadem laudatiſſima verſio, Belgice, habet longe ſaepiſſime: *ik toogh*, *gij tooght*, *hij toogh*, *wij toghen*. Unde quaeſo illud *toghen?* Non certe a *trekken*, ſed a veteri verbo TEGHEN, quod hodie etiamnum in dialecto Betuvica noſtra, & alibi, viget, & TEYEN vulgo pronunciatur, apud *Kilianum* vero eſt TIJGHEN *tendere* &c.

Applicemus haec paullo propius ad rem praeſentem. More Grammaticorum Graecorum, *Praeſens Indicativi* verbi noſtri TRECKEN, dixeris, eſſe IK TREK, *Imperfectum* vero IK TROK, HIJ TROK, porro *Aoriſtum ſecundum* IK TOOG: niſi forte malis, *imperfectum* hoc, ſimulque *aoriſtum ſecundum*, eſſe IK TOOG, *hij toog*, prout multa apud Graecos *aoriſta ſecunda* eſſe dicuntur, quae *eandem* formam habeant quam *imperfecta*. Atqui *ik toog* non eſt *aoriſtus ſecundus*, ſed veri nominis *imperfectum*, ductum a verbo veteri *tegen*, vel *teyen*, *tijgen:* quod ipſum verbum *teyen* quum, apud Batavos noſtros, extra uſum abiiſſet, reliquit tamen nobis *imperfectum* hoc noſtrum: „ *ik toog*, *hij toog*, *wij togen*."

Neque longe aliter res comparata eſt apud Graecos. Incredibilis datur talium *aoriſtorum ſecundorum*, verius *imperfectorum*, temporum copia, qualia reducenda ſunt ad tempora ſua propria *praeſentia* antiquiora, quae poſtea quidem extra uſum abierunt, ſed tamen, ſecundum *analogiam linguae*, omnino ſunt reſtituenda, ſi rem recte tractare velis, neque omnia iveris perturbatum.

Sed proferamus unum alterumve exemplum Graecum: unde liquidiſſime conſtare poſſit, ea tempora, quae vulgo dicuntur *aoriſta ſecunda*, proprie eſſe *praeterita imperfecta.* Quid quaeſo certius vulgo habetur, quam ἦλθον, ἦλθε, ἦλθε cet. eſſe formas *aoriſti* iſtius *ſecundi*, quem diximus, ductas a verbo ἔρχομαι *venio?* Hujus quidem verbi *imperfectum* Indicativi certiſſime eſt ἠρχόμην: de quo tamen *Imperfecto* per totius Novi Teſtamenti ambitum (quamvis frequentiſſimum ſit ibi verbum ἔρχεσθαι) nihil quidquam invenias, praeter ἤρχετο *proficiſcebatur*, & ἤρχοντο *proficiſcebantur*; idque pauciſſimis tantum locis Luc. XVIII, 3. Marc. II, 13. Joh. VIII, 2. & Marc. I, 45. Joh. IV, 30. VI, 17. XX, 3. Act. Apoſt. c. XIX, 18. Contra in quavis fere pagina N. Teſt. pro ἤρχετο reperias ἦλθε, pro ἤρχοντο, ἦλθον: & quidem, tali plerumque in verborum conſtructione, ubi nullum eſſe dubium poſſit, quin ἦλθε & ἦλθον ſint vera *imperfecta*, non *aoriſta* tempora. Vide inſtar omnium Luc. I, 59. II, 51. VIII, 35. 41. 47. IX, 56. &c.

Alterum

Alterum exemplum ſit verbum λαμβάνω *capio*. Hujus quidem *Imperfectum* pp. eſt ἐλάμβανον, quae forma ſemel in N. Teſt. habetur Act. Apoſt. c. VIII, 17. contra ibi longe frequentiſſima eſt altera ἔλαβον, ἔλαβες, ἔλαβε. Sed hanc *aoriſtum ſecundum* vocant Grammatici: etſi certiſſimum ſit, eandem tanquam *Imperfectum* tempus adhiberi, etiam in illis locis, ubi nulla *aoriſti* temporis ſignificatio eſſe poſſit. Vide hic Luc. V, 5. 26. VI, 4. Act. Apoſt. c. VII, 53. X, 47. XXIV, 27. &c.

Ecquid igitur de his, ſimilibusque permultis aliis, vulgo dictis, *Aoriſtis*, ſtatuendum videbitur? Dicemusne, *aoriſta* tempora eſſe ἤλθον & ἔλαβον, quae tam certo vere *Imperfecta* eſſe oportet (ab obſoletis *Praeſentibus* ἐλθω & λαβω ducta) ac DICABAM & DICTABAM *Imperfecta* ſunt, Indicativi modi, ducta a verbis DICO & DICTO?

Reliqua huc pertinentia dabit cel. *Lennepius*; in primis pag. 76. & 77.

Ad Analog. cap. VI, p. 78.

An VERA *Graecorum tempora ſint* PRAESENS, PRAETERITUM PERFECTUM, *&* FUTURUM?

Vera tempora ubi dicit cel. LENNEPIUS, ea tempora haud dubie intelligit, quae in verbo

tanquam *primaria* ſint ſpectanda; unde porro *imperfecta*, *plusquamperfecta*, & *aoriſta*, vulgo dicta *prima*, tanquam e fontibus ſuis derivanda ſint. Hoc adſpectu admitti poteſt diviſio haec temporum: quorum rationes non parum inſuper illuſtrari poterunt, collatis iis quae *Clarkius* dedit ad Iliad. A, 37. & alibi paſſim ad *Homeri* poëma. Quodſi tamen rem paullo attentius conſideres, ſimplicitatemque illam admirabilem comparaveris verborum orientalium, in ſuis *temporibus* formandis; aut vehementer fallor, aut non difficulter mihi dabis, verborum tempora, omnium *prima* & *ſimpliciſſima*, per ipſam rei naturam, tantum dari poſſe bina, PRAETERITUM nempe & FUTURUM: qualia nimirum Hebraei, & ceteri orientales, per ſua פקר, & יפקר, expreſſerunt. Rem hancce, a vulgi ſententia longiſſime adhorrentem, illuſtrabunt ea, quae vir ſummus, *Albertus Schultenſius*, diſputavit, in Inſtit. Hebr. ad R. CVIII, quibus junge obſervationes clar. *Koolhaas*, in Diſſert. I. de Analogia Temporum & Modorum p. 18. §. 11. Repetantur porro, quae, de convenientia *Praeſentis* cum *Futuro*, ſupra diſſeruimus, p. 322. ſeqq. Plura addere nunc non vacat.

Ad Analog. cap. VI, p. 78.

De modi IMPERATIVI *formatione, in verbo Activo.*

De IMPERATIVI formatione pauciſſima monuit cel. LENNEPIUS, p. 78. ubi illud tamen elegantiſſime videtur obſervaſſe, „ *Perfectum* Imperativi rectius forſan dici *Praeſens*, formae derivatae a Praeterito perfecto Indicativi, ut τέτυφε a τετύφω, quod a τέτυφα." Exempla *Praeteriti* hujus *Perfecti*, in *Imperativo Activo*, apud Scriptores Graecos obvia, commodiore loco a nobis exhibebuntur: quibus ad examen revocatis, quid veri iisdem ſubſit, aliquanto rectius dijudicari poterit.

Subjungere quaedam liceat de formatione *Imperativi Modi* apud Graecos. *Imperativum* ab *Infinitivo* fieri, apud Orientales, adeo nota res eſt, ut in inſtitutionibus dialectorum *Hebraeae, Arabicae*, & *Syriacae*, hodie quidem vix quidquam certius ſit. Jam vero apud Belgas noſtrates eadem omnino temporis hujus fuit ratio: ut viri eruditiſſimi, ſaeculo noſtro, ad oculum demonſtrarunt. Ponamus e. gr. Infinitivos verborum *zoeken*, *ſchrijven*, *wandelen*, *beveelen*, cet. Ex his omnibus, demta terminatione EN, ſtatim enaſcentur *Imperativi*, ZOEK, SCHRIJV, ſive SCHRIJF, WANDEL, BEVEEL, quae quidem ultimae ſyllabae reſectio non aliam cauſſam vi-

detur habere, quam, quod, *accentu tonico*, in *prima* vocis *ſyllaba*, paullo fortius prolato, *ultima* ſyllaba ſponte ſua evanuerit: quippe ore loquentis jam reſorbta, quaſi, & abolita.

Verum, quo haec rectius nonnihil intelligantur, quantum quidem ad linguam Graecam attinet, pauca praemittenda ſunt, de terminationibus antiquiſſimis *Infinitivi* Activi, apud Graecos: quibus praeſtructis facilior erit *Imperativi* conformatio.

Infinitivus Activus verborum in ω, recentiori quidem aevo, terminabatur in ειν, vel in έναι, hoc cum discrimine, quod *Praeſens* & *Futurum* haberent terminationem in ειν, *Praeteritum* vero & *Aoriſtus* illam in έναι ſive αι: ut τύπτειν, τύψειν· ποιέειν, ποιήσειν· βοάειν, βοήσειν· χρυσόειν, χρυσώσειν. Porro τετυφέναι, τύψαι· πεποιηκέναι, ποιῆσαι· βεβοηκέναι, βοῆσαι· κεχρυσωκέναι, χρυσῶσαι. Quam tamen terminationem ειν non eſſe in *ipſa lingua* Graeca fundatam, vel ſola comparatio cum verbis, in μι terminatis, ſatis demonſtrare poterit. Haec enim in *Praeſenti Infinitivi* habent ναι, ut τίθημι, τιθέναι· δίδωμι, διδόναι· ζεύγνυμι, ζευγνύναι· εἰμὶ, εἶναι· atque ita in reliquis. Ex adverſo, pro *Infinitivis* vulgaribus τυπτειν, &c. Attici dixerunt τυπτέμεναι, pro ἀείδειν poëtae ἀειδεμεναι. Iones, pro τετυφεναι, dixerunt τετύφεμεν, pro τύψαι, τύψεμεν &c. Ex quibus abunde jam colligi poterit, terminationes in ειν & έναι, ſive ναι, promiſcue fere adhibitas fuiſſe,

pro

pro variarum gentium Graecarum diverſitate & ingenio.

Quodſi jam ultra quaeras, quae terminatio *Infinitivi Activi* omnium ſimpliciſſima, atque adeo antiquiſſima, ſit habenda, mihi quidem necdum liquere fateor. Conjicere tamen auſim, formam hanc antiquiſſimam in Dialecto *Dorica* etiamnum ſatis eſſe conſpicuam. Pro τύπτειν, nimirum, *Dores*, ſimpliciori forma, dixerunt τύπτεν, vel τυπτὲν, indice *Maittairio*, p. 230, ut λέγεν, γάρυεν, μέλιζεν, ἀείδεν· ποὲν, ποιὲν &c. aut, *productiori forma*, iidem *Dores Aeolesve*, τύπτῃν, quod facile reſolvas in τυπτέεν, eſtque plane idem ac τύπτειν, in alia ſcriptione, qua pro βȣ́λῃ ſimiliter ſcripſerunt βȣ́λει &c. Praebet, hoc modo ſcripta, idem *Maittairius* ἕρπῃν, χαίρῃν, pro ἕρπειν, χαίρειν, quin & κοσμῇν, κατοικῇν, pro κοσμέειν, κατοικέειν, porro in ῇν, & ᾷν pro άειν, κυβερνῇν, pro κυβερνάειν, εὐδαιμονᾷν, pro εὐδαιμονάειν cet.

Ex quibus omnibus jam facile colligas, terminationem antiquiſſimam *Infinitivi Activi* fuiſſe EN, ut a λέγω, λέγεν, a γαρύω, γαρύεν: accedente terminali hoc, quod diximus, EN, ſimpliciter, ad terminationem verbi Praeſentis, ω Indicativi & Subjunctivi reſecto: idemque facile perſpicias, pro EN hocce dixiſſe etiam Graecos, pleniori ore, ειν, vel ην, ut ἕρπειν vel ἕρπην, quemadmodum a τίω, eſt τίειν &c. Niſi fortaſſe iidem Graeci vetuſtiſſimi, pro EIN, vel huic cognata forma AIN (trajecta conſonante N) dixerint

rint NAI: quam formam dilucide admodum nobis repraeſentent verba in μι, ut ex. cauſſa, ab ἵϛαμι, τίθημι (olim τίθεμι) ἶμι, δίδωμι, ſ. δίδομι, ζεύγνυμι, reſecta tantum terminatione *Praeſentis* MI, Infinitivos habebis ἵϛα, ἱϛάNAI, τίθε, τιθεNAI, δίδο, διδoNAI, ζεύγνυ, ζευγνυNAI.

Quae ſi vera ſint, quaerat jam fortaſſe aliquis, ecquid ſtatuendum ſit, de terminationibus aliis *Infinitivi activi* in μεν & μεναι finitis: quales certiſſime adſint non tantum in Infinitivis verborum in μι, ut ἵϛαμεν, τιθέμεναι, ζευγνύμεναι, & in ſimpliciſſimis illis ἔμεν, ἔμμεν, ἔμεναι, ἔμμεναι, verum etiam in Infinitivis verborum in ω, ut in ἀκέεμεν, ἀπεχθέμεναι, ἔδμεναι, pro ἐδέμεναι; ab ἀκέω, ἀπέχθω, ἔδω, ductis? Equidem nihil habeo certi, quod hic reſpondeam. Fortaſſe tamen haec omnia et ſimilia complura, rectâ repetenda ſunt a verbis in μι, ut ab obſoleto ἔμι ſint ἔμεν, et ἔμεναι, ab ἀκέεμι, ἀκέεμεν, et ἀκεέμεναι, atque ita in aliis.

Illud tamen ex diſputatis longe veriſimillimum videbitur, Imperativi hujus *praeſentis* formam ſingularem τύπτε, ſimpliciſſima derivatione, (qualem fere ſupra vidimus in Belgicis noſtris *wandel*, a *wandelen*, etc.) factam eſſe, ab antiquo *Infinitivo* in ν vel ναι, terminato: reſecta, nempe, ſola terminatione. Itaque a τύπτεν (quod recentiores pronunciarunt τύπτειν et τύπτην) factum eſt τύπτε, a ποιέεν, ποίεε, ποίει, a βόαεν, βόαε, βόα etc. a τιθέναι, τίθε (Attice τίθει vel τίθη) a

ζευ-

ζευγνύναι, ζεύγνυ, cujus quidem poſtremae formae exempla ſuperſunt δείκνυ, ὄμνυ. Verum, pro τίθε, ζεύγνυ, deinceps dixerunt τίθετι, ζεύγνυθι, addita ſyllaba θι, de qua ſyllaba aliquid ſubmonendum erit, ad Analog. p. 123.

De *ſecunda Imperativi* Activi Singularis *perſona*, hoc unum obſervandum venit, illam, ſine ulla addita *Adformante* (quales *adformantes* dicunt Grammatici Orientales) formatam fuisſe, ab *Infinitivo*: quemadmodum Hebraei ab *Infinitivo* ſuo *fakood* (פָּקֹד) et *fkood* (פְּקֹד) formarunt *Imperativum*, ſive פָּקֹד *fakood*, ſive פְּקֹד *fkood*, principio quidem" nullo cum *generis* aut *numeri* diſcrimine, ſed dein, ut *perſonae*, cui imperetur, certior deſignatio fieret, conjunctis cum *Infinitivo* imperante *Adformantibus*." Verba ſunt cel. *Schroederi*, in Inſtitut. Gramm. ad Fund. L. H. p. 65. 66.

Quod quidem ſummi praeceptoris noſtri de *Infinitivo*, eodemque *Imperativo*, Hebraico, teſtimonium eo lubentius nunc laudavimus, quo certius eſt, Graecos etiam antiquiſſimos, pro *Imperativis*, *Infinitivos* ſuos adhibuiſſe. Locus claſſicus eſt *Moeridis Atticiſtae* (p. 242.) in voce Λαμβάνειν, ubi, *Infinitivum* hunc pro *Imperativo* λαμβανέτω poni, admonuit, et quaedam adnotata ſunt in editione Cl. *Pierſoni*. Conſulendae ſunt omnino obſervationes *T. Hemſterhuſii* ad Ariſtoph. Pl. p. 196, vs. 598. *Weſſeling*. ad Herodot.

rodot. p. 30: 98b. 612: 63b. 649: 91b. *Duker.* ad Thucyd. p. 428. *Erneſt.* ad Callimach. H. in Del. vs. 226. Apud *Homerum* paſſim, hoc modo *Infinitivum* adhiberi, videas, eſtque in *Heſiodo* locus claſſicus, 'Εργ. vs. 592. ſeqq. qui totus legendus eſt, in primis ob illud γέλουαι, quod ſequitur vs. 603. unde rationes linguae, in hoc *Infinitivi modi* uſu, haud difficulter intelligentur. Compone etiam ibidem vs. 536.

AD ANALOG. CAP. VI, p. 79.

De Modo Optativo.

Optativum Modum Graeci peculiarem habent, a Latinis aut plane ignoratum, aut ſub *Conjunctivo* ſuo comprehenſum, uti pluribus diſputavit *G. J. Voſſius*, de Analog. L. III, c. 8. Poſterius hoc equidem ideo malim, quia in terminationibus EM et AM, *Subjunctivi modi* Latinorum, haud obſcura mihi videntur ſupereſſe veſtigia *Modi Optativi* Graecorum veterum. Sane, qui comparaverit Graecas Optativi terminationes οιμι, et αιμι, cum iis, quae ſupra (p. 331.) de terminationibus Subjunctivi Latinorum (ut *legam*, *amem*, *ſim*, pro *legami*, *amemi*, *ſimi*) a nobis obſervata ſunt, facile pervidere poterit, quorſum haec pertineant.

Ad Analog. cap. VI, p. 80,

De Modo Subjunctivo.

Subjunctivum modum ab *Indicativo* diverſum antiquiſſimos Graecos non habuiſſe, multa ſunt, quae credere nos jubeant. Principio enim mira linguae Graecae ſimplicitas vix poſtulabat, ut, quae Orientales linguae, uno contentae Modo, ſive potius uno eodemque adhibito ſimpliciſſimo *Praeterito* et *Futuro*, (quae omnium Modorum eſſe poterant, pro varia verbi conſtructione) quam commodiſſime efferrent, ut haec, inquam, Graeci tot diverſis Modis, *Indicativo*, *Optativo* et *Subjunctivo*, cogerentur ſignificare. Deinde *Subjunctivi* Graeci terminationes, (per tria tempora, *Praeſens*, *Praeteritum*, et *Aoriſton* ſive *Futurum*) tam amice cum terminationibus *Praeſentis* temporis et *Futuri*, in *Indicativo*, etiamnum hodie conſpirant, ut vix temperare mihi poſſim, quin plane credam, *easdem perſonas*, quae in *Indicativo* deſignantur, per terminationes,

ω	εις	ει
	ετον	ετον
ομεν,	ετε	ουσι

non alia de cauſſa in *Subjunctivo*, a Graecis, deſignatas fuiſſe per

ω	ῃς	ῃ
	ητον	ητον
ωμεν	ητε	ωσι

quam,

quam, quod *Modi Indicativus* et *Subjunctivus*, priſca aetate, unum eundemque Modum conſtituerint: quem vero Modum, unicum, poſtea in duo *modos* diviſerint, *vocalium* varietate in pleraſque perſonas inducta.

Prima perſona τύπτω, in *Subjunctivo*, eadem manſit, quae in *Indicativo*. Verba autem in μι (pro hac terminatione μι) in *Subjunctivo* adſciverunt ω, hoc eſt, aliam pronominis *primae perſonae* formam, ut in verbis reliquis factum erat. Probavimus enim ſupra, p. 282 et 311., ω et μι, ex ἐγώ et εμι, ortas easdem eſſe *adformantes* perſonales. Itaque in Indicativi prima perſona quidem eſt τίθημι, (olim τίθεμι) porro ἵστημι, εἰμί, at, in *Subjunctivo*, contracte dicitur τιθῶ, ἱστῶ, ὦ, pro plenioribus, τιθέω, ἱστέω, ἔω, quae dialectus Jonica nobis ſervavit.

Secunda quoque Modi Subjunctivi perſona, τύπτῃς, et *tertia*, τύπτῃ, clare admodum indicant originem ſuam ex Indicativo Modo: habent enim *iota* ſubſcriptum, quod certiſſimo argumento eſt, *iotam* olim ibi adfuiſſe, atque adeo diphthongum ει in η fuiſſe converſum: qua de re adhuc aliquid dicendum erit infra, ubi *perſona altera Praeſentis Indicativi Paſſivi* examinabitur, p. 398. 399.

De eadem *tertia* perſona Subjunctivi Activi τύπτῃ obſervari adhuc meretur, Iones, pro τύπτῃ, dixiſſe τύπτῃσι, ut ἐθέλῃσι, pro ἐθέλῃ. Cujus quidem σι rationes redditas invenies ſupe-

rius

rius p. 312. 313. Eſt nimirum pleonasmus quidam, majorem adferens emphaſin, qua pro τύπτεϊ, dixerint, primo τύπτη, et mox (repetito denuo pronomine *tertiae* perſonae ἵ, ſive σι) τύπτησι, eadem fere ratione, qua *Aeoles*, per ſimilem pleonasmum, repetito pronomine *ſecundae* perſonae, pro τύπτης plenius dixerunt τύπτησθα. Eſt enim θα hocce, ab Aeolibus ſaepiſſime a fine adjectum, nihil fortaſſe aliud ac pronomen vetus *ſecundae* perſonae τὺ, τὰ, θὰ, uti cernere eſt in οἴδασθα, ᾔδεισθα, παρῆσθα *noveras* TU, *videras* TU, *aderas* TU (i. e. TU, inquam) cum emphaſi, quali, non Hebraei tantum, ſed & ipſi quo Latini, Aeolum progenies, vehementer paſſim delectati fuerunt.

Ad Analog. cap. VI, p. 80.

De Infinitivo Activo Graecorum.

Quae de *Infinitivi Activi* Graecorum formatione dicenda habebamus, occupavimus jam ſupra, pag. 377. ubi *Imperativi* terminationis rationes reddendae erant. Antiquiſſimo aevo, ut Infinitivi Orientalis eadem ubique erat terminatio, ſic, apud Graecos, *Infinitivorum* diverſa tempora (quae nunc dicuntur) eadem omnia terminatione videntur prolata fuiſſe, neque aliud videtur fuiſſe diſcrimen, quam quod conſonantium, terminationem antegreſſarum, indoles ad

ferret. Itaque, ut, in *Infinitivi* hujus *Activi* tempore *Praeſenti*, Iones vetuſtiores dixerunt τυπτέμεν, ſic, in *Praeterito* Infinitivi, iidem protulerint τετυφέμεν, in *Aoriſto*, τυψέμεν, in *Futuro* item τυψέμεν· quae quidem *Aoriſti* et *Futuri* ſimilitudo inſuper demonſtrare nobis videtur, *Aoriſti* hujus et *Futuri* (ut in *Subjunctivo*) eandem olim in *Infinitivo* vocem fuiſſe. Porro, quemadmodum *Praeteritum* Infinitivi vulgaris terminatur in ναι, ſic, apud Atticos, *Praeſens* et *Aoriſtus Infinitivi* deſinebant in έμεΝΑΙ· quin et omnia quoque *Praeſentia* Infinitivorum, in verbis in μι, deſiiſſe in ναι, quis neſcit? dicunt enim τιθέναι, διδόναι, ἱϛάναι, ζευγνύναι etc. Manifeſtum igitur eſt, *Infinitivorum* Activi terminationes omnes olim, pro variis dialectis, fuiſſe in ΕΝ, aut ΝΑΙ, cujus vero diverſitatis cauſſas verbulo illuſtrare conati fuimus, ſupra p. 378.

Quae autem rationes fuerint *Infinitivi* Activi in verbo Latino, haud adeo facile dixerim. Conſtat quidem certiſſime apud omnes, *Praeſens* Infinitivi hujus Activi, terminari in *re* Itaque, ab *amo*, ſive potius ab *amao* veteri (Graecorum ἀμάω) unde contractum fuiſſe *amo*, ἀμῶ, ſupra docuimus p. 259. reſecta adformante *primae* perſonae *Praeſentis* O, ortum eſt *ama*re, a *doce*, *doce*re, ab *audi*, *audi*re, atque ita in aliis. Verum, unde ſuum illud RE Latini habuerint, non aeque certo ſcimus. Neſcio tamen, an ex AMAEN (Dorice ἀμάεν) literis N,

et R, inter ſe permutatis, ut ſolent hae literae ſaepius commutari, factum primo ſit *amaër*, ex *amaër* vero, trajectione admiſſa, deinde *amare*. Niſi forte ſimplicior adhuc videatur ea formandi ratio, qua ab AMAO, (demta ſola adformante o, adjectaque litera ν, tanquam *characteriſtica infinitivi modi)* ortum ſit primum ἀμᾷν AMAN, & hinc porro AMAR, cum vocali *e* ad finem, commodius mox pronuntiandum AMARE: quale quidem *e* (ſive ʹ) Arabes ubivis ad finem verborum ſuorum in *Praeteritis* maxime adjiciunt, dicentes *nátſara*, vel potius *nátſare*, (نَصَرَ) pro *natſar*, Hebr. נָצַר.

Sane ν, in fine *infinitivi* Graeci, olim adfuiſſe quis neget, qui contulerit tantum modo Dorica γαρύεν, γινώσκεν, ἀείδεν, aliaque, id genus, plura? Porro ipſum hoc comparari poteſt, quod modo diximus, Graecum vulgatum ἀμᾷν? Visne clariora inſuper exempla; ecquid Latinorum LEGERE aliud eſſe poteſt, quam Doricum λέγεν, apud *Archyt.* reperiundum inter fragmenta Pyth. p. 852. (laud. *Maittair.* p. 230.) Quid EDERE aliud fuid, quam ἔδεν, apud *Caninium* in Hellen. p. 275? Ne vero excipias, Latinis tamen inaudita fuiſſe terminata ejusmodi in ER, loco EN Graecorum; ecce tibi BIBER obſoletum pro BIBERE, apud *Voſſium* de Analog. L I, p. 483. ubi diſputat de loco *Terentii*, in Andr. III, 2, 4. quo in loco nonnulli ſciſcant, legendum

 eſſe:

eſſe: *Quod juſſi ei dare* BIBER, *&*, *quantum imperavi, date.* Negat quidem vir ſummus, lectionem iſtam BIBER, in *Terentio*, ſcriptore nitidiſſimo, eſſe ferendam, ſed *obſoletam* tamen hanc formam vocat, „ a *Capro* Grammatico, tanquam *obſoletam* damnatam." Accedat his forma *infinitivi* Latinorum antiqui in *ſſere*, cujus veſtigia, apud *Plautum*, paſſim deprehendas, uti v. c. *expugnaſſere*, *impetraſſere*, *reconciliaſſere*, *probibeſſere*, de quibus verbo dixit *Voſſ.* Anal. L. III, p. 82. Secundum eam, quam dixi, formam τὸ *amaſſere* nihil aliud eſſet, quam *futurum* Infinitivi Graeci ἀμάσσεν, Dorice pronuntiatum pro ἀμάσειν, vel ἀμάσσειν, ut pro τύψειν, Dores iidem dixere τύψεν, pro βοάσειν, βοάσεν, ſive βοάσσεν.

AD ANALOG. CAP. VI, p. 81.

De Participiis verbi Activi apud Graecos.

Participii in verbo Activo, apud Graecos, tempora *tria*, *quatuor*ve ad ſummum, eſſe oportet, (ſecundum ea, quae *Lennepius*, ſupra diſputavit) *Praeſens*, nempe, τύπτων, *Praeteritum* τετυφὼς, *Aoriſtus* τύψας, & *Futurum* τύψων. Hic vero qui, primo adſpectu, diverſa multum inter ſe fuiſſe dixerit *Praeſens*, *Futurum* & *Aoriſtum*, oppido falletur, haud ſatis attentus ad *Phaedri* praeceptum in Prologo L. IV. a *Bentlejo* ſic emendatum:

„ *Non*

„ *Non ſemper res ſunt quod videntur. Decipit*
Frons prima multos: rara mens intellegit,
Quid interiore condat natura angulo."

Etenim vel ſola *Genitivi* Singularis flexio ſatis edocere poterat, inter caſus *rectos* olim analogiam interceſſiſſe, ut alibi, ſic & hic, ſatis admirabilem. *Genitivi*, *Praeſentis* Participii, *Aoriſti* & *Futuri*, quomodo, quaeſo cadere potuiſſent in -ντος, τύπτοντος, τύψαντος, τύψοντος, ſi quidem τύπτων, & τύψων, a τύψας, tanto opere diſcrepaſſent? De *Praeterito* τετυφὼς (cujus *Genitivus* in ότος terminetur) alia res videri poſſit: ſed propius accedet formatio, hujus *Praeteriti* Participii Activi, ad eam *Praeſentis* & *Futuri*, ſi meminerimus, *Aeoles*, pro τετυφὼς in *Praeterito* dixiſſe τετύφων, non aliter atque in Praeſenti a τύπτω dicitur τύπτων, in *Futuro* a τύψω, τύψων. Ergo, niſi obſtaret Genivus τετυφότος, fortaſſe in eandem fere opinionem incideres, quae *Lennepio* placuit, quum de *Praeterito* Imperativi ageret ſupra (p. 78.) „ *Perfectum Imperativi* τέτυφε, a *Praeſenti* ejusdem τύπτε, non aliter diverſum cenſenti quam ſola forma verbi: τύπτε eſſe, nempe, a τύπτω, τέτυφε vero a τετύφω, qualiter a πεφύκω, Praeſenti Indicativi, foret *Praeſens*, non *Perfectum*, Imperativi πέφυκε." Eadem, inquam, ratione videri poſſit, *Praeſens* Participii Activi τύπτω pp. eſſe a τύπτω, *Praeteritum* vero τετυφως, Aeolice prolatum τετύφων, eſſe a

 for-

forma reduplicata τετύφω. Sed de *Participio* hoc inferius commodius differi poterit ad Analogiae Lennep. p. 139. 140.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 81.

De Verbo Paſſivo.

Verbi Graeci literas *radicales*, (quas vocant Orientales Grammatici) contineri, ſive in *Infinitivo* Activo, ſive in *Praeſenti* Indicativi Modi, reſectis tantum terminationibus, ναι, ειν, vel μι, ω, cet. ex iis, quae ſupra diſputavimus, abunde jam colligi potuit. (Redi ad pag. 282. 311. 316. 380.) Exinde etiam ſimul potuit conſtare, terminationes perſonarum in *Praeſenti* Indicativi ω, εις, ει, ομεν, ετε, ουσι, ετον, ετον, ſive μι, σι, τι, vel potius ω, ſ. μι, ς, μεν, τε, σι, τον, τον, non fortuito aut nulla de cauſſa, additas verbo fuiſſe, ſed eſſe diverſarum Perſonarum, in verbo Graeco, terminationes has, ex origine & natura ſua, ipſa *pronomina perſonalia* vetuſtiſſima, ſive *literas*, de *pronominibus* illis *perſonalibus reſectas*, ut, earundem literarum, (quas nos *Adformantes* dicimus) auxilio, *perſonae* verbi *ſingulae* determinarentur. Quam quidem, ſuper *terminationibus* hiſce, obſervationem *Lennepianam*, a nobis fortaſſe nonihil amplificatam, & latius deductam, commilitonibus noſtris ſatis inculcare vix poſſumus, quamque adeo non pigebit

bit lectorem hic iterum reperiſſe. Conf. omnino p. 311. 312.

Jam vero ex eadem, quam diximus, obſervatione, ſimul conſtare poterit, quaenam ſit, apud Graecos, conjugationis, in *Activo* & *Neutro* verbo, pecularis forma, a Philoſophis noſtris vulgo dicta, *eſſentia*. Terminationes, nempe, hae ω, εις, ει, vel μι, σι, τι &c. in *Praeſenti Indicativi* efficiebant formam verbi *Activam*, ſive *Neutram*, uti, contra, terminationes μαι, σαι, ται &c. nobis praebebunt formam verbi, ſive *Paſſivam*, ſive *Mediam*.

Quodſi hic deinceps quaeratur, quaenam igitur ſint rationes terminationum peculiarium iſtarum, in INDICATIVO VERBI, ſive *Paſſivi*, ſive *Medii*; ſuffecerit omnino, quantum ad formam ſermonis exteriorem attinet, cum cel. *Lennepio*, (Analog. p. 81. 87. & 93.) reſpondiſſe: „ terminationes *Indicativi Paſſivi*, pro variis ejusdem *temporibus* & *perſonis*, olim fuiſſe in *Praeſenti* ejusdem, *Praeterito perfecto*, & *Futuro*, hoc modo variatas:

Singul.	Dual.	Plur.
μαι, σαι, ται.	μεθον, σθον, σθον.	μεθα, σθε, νται.

in *Imperfecto* autem, & *Plusquam perfecto*, paullo aliter,

Singul.	Dual.	Plur.
μην, σο, το.	μεθον, σθον, σθον.	μεθα, σθε, ντο.

ubi videmus ſolum diſcrimen eſſe in *numero Singulari*, & in tertia *Pluralis* perſona, deſinenti in νται, vel ντο. Sed cauſſae illarum Paſſivi Indicativi terminationum nondum ſatis apparent.

Obſervetur igitur, proprium hunc *Paſſivae* formae *characterem* ſitum videri, in ſolis ſyllabis,

αι. θον, θην. θα, θε, αι.

quae *Praeſenti*, *Perfecto*, & *Futuro* Indicativi Paſſivi adhaerent, vel in ſyllabis

ην, ο. θον. θα, θε, το.

quae *Praeterito Imperfecto* & *Plusquamperfecto*, adformantium inſtar, acceſſerunt.

Jam vero, quo clarior evadat noſtra qualiscumque, de his formis, diſputatio, comparemus, quaeſo, inter ſe *Activas* verbi formas, cum *Paſſivis*, idque, majoris evidentiae gratia, faciamus, in verbis τίω *honoro* & ζεύγνυμι, *jungo* Ex his enim, tanquam e ſimpliciſſimis verbis, diſcrimen, quodcumque tandem ſit, inter *Activas* & *Paſſivas* formas apertiſſime ſtatim in oculos incurret.

Praeſens Indicativi *Activi*, in verbis τίω & ζεύγνυμι, hoc eſt:

τίΩ, τιεις, (Dorice τίες,) τίεΙ. τίομεΝ, τίεΤΕ, τίουσΙ.

ζεύγνυμΙ, ζεύγυς, ζεύγνυσΙ. ζεύγνυμεΝ, ζεύγνυΤΕ, ζευγνῦσΙ (at Ionice, plenius, ζευγνύαΣΙ.)

Praeſens Indicativi Paſſivi, in iisdem verbis, ſic ſe habet:

τίομΑΙ,

τίομΑΙ, τίῃ (olim ΤίεσΑΙ) τίεΤΑΙ, τιόμεΘΑ, τίεσΘΕ, τίονΤΑΙ.

ζεύγνυμΑΙ, ζεύγνυσΑΙ, ζεύγνυΤΑΙ. ζευγνύμεΘΑ, ζεύγνυσΘΕ, ζεύγνυνΤΑΙ.

Animadverſiones quasdam ad iſtas formas exhibeamus. In *perſona* quidem Sing. Indicant. Paſſiva

I. Apparet, a τίω dici τίομΑΙ, ut a ζεύγνυμΙ, ζεύγνυμΑΙ: quod vero ut rectius intelligatur, obſervandum eſt, pro τίΩ, veteres etiam dixiſſe τίομΙ, & hanc verbi formam, in ΜΙ, alteri illi in Ω aut coaevam fuiſſe, aut quod veriſimile magis eſt, longe fuiſſe ea antiquiorem. Vide obſervationes *Lennepii* Anal. Cap. IX, p. 111. ſſ. & Cap. XII, p. 165. ſſ. & nos, p. 283. Ergo τίομαι, proprie loquendo, factum non eſt a τίω, ſed a τίομι, ut ζεύγνυμΑΙ a ζεύγνυμΙ, terminatione Activi, μι, verſa in eam Paſſivi, μαι.

II. Ab ejusdem ζεύγνυμι *ſecunda* perſona Singularis (ζεύγνυς) addito ΑΙ, factum eſt ζεύγνυσαι, neque aliter a τίες (quod Dores dixere, pro τίεις, ut τύπτες pro τύπτεις) productum fuit τίεσαι· porro pro τίεσαι, σ eliſo, nata ſunt τίεαι, τίῃ. Conf. Anal. p. 81. & infra p. 397—399.

III. A *tertia* perſona Activa ζεύγνυσι oportuerat in *tertia* Paſſ. ſimiliter exiſtere ζεύγνυσαι, hoc vero ne confuſionem pareret cum perſona *ſecunda*, ideo litera σ in cognatam alteram, τ, verſa dixerunt potius ζεύγνυται. Ubi probe ſimul attendi velim, in *Dorica* dialecto uſitatum olim fuiſſe, ut,

pro ζεύγνυσι, in *tertia Sing.* Praeſentis Activi efferretur ζεύγνυτι: unde Latini veteris habuiſſe ſuum videntur *amat*, *docet*, *audit*, pro *amati*, *doceti*, *auditi*, ἄματι, δόκετι, αὔδιτι.

Neque aliter comparata res eſt in *tertia* perſona, Pluralis numeri; ζεύγνυνται & τίονται, quae formae manifeſto derivatae ſunt, a vetuſtis formis Doricis Activis, ζεύγνυντι & τίοντι. Red. ad p. 319. Reſorbta, nimirum, ultima vocali ι, enata mox ſunt primum τίοντ' & ζεύγνυντ', quibus dein addito αι Paſſivo habebis τίονται & ζεύγνυνται.

At *prima* & *ſecunda* Pluralis ζευγνύμεθα, ſive τιόμεθα & ζεύγνυσθε ſive τίεσθε, paullo majorem habet difficultatem. In his enim terminatio illa Paſſiva αι, quam diximus, aut nunquam adfuit; aut αι, in α & ε, correpta, (ut alibi etiam factum eſſe putem) pro ζευγνύμεθαι & τιόμεθαι, in *prima* perſona, poſtea pronuntiarunt ζευγνύμεθα & τιόμεθα. Hoc longe certius eſt, *Dores* olim, (pro ζεύγνυμεν, & τιόμεν Activis,) dixiſſe ζεύγνυμες & τίομες. Redi ad p. 317. Iſtis igitur formis Doricis adjecta ſyllaba θα, enata fuerunt primum ζευγνύμεσθα & τιόμεσθα·, cujus moduli voces πελόμεσθα ex *Theocrito* & δεόμεσθα, ex *Ariſtophane*, laudavit *Maittair.* p. 229. Dein ς iſto finali, vel & ν, eliſis, dixerunt ζευγνύμεθα, τιόμεθα. *Secunda* vero Pluralis ζεύγνυσθε ſive τίεσθε, adjecta ſyllaba θε deſcendit a ζεύγνυτε, ſive potius a pleniori ζεύγνυτες, quod olim in uſu fuiſſe, veriſimile eſt. Vide ſupra p. 318. Huic qui-

quidem obſoleto ζεύγνυτες, ſi addatur *Paſſivae formae* conſueta, in *Praeſenti*, *Praeterito*, & *Futuro*, *terminatio* AI, habebimus primum ζευγνύτε-αι, ex quo mox contractione facta, & ſimul adhibita adſpiratione, facillime enaſci potuit ζεύγνυσθαι, eodemque tandem αι in ε correpto, ζεύγνυσθε. Commodiorem viam, qui hic demonſtraverit, (modo analogiae ſervet normam) gratiſſimum nobis faciet.

Accedamus ad *Praeteriti Imperfecti* & *Plusquamperfecti*, in Indicativo Paſſivo, formationem paullo propius contemplandam. Dari autem & hic analogiam quandam inter *Praeſentis*, *Praeteriti*, *Futurique*, in Indicativo Paſſivo, terminationes, & inter terminationes ejusdem Modi in temporibus Praeterito *Imperfecto* & *Plusquamperfecto*, nemo, ut opinor, negaverit, qui *Dualium* & *Pluralium* terminationes, in omnibus his temporibus, (ſupra a nobis exhibitas p. 390.) vel leviter dignetur comparare. Ergo diſcrimen jam, prope unicum, erit in numero Singulari, ubi *tria* tempora *priora* habent terminationes μαι, σαι, ται, *poſteriora* vero *duo*, μην, σο, το.

At hoc ne cui mirum videatur, cogitet, quaeſo, in Indicativo *Activo*, ſimiliter diſcrimen aliquod fuiſſe, inter terminationes *Praeſentis*, *Perfecti*, *Futurique*, & inter eas *Imperfecti* ac *Plusquamperfecti*: neque diſcrimen illud, ſi probe attendas, aliud fuiſſe, quam quod in Indicativo hoc Paſſivo obtineat.

Prae-

Praeteriti Imperfecti & *Plusquamperfecti* terminatio, in Indicativo *Activo*, erat N, ut, in ἔτυπτοΝ, ἐτίθηΝ, ἐτετύφειΝ, ἐτεθείκειΝ. In his quidem litera N, ad ſinem adjecta, *Praeteritam*, *Imperfectum* & *Plusquamperfectum*, a *Praeſenti* ac reliquis, diſcernebat; cujus adjectae literae N cauſſas reddere ſtuduimus, ſupra, p. 320. 321. Ecquid jam analogiae magis congruum excogitari poterit, quam quod, in *Paſſivi* verbi modo *Indicativo*, idem N, in *prima* ſtatim perſona, eandem differentiam faceret? id quod re ipſa ita contigiſſe, collatio *Praeſentis* ζεύγνυμαι & τίομαι, cum *Imperfecto* ἐζευγνύμηΝ, & ἐτιόμηΝ, ſtatim edocebit. Neque moram hic facere nobis poterit terminatio *Imperfecti* in μην pro μαιν, quod pp. exiſtere oportuisſet, adjecta ſola N ad terminationem Praeſentis. Quid enim magis uſitatum eſt, quam quod αι Graecum contrahatur in η? Sic Hebraei, pro בַּיִת *baith*, dicunt in regimine בֵּית *beeth*, pro עֵינַי *ainaj*, עֵינֵי *eenee*, Latini pro Μȣ́σαι, *Muſae*, Galli ſuum MAIS pronuntiant *mees*, J'AI, *jee* &c.

Reſtabit igitur diſcrimen, in *ſecunda* & *tertia* perſona *Imperfecti* & *Plusquamperfecti* σο, το, quod tamen diſcrimen, antiquiſſimis L. Graecae temporibus, obtinuiſſe, vix mihi perſuadeo, quandoquidem in ceteris perſonis mira adeo eſt terminationum convenientia. Conjicere igitur potius liceat, a vetuſtiſſimis Graecis, quum

&

& hic antea σαι & ται frequentaſſent, *iota* extremum, uſu quotidiano, deinceps reſorbtum fuiſſe, & tandem, pro α, obſcurius ſonari coeptum fuiſſe ο, unde terminationes σο & το fuerint enatae. Reliqua, ne longior ſim, perſequi non audeo.

Hoc unum praeterire non licet, quemadmodum vocales α & ι, apud Graecos in *unam Diphthongum* contracta, vel &, neglecto *iota*, obſcurius pronuntiatae α, characterem quendam notionis Paſſivae conſtituunt in τίομΑΙ, ζεύγνυμΑΙ, ἐζεύγνυσΟ, ἐζευγνυνΤΑΙ, ſic & apud Orientales vocales ο & α, vel ο & ι, in duabus ſyllabis diviſim, characterem Paſſivi effeciſſe, ut e. gr. *Hebr.* in *hOfkAd* (הָפְקַד) Arab. *fOkIda*, (فُقِدَ) &c.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 81.

De terminatione ſecundae perſonae εαι *contracta in* η.

Pro τύπτεσαι, veteres dixiſſe τύπτεαι, σ eliſo, quin potius veteres illos adſpirationem (quae olim ante αι, adfuit, quaeque poſtea fere ſemper in σ reſolvi ſolebat) loco σ, in τύπτεαι, ſimilibusque formis, conſervaſſe, res eſt vulgo notiſſima. Exempla complura dedit *Maittair.* p. 126. 127. Vel unum ſuffecerit commemoraſſe κέλεαι, quod paſſim legitur in *Homero*, quodque

Ety-

Etymologus, ex eodem, laudavit, col. 502: 5. ſed infeliciter admodum explicuit, quaſi, nempe κέλεαι eſſet repetendum a verbo cognato κελεύουσι, unde (ſyncope facta *diphthongi* ευ) enatum fuerit primo κέλομαι, & hinc κέλεται, ac denique, τ, more Ionum, abjecta, κέλεαι· quae, quam parum reſpondeant ſimplicitati ſermonis, nemo eſt, qui non perſpiciat. Eſt enim κέλεαι potius idem quod κέλεσαι, σ aut abjecta, aut, more veterum, non adhibita, *ſecunda* perſona *Singul. Praeſ.* adeoque Indicativi Medii, inflexa ad normam verbi τίθεμαι, τίθεσαι, τίθεται, ductaque a forma veteri κελέμαι, κέλεσαι, κέλεται· cujus formae rationes expoſuit *Lennepius* Anal. p. 94. 95. Eadem igitur ratione explicanda ſunt & alia, ab *Etymologo* laudata, c. 237: 1517. βέλεαι, γνώσεαι, c. 466: 6. ἵδηαι, c. 621: 36. 37. ὄσεαι, δίζεαι, ceteraque paſſim obvia, apud veteres. Denique, pro τύπτεαι, hoc pacto dixerunt τύπτῃ, ut vocales εα contraherent, in η, *iota* vero ultimum ſubſcriberent, unde τύπτῃ.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 81.

„ *Atticos, quum nondum vocales longae ab ipſis eſſent receptae, pro* η, *poſuiſſe* ει."

Quod hic loci monuit cel. *Lennepius*, „ de ει veterum, pro recentiori η, idem obſervat in Commentar. ad *Phalaridis* Epiſt. p. 348., laudato ibidem

ibidem ſimul *Valcken.* in Euripid. Phoen. vs. 576, p. 215—217. & exemplo egregio producto ex *Luciani* T. III, p. 122: 42. ubi, pro antiquo ἅπτει, reſcribendum ſit ἅπτῃ. Conf. idem quoque *Valcken.* ad Euripid. Phoen. p. 41. 54 95. &, ante eum, *Hemſterhuſ* ad Ariſtoph. Plut p. 29. 285. 434. Adde Ill. *Villoiſoni* Diatr. p. 168.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 82. 83.

„ *De Futuro Indicativi Paſſivi, non ab Aoriſto Indic. Paſſ., ſed a Futuro Indicativi Activi, formando.*"

Vix quidquam aliud a Grammaticis confictum fuit, quod ſimplicitati linguarum magis repugnaret, quam quod ſtatuerunt, *Futura* Paſſiva ab *Aoriſtis*, quin & *Futura* a *Praeteritis perfectis*, oriri. Quemadmodum enim *Praeſens Paſſivi* fieri vidimus, a *Praeſenti Activi*; *Imperfectum Paſſivi*, ab *Imperfecto Activo*; & quemadmodum deinceps docebitur, *Perfectum Paſſivi* fieri a *Perfecto Activo*: ita dubium non eſt, quin *Futurum Paſſivum* fiat a *Futuro Activo*; atque ſic porro, per univerſum, qua late patet, verbum, in Modis ac Temporibus omnibus.

Praemittamus igitur, hic loci, paucis (quod deinceps p. 84. & 107. dilucide oſtendet *Lennepius*) *Futurum* verbi *Paſſivi*, in Indicativo verbi τύπτω, eſſe τύψομαι, in τίω, τίσομαι, in θέω

ſivo

ſive θεμὶ, (pro quo adſumta fuit reduplicata forma τίθημι) θήσομαι, atque ita in reliquis.

Alteram formam τυφθήσομαι (quam Grammatici vulgo tribuunt verbo *Paſſivo*, tanquam effictam ab *Aoriſto*, ut illi volunt, *primo*) pp. eſſe ductam a *Futuro* activo, derivati verbi τυφθέω, ut τυπήσομαι, ab illa verbi τυπέω, &c. perſpicue, me quidem judice, docuit *Lennepius*, p. 83. At ratio tamen reddenda adhuc reſtat, ſecundum quam, a Futuro illo Indicativi Activi

τυφθήσω, τυφθήσεις, τυφθήσει,

pp. efformari poſſit Futurum ejusdem Indicativi Paſſivum

τυφθήσομαι, τυφθήσῃ, τυφθήσεται·

fiatne, ſcilicet, hoc ſimpliciter, terminationem Activam σω mutando in σόμαι, σεις in σῃ, σει in σεται, ut, pro τυφθήσω, σεις, σει, exiſtant τυφθήσομαι, σῃ, σεται, pro τύψω, τύψομαι, cet. adeoque, an characteriſticae notionis Paſſivae, in his ſimilibusque omnibus, ſint ΜΑΙ, ΣΑΙ, ΤΑΙ; an vero characteriſtica illa pp. ſit ΑΙ, qualem eſſe in *Praeſentis* Indicativi Paſſivi perſonis, ſuperius demonſtravimus?

Equidem mihi non perſuadeo, Μ illud in μαι, aut Σ in σαι, aut Τ in ται, Paſſivae formae characteriſticam eſſe potuiſſe: ſed linguae analogia omnino videtur poſtulare, ut Μ characteriſtica maneat *primae* perſonae, Σ *ſecundae*, & Τ *tertiae*; adeoque τυφθήσομαι pp. dictum non ſit a τυφθήσω, ſed ab antiquiori longe τυφθήσομι, quod termi-

terminationem primae perſonae in MI, ſecundae in ΣΙ, tertia in ΤΙ habuerit. Transfer & huc dicta ſuperius p. 393.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 84.

„ *Futurum, Verbi Medii non aliud eſſe quam Futurum Paſſivi.*"

Etſi proprius, de *Futuro* verbi Medii, agendi, infra demum dabitur locus, ad Analog. p. 107. tamen minime alienum erit, a praeſenti inſtituto noſtro, de hoc *Futuro*, tanquam vero & unico *Futuro* Paſſivi, non Medii, Verbi, hic loci quaedam addidiſſe. Obſervetur igitur:

I. Secundum ſimpliciſſimas linguae Graecae leges aliter fieri non potuiſſe, quin, quemadmodum in *Praeſenti* Indicativi Paſſivi a τύπτω, ſive potius ab antiquiori τύπτομι, ι terminali reſecto, adjectaque Paſſiva forma ΑΙ, factum eſt τύπτομαι· ſic a *Futuro* ejusdem τύψω, ſive ab antiquiori forma τύψομι, finali ι reſorbto, additoque eodem ΑΙ Paſſivo, in *prima perſona* Singulari, fieret τύψομαι.

II. Animadverti oportet, exempla hujus *Futuri*, (vere *Paſſivi*, non *Medii*) bene multa adhuc exſtare, apud ſcriptores Graecos; in primis vero Atticos: uti ſatis colligi poteſt, ex iis, quae viri erudititiſſimi, de *ſignificatione Pasſiva Futurorum*, (dictorum vulgo *Mediorum*)

 paſſim

paſſim admonuerunt. Adeantur hic *Lud. Kuſterus*, de Verbis Mediis, Sect. III. *Hemſterhuſ.* ad Thom. Magiſtr. & *Pierſon*, ad Moerid. Att. p. 367. voce τιμήσεται. *Weſſeling.* ad Herodot. p. 388: 20. 442: 8. 12. 443: 41. *D'Orville*, ad Chariton. p. 693. *Duker.* ad Thucyd. p. 54. 155. 460. *Abreſch* ad Aeſchyl. p. 91. 318. *Valckenaer.* ad Theocr. Eid. I, 26. Eminent, inter exempla, ab his viris, congeſta, ſequentia: δηλώσεται, pro δηλωθήσεται, *manifeſtabitur*; σταθμήσεται, pro σταθμηθήσεται, *ponderabitur*; μισήσομαι, pro μισηθήσομαι, *odio habebor*; καταλύσεται, pro καταλυθήσεται, *diſſolvetur*; τιμήσεται, pro τιμηθήσεται, *honorabitur*; ἀπολύσεσθε, pro ἀπολυθήσεσθε, *abſolvemini*; ζημιώσεται, pro ζημιωθήσεται, *punietur*.

III. Teneatur denique, uſum linguae poſtea voluiſſe, ut, in longe plurimis formis, ejusmodi *Futura*, vim verbi *Medii* haberent; pro *Futuris* autem *Paſſivis* adhiberentur aliae formae productiores; qualium magnam ſatis copiam ſimplicioribus illis modo adjunximus. Ex quo jam ſimul apparebit, *Lennepium* noſtrum non id voluiſſe, ut (ſermonis quotidiani uſu multum reclamante) pro τυφθήσομαι, in *Pasſivo* verbo, reponeret τύψομαι, ſed nos edoceret, ipſi tantum in animo fuiſſe, Futurum Paſſ. τυφθήσομαι pp. deſcendiſſe non a τύπτω, ſed a verbo productiori τυφθέω· verbique τύπτω, veri nominis. *Futurum Paſſivum* olim fuiſſe τύψομαι, quod tamen Mediae ſignificationis vim plerumque retinuerit.

Ad Analog. cap. VII, p. 85, 86.

De Paullo - poſt - futuro.

Dubitanter & verecunde adeo de *Paullo-poſt-futuro* hoc loquitur cel. *Lennepius*, ut („ etiamſi demonſtrari poſſe haud opinetur, *Paullo-poſt-futurum*, quod vocent Grammatici, a vulgari *Futuro*, revera differre ſignificatione") omnino tamen negare nolit. Noſtrum ſane non eſt, litem hanc dirimere. In medium tamen protuliſſe haud pigebit quaedam, ex *Homero* potisſimum, exempla, quibus accurate inſpectis, expenſisque, discant commilitones noſtri, paullo certius diſpicere, quid tandem hic tenendum ſit, cogitentque ſimul, non ſtatim contemnenda eſſe, quae facie externa minus fortaſſe placeant, & nihilominus tamen in uſu ſermonis, ipſaque adeo loquendi natura, ſint fundata.

Futuri igitur hujus, (quod vocatur, a Grammaticis, μετ' ὀλίγον μέλλων, *Paullo-poſt-futurum*, adhiberique dicitur, „ *cum quid impendere videtur*," ſive „ *quoties actio jam mox futura ſignificatur:*") hujus, inquam, *Futuri* characteriſtica quaedam eſt *reduplicatio*, *primae verbi conſonantis*, *cum vocali* ε. Itaque, ſi Grammaticos audias, a τύπτω, eſt τετύψομαι, *paullo poſt verberabor*, a τιμάω, τετιμήσομαι, *paullo poſt honorabor:* porro a φιλέω, (loco literae adſpiratae, repetita litera media) πεφιλήσομαι, *mox amabor*, a χρυ-

σόω, κεχρυσώσομαι, *paullo mox inaurabor.* Idem denique Futurum (quod *Futurum tertium* vocat doctiſſimus *Hulewiczius* Inſtit. L. Gr. p. 278.) „ *non niſi in forma* PASSIVA *exſtare monet, & ne ſemel quidem occurrere in Novo Teſtamento:* quod enim in Evangel. *Lucae* Cap. XIX, 40. reperiatur κεκράξονται, vulgo quidem pro *Paullo-poſt-futuro* acceptum, non eſſe veri nominis *Paullo-poſt-futurum*, ſed *Futurum* Medii, ductum a verbo [reduplicato] κεκράγω, quod, apud LXX interpretes, ſaepe occurrat."

Itaque *Homerum* adeamus, ſcriptorem vetuſtiſſimum, eundemque ſimul limpidiſſimum Graeci ſermonis fontem: ut, poſito omni partium ſtudio, ex hujus potiſſimum libris cognoſcamus, fuerintne tempora ejusmodi, *Paullo-poſt-futura* vulgo dicta, eo, (quem Grammatici voluere) ſenſu, vere uſitata, in antiqua lingua Graeca; an vero formae *futurorum ſimplicium*, ſed ex *reduplicatis* verbis derivatae, interpretibus doctisſimis hic impoſuerint?

Odyſſ. Ψ, 265. 266. apud poëtam Ulyſſes haec canit:

'Αυτὰρ ἐγὼ ΜΥΘΗ'ΣΟΜΑΙ ὀδ' 'ΕΠΙΚΕΥ'ΣΩ·
'Ου μέντοι θυμὸς ΚΕΧΑΡΗ'ΣΕΤΑΙ.

quae verba a *Clarkio* Latine ſic reddita ſunt:

„ *At ego* DICAM, *neque* CELABO:
Haud quidem tibi animus GAUDEBIT."

Appa-

Apparet, *Clarkium*, ut ſaepiſſime alias, pro *ſimplici futuro*, ſive *Paſſivo*, ſive *Medio*, accepiſſe. Sed audiamus *Euſtathium*, interpretem Graecum, & Graece loquentem ipſum, & Graeci ſermonis vetuſti peritiſſimum: Ὅρα δ' ἐνταῦθα τὸ ΚΕΧΑΡΗΣΕΤΑΙ, παραχθὲν ἐκ τοῦ χαίρω· οὗ ὁ μέλλων χαρῶ κοινότερον. Ὃς δὴ μέλλων ἀναδραμὼν εἰς περισπώμενον ἐνεστῶτα, τὸ χαρῶ, χαρήσω, ποιεῖ τὸ ΚΕΧΑΡΗΣΟΜΑΙ· ὁ χρόνου ἐστὶ μετ' ὀλίγον μέλλοντος κ. τ. λ. Negare nemo poteſt, ſi quidem revera detur, in lingua Graeca, *Paullo-poſt-futurum* ejusmodi *tempus*, id hic loci certe fore aptiſſime poſitum: ſequitur enim ſtatim *futurum* hoc poſt alia *futura* praemiſſa (μυθήσομαι *narrabo* & οὐκ ἐπικεύσω *non celabo)* qua facta narratione apertiſſima brevi futurum eſſet, ut *animus* auditoris minime ſane *laetaretur*. Videamus deinceps & alia ejusdem poëtae dicta.

Il. Α, 137—139. „ *Sin autem non* DEDERINT, (verba ſunt Agamemnonis, ab eodem *Clarkio* Latine reddita) *ego certe ipſe* AUFERAM, *vel tuum*, *vel Ajacis*, *veniens*, *praemium*, *vel Ulyſſis*, ABDUCAM *ablatum:* ὁ δέ κεν ΚΕΧΟΛΩΣΕΑΙ, ὅν κεν ἵκωμαι, *ille autem* COMMOTUS REDDETUR, *ad quem ivero.*" Subſtitue hic, tanquam in verbi forma *Paullo-poſt-futura*, ILLE AUTEM STATIM COMMOTUS REDDETUR, (vel, ad proprietatem verbi, *atra bile* BREVI PERFUNDETUR*)* *ad quem ivero:* & ſenties, ni fallor, majorem comminationis emphaſin. Verum, quid hunc verſiculum

tanquam ſpurium nonnulli rejiciunt, en tibi alium, in eadem verbi forma, Il. Υ, 300. 301. „*Sed agite, nos ipſi cum e morte ſubducamus*, Μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, *ne forte & Saturnius* IRASCATUR." Grammatici ajunt eſſe, in forma *Paullo-poſt-ſuturi:* quo pacto vertendum foret *brevi iraſcatur*, vel *mox iraſcatur*. Hebraeorum vates dixiſſent כמעט יבער אפו, pro una voce Graeca κεχολώσεται, duabus adhibitis. Conf. porro Il. Ε, 421. 762. Od. Ο, 114. Ω, 543.

Tertium, ex *Homero* petitum, exemplum ſit κεκλήσεται Od. Κ, 296. Hic tamen quum alii Codices habeant κελήσεται, idcirco ſumamus potius Il. Γ, vs. 138. ubi, in *ſecunda* perſona, eſt, Τῷ δέ κε νικήσαντι φίλη κεκλήσῃ ἄκοιτις, *Ei vero qui vicerit, tu* (Helena) *cara* VOCABERE *conjux*. Si vera ſit Grammaticorum (de forma hac *futuri*) ſententia, τὸ κεκλήσεται, jam hic non ſimpliciter erit *vocabere*, ſed, *mox vocaberis*, *nulla* interpoſita *mora uxor* ejus *vocaberis*, *uxor ejus brevi fies*.

His adjunge ex Il. Χ, 390. μεμνήσομαι *recordabor*, vel *mox recordabor*; Il. Ω, 742. λελείψεται *relinquetur*, vel *continuo relinquetur*; Od. Β, 203. βεβρώσεται *abſumetur*, vel *mox abſumetur*; Il. Ν, 829. πεφήσεαι *occideris*, vel *ſtatim occideris*.

Denique comparari poterunt, quae notavit cl. *Pierſonus*, ad Moerid. Atticiſt. p. 123. & alibi. In primis vero obſervari velim, (id quod ab eodem *Pierſono* jam animadverſum fuit p. 293.)

Paullo-

Paullo-poſt-futura haec, *licet rarius*, pro *futuris* etiam *Mediis* adhiberi. Laudato, apud *Pierſonum*, exemplo Homerico δεδέξομαι, addi poterit alterum πεπείσεται Il. O, 162. e lectione codicum quorundam praeſtantiſſimorum.

Ex quibus omnibus ſimilibusque, bene multis, veterum locis, accurate inſpectis, perpenſisque, veram *futuri* hujus indolem colligi ab aliis malim, quam meam qualecumque ſententiam hic pronuntiare. Id unum ſi forte ex me quaerant literarum harum ſtudioſi, ecquid, huic formae *Futuri*, ineſſe credam, quod *paullo poſt futuri notionem* in ſe comprehendat, eive, inter loquendum, quaſi imprimat? fatebor equidem me plane neſcire; quid conjiciam, non reticebo. Conjicio equidem, in repetitione illa primae verbi conſonantis (de qua diximus p. 403.) cum vocali ε ſequente, ineſſe neſcio quid *mox futuri*, atque *jam jam inſtantis*, quod vix melius audiri poſſit, quam ex ore haeſitantis iracundique in ſermone viri; illius inprimis, qui blaeſo ore minetur, quid jam jam facturus ſit. Experimentum capiatur in pronuntiatione vocum δεδέξομαι & πεπείσεται, quas ſupra tetigimus, aut in δειδίξεσθαι Il. Υ, 201. 432. —— De formis verborum *reduplicatis* infra adhuc quaedam dicenda venient.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 87.

De Praeterito Perfecto Paſſivo.

Terminatio ſingularum temporis hujus *perſonarum*, quaenam olim fuerit, accurate indicat cel. *Lennepius*, p. 87. Componi poterunt, quae a nobis quoque ſuperius ſunt annotata p. 391–397. In primis autem hic iterum obſervari velim, literas μ, σ, τ, cet. quae in terminatione μαι, σαι, ται cet. occurrant, non eſſe characteriſticas *temporis Praeteriti perfecti*, tam parum certe quam *characteriſticae* ſint *temporis Praeſentis*, & *Futuri*; ſed characteriſticas eſſe has literas duntaxat *perſonarum primae*, *ſecundae*, *tertiae*, ortas quippe ex μι, συ, ἱ vel σι, τι. (Redi ad p. 281. ſſ.) Porro characteriſticam *Paſſivae ſignificationis* eſſe *diphthongum* αι, adjectam a fine: denique veram *Praeteriti perfecti* (qua nempe *perfectum praeteritum* ſit) notionem quaerendam videri in *reduplicatione primae* verbi literae, uti ſentiri poteſt ex τέ-τικα, τέ-τιμαι, πε-ποίηκα, πε-ποίημαι, τέ-τυφα, τέ-τυμμαι, &c. Ubi vero talis *reduplicatio* primae literae, per ipſam verbi indolem, fieri non ſatis apte poſſit (ut in ἕ-ϛακα, ἕ-ϛαμαι, εἷκα, εἷμαι) ibi alia ratione huic incommodo conſultum putamus, ſive per *ſpiritus aſperi* intenſionem, ſive alio modo.

Ad Analog. cap. VII, p. 88.

An Praeteritum perf. Paſſivum a Praeterito perf. Activo fiat, terminationem κα, *in* μαι, *mutando?*

Concedit ipſe vir ſummus, *rationem hanc* formationis *omnium ſimpliciſſimam*, & *antiquisſimam* dici forte *non poſſe.* Ergo aliam mox ſubjungit, ſuo judicio, commodiorem, ut *terminatio*, nimirum, *Activa* α *in eam Paſſivi fuerit* commutata. Quod autem hoc tanto magisſibi perſuadeat facere, dicit vir clariſſimus, *tertiam Pluralis* hujus temporis *Praeteriti Paſſivi*, apud Iones, in αται flecti ſolitam. Nimirum, in *tertia* hac Pluralis Iones dixere τετύφαται, κεκρύφαται, λελέχαται, σεσάχαται &c. apud *Caninium* in Hellenismo, p. 280. & *Maittair.* p. 129. B. & 354. Quam porro rationem, in eadem dialecto Ionica, etiam ſequi obſervat *tertiam* perſonam *Pluralem Praeteriti* Plusquamperfecti, ut τετύφατο, [ἀπίκατο, de quo idem *Maitt.* & *Weſſeling.* ad Herodot. L. IV, 140. p. 342.] & ſimilia.

Hoc ſi admittamus, apparebit, a τέτικα (terminatione Activi α in eam Paſſivi αμαι mutata) Praeteritum Perfectum Indicativi Paſſivi olim eſſe debuiſſe:

τετίκαμαι, τετίκασαι, τετίκαται·
τετικάμεθα, τετίκασθε, τετίκανται.

 Unde,

Unde, facta poſtmodum eliſione ſyllabae integrae κα, ortum deinde fuerit,

τέτιμαι, τέτισαι, τέτιται·,
τετίμεθα, τέτισθε, τέτινται.

ita tamen, ut *tertia Pluralis*, (eliſa ſola litera ν) apud Iones manſerit τετίκαται, quemadmodum in τετύφαται &c.

Nobis quidem, ſi eandem, in hujus *Praeteriti Perfecti Paſſivi* formatione, viam tenere liceat, quam in formatione *Praeſentis* & *Futuri*, inſtitimus (p. 393. & p. 401. 402.) haud minus commoda erit formandi ratio. Non enim hoc pacto, a τέτικα, (quod placuit ſuaviſſimo praeceptori noſtro) repetemus illud τετίκαμαι, antiquiſſimum, ex quo deinceps, per craſin, ortum ſit τέτιμαι, ſed idem τετίκαμαι formabimus a longe antiquiori forma, in MI, τετίκαμι, qualis forma in MI aeque obtinuerit olim, in *Praeterito*, atque locum habuiſſe videtur in *Praeſenti* & *Futuro*. Confer, ſis, dicta p. 311. & alibi.

AD ANAL. CAP. VII, p. 93.

De formatione Praeteriti Plusquamperfecti in Indicativo Paſſivo.

Quae de formatione *Imperfecti*, a tempore *Praeſenti Paſſivi*, dicta ſunt (p. 391. 392. & 396.) eadem hic recurrunt monenda. Teneatur

tur tantummodo, quod de diverſitate vocalium, in terminationibus perſonae *ſecundae* & *tertiae* Singularis, praeceptum fuit (p. 396. extrema) idem valere de diſcrimine earundem vocalium, in *tertia Plurali:* ubi *Praeſens*, *Perfectum* & *Futurum* terminantur in νται, *Imperfectum* vero & *Plusquamperfectum* in ντο.

De *Dualium* terminationibus (quae, in omnibus iſtis *quinque* temporibus plane eaedem ſunt, excepta ſola *perſona tertia Duali*) hic loci plura addere non eſt opus. Poterit earumdem ratio facile colligi ex obſervatis, p. 392 ſſ. collatis iis p. 363—365.

Ad Analog. cap. VII, p. 93—96.

De vocalium ο *&* ε *permutatione, in perſonis diverſorum temporum Indicativi Pasſivi.*

Quae, de vocalium, ο & ε, permutatione, in variis *Praeſentis* & *Praeteriti Imperfecti Pasſivi perſonis*, clar. auctor hic loci admonuit, ſua ſe ſimplicitate unicuivis, vel leviter attendenti, facile commendabunt. Hoc unum, in gratiam literaturae Hebraeae ſtudioſorum, addidiſſe fortaſſe non inutile fuerit, *vocales*, in variis verbi Hebraici ſpecierum *perſonis*, ſimili modo, eademque de cauſſa, variari.

Capiamus ſpecimen ex Speciebus Hebraicis *Pihhel* & *Hiphil*, quas vulgo dicimus. In Praeterito

terito *Pibhel* quidem perſonae ſunt, tertia פִּקֵּד *fikkeedh*, ſecunda פִּקַּדְתָּ *fikkadhta*, prima פִּקַּדְתִּי *fikkadhtij*. Rurſus in Praeterito *Hiphil*, הִפְקִיד *hifkijdh*, הִפְקַדְתָּ *hifkadhta*, הִפְקַדְתִּי *hifkadhtij*. Unde, quaeſo, illa varietas *punctorum vocalium?* unde porro *vocalis* iſta *brevis* patach? Grammatici reſpondent: pro *tſeri* & *chirek magno*, in ſyllaba mixta, quam vocant, exiſtere oportuiſſe vocalem *brevem*, eamque, per oppoſitionen obliquam, hoc in caſu, delectam fuiſſe *patach*. Sed hoc nihil eſt. Multo enim commodior fuiſſet vocalis *ſegol*, vel *chirek parvum*: oppoſitione adhibita directa. Vera ratio videtur eſſe, quod olim geminae exſtiterint formae *Praeteriti*, in *Pibhel* quidem, פִּקֵּד, & פִּקַּד *Fikkeedh*, & *Fikkadh*, in *Hiphil* vero הִפְקִיד & הִפְקַד *Hifkijdh* & *Hifkadh*: ex quarum formarum permixtione ortae ſint diverſae formae in *praeteritorum* horum perſonis ſingulis. Neque aliter in Infinitivo maſculino הַפְקֵד, & foeminino הַפְקָדָה. Pluribus haec exſequi nunc non licet.

AD

AD ANALOG. CAP. VII, p. 96-98. & p. 118-121.

„ *Aoriſtos* I. & II, *qui vulgo dicuntur, verbi Paſſivi,* ἐτύφθην & ἐτύπην, *eſſe veri nominis imperfecta verborum, obſoletorum,* τύφθημι & τύπημι; *non vero aoriſtos verbi Paſſivi: quum verbi Paſſivi Aoriſtus pp. ſit* ἐτυψάμην."

Praeclaram cel. *Lennepii* obſervationem, de *Aoriſtis*, vulgo dictis, *Verbi Paſſivi*, aut illuſtraturi nonnihil, aut amplificaturi, disquirere incipiemus, an antiquus *Aoriſtus verbi Paſſivi* olim vere fuerit ἐτυψάμην? Dein de altera illa (quam *aoriſti Paſſivi* loco eſſe voluit uſus linguae Graecae) forma ἐτύφθην, diſpiciemus paullo accuratius.

Vidimus ſupra, (p. 391.) terminationes reliquorum temporum, in *Indicativo Paſſivi*, omnes deſinere vel in μαι, vel in μην. Itaque vel hinc maxime veriſimile accidet, etiam *Aoriſtum* Indicativi Paſſivi in μαι, vel μην, olim deſiiſſe; quumque ſit *Aoriſtus* hic Paſſivus tempus quoddam *ſecundarium*, non *primarium*, veriſimile exinde ſimul fiet, qua lege ab *Imperfecto* Indicativi Activi ἔτιον, (ſive potius vetuſtiſſima ejusdem forma, ἐτίομι) formatum eſt ἐτυπτόμην, eadem, ab *Aoriſto* Indicativi Activi ἔτισα (niſi malis a vetuſtiſſima ejusdem forma ἐτίσαμι) factum eſſe oportuiſſe ἐτισάμην. Nihil certe magis abſonum, vel primo intuitu, erit, quam, quod vulgo

vulgo exiſtimari ſolet, *Aoriſtum primum* Paſſivi verbi hujus τίω eſſe ἐτίθην, & *ſecundum* Aoriſtum ἐτίην.

Verum, quod hactenus veriſimile eſt, *Aoriſtum* primum, (vel potius *unicum*) verbi Paſſivi fuiſſe ἐτισάμην, non ἐτίθην, id propemodum certum jam evadet, ſi probari poſſit, *Aoriſtum* hunc (vulgo dictum *Verbi Medii*) ἐτισάμην, ſenſu *Paſſivo* olim acceptum fuiſſe: a qua ſignificatione *Paſſiva*, (ut ſolent etiam alia *Paſſivae* formae tempora) in eam verbi *Deponentis*, ſive *Medii*, devenerit. *Aoriſtum* vero *Medium*, ſenſu *Paſſivo*, aliquando acceptum fuiſſe, cl. *Kuſterus* de Verbis Med. Sect III. p. 99. [edit *Fiſcb*] obſervavit, at, *rarisſimum hunc eſſe uſum* addidit, *vix uno alterove loco a ſe repertum.* Neque adeo rarum tamen hunc uſum fuiſſe, demonſtravit poſtea vir ſummus T. H. in *Notis ad Xenophontem Ephеſ.*, Miſcellanear. Obſervatt. Vol. X, p. 216. prolatis exemplis compluribus hujus *uſus Pasſivi*, e ſcriptoribus Graecis, ἐγγράψασθαι, προεγγράψασθαι, τιμήσασθαι, στεφανώσασθαι &c. Quibus junge quae dedit *D'Orvillius* ad Chariton. p. 261. De *uſu*, ejusdem Aoriſti, *Medio*, infra ſuo loco dicendum erit.

Quod autem ἐτύφθην & ἐτύπην, cel. *Lennepius* dicit, eſſe, *veri nominis Imperfecta tempora*, a verbis τύφθημι & τύπημι, deducta, idem ille, negaverit, qui neget, ἐτίθην eſſe *Imperfectum* verbi τίθημι. Sane, quemadmodum ἐτίθην hoc, (a

(a τίθημι ductum) eſt *Imperfectum*, *Activa notione* praeditum, qua ſignificat *ponebat*, eodem pacto, ἐτύφθην reddi poſſit *vapulabat*, a τύφθημι obſoleto. Conf. hic *Vigeri* Idiotism. L. V, 1, 13.

Sed haud minore attentione dignum videtur, quod idem *Vigerus* L. V, 3, 14. obſervavit, *Aoriſtos* etiam, & *Praeterita Paſſiva*, ſenſu *Medii*, adhiberi, quod, nonnullis prolatis exemplis, probavit. Nos, ex *Homero* quaedam addamus Il. N, 642. αὐτὸς δ' αὖτ' ἐξαῦτις ἰὼν προμάχησιν 'ΕΜΙ'ΧΘΗ, h. e. *immiscuit ſeſe*. Neque aliter Il. E, 134. Θ, 99. & alibi. Porro κρύφθη, pro ἐκρύφθη, *occultavit ſeſe* Il. N, 405., & ibid. vs. 408. ἐάλη, vel ἐάλη, *totum ſe collegit*, quod Schol. explicat συνειλήθη, καὶ συνεκύβη. Vide *Erneſt.* ad h. l. 'Αΐχθήτην *proripuerunt ſe* Il. Ω, 97, coll. E, 854. 'Ορθωθεὶς *arrectus*, pp. *quum ſe arrexiſſet*, Il. B, 42. K, 21. 80. &c. ἀρθεὶς *levatus*, pp. *levans ſe*, Il. N, 63. Od. E, 393. ὑποστρεφθεὶς *converſus*, Il. Λ, 566. μεταστρεφθεὶς Il. Λ, 594. O, 591. &c.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 97.

„*Aoriſtum*, *vulgo dictum* SECUNDUM, *recentioribus ſcriptoribus Graecis potisſimum in uſu fuiſſe.*"

Tironibus notiſſimus eſt crebrior hic *Aoriſti ſecundi* uſus, vel ex *Vigeri* Idiotism. L. Gr. Cap.

V,

V, Sect. III, §. 17. Plura dedit cel. *Valcken.* ad Euripid. Phoen. vs. 979. ubi in primis laudatur *Euſtath.* ad Il. E, p. 393, 25. Unicum tamen adſcribamus exemplum Homericum ex Il Λ, 433. Ἤ κεν ἐμῷ ὑπὸ δȣρὶ ΤΥΠΕΙ'Σ ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσει, ubi τυπεὶς, in forma *Aoriſti* hujus, quem vocant, *ſecundi*, (verius *praeſentis* vel *imperfecti* verbi obſoleti τύπειμι) pro AORISTO primo Paſſivo, uſitatum fuit. Et ſic alibi Il. Λ, 191. Μ, 250. Ν, 573. Ο, 495. &c. Priorem formam τυφθεὶς Poëta nuſpiam videtur adhibuiſſe.

Quodſi quis jam deinceps quaerat, eccur tandem acciderit, ut, pro priſco illo, ac veri nominis *Aoriſto Pasſivo*, ἐτυψάμην, plane alius verbo *Pasſivo* adjungeretur *Aoriſtus*, ſive prior iſte dictus τυφθεὶς, ſive poſterior τυπεὶς? facilis erit reſponſio: *Aoriſtum* illum verum, atque unicum *Pasſivum*, ἐτυψάμην, quum a Graecis ſenſu *Medio* potiſſimum frequentari ſoleret, inutilem jam quodammodo factum fuiſſe ſenſui *Pasſivo* exprimendo, eademque de cauſſa alia verbi forma indiguiſſe Graecos, quam *aoriſto* illi *pasſivo* ſubſtituerent; poſtea igitur praeterita *imperfecta* verborum in μι (quae quidem *verba* in μι, ut ſaepe jam diximus, maxime in uſu erant antiquisſimis Graecis) loco *aoriſti* Pasſivi adhiberi coepta fuiſſe, atque haec tanto opere invaluiſſe apud Graecos, ut, depoſita fere poteſtate ſua *activa*, vix alia, quam *pasſiva*, ſignificatione occurrerent, quin & ipſa tandem (ut ſolent variari

riari res ſermoneſque mortalium) quoque vim *aoriſti Medii* acciperent: ut factum vidimus in exemplis *Homericis* κρύφθη, ἐμίχθη cet. Redi ad p. 415.

Fuerunt adeoque *aoriſti* hi *Paſſivi* ἐτύφθην, ἐτύπην cet., ex origine ſua, *praeterita Imperfecta* verborum in μι, quae (quum, primaria notione ſua, proprie *activa* fuiſſent) deinceps, utramque & *activam* & *neutram*, ſive *intranſitivam*, acceperunt ſignificationem; ac denique illa *vi Intranſitiva*, ſive *Paſſiva*, potisſimum invaluerunt. Prioris generis exemplum, apud Latinos, eſto verbum *lavare*, Gr. λούειν, quod cum pp. idem eſſet, quod Gr. alterum λύειν, i.e. *ſolvere*, primum *active* adhibitum fuit, quaſi dicerent, *ſolvere ſordes corporis*, (aqua adfuſa) easque *ſolutas depellere*, deinde vero, *neutro ſenſu*, acceptum fuit, pro *lavare ſe*, vel *corpus ſuum*, ut in illo *Terentii: Ubi nos* LAVERIMUS, *ſi voles*, LAVATO, aliisque a *Voſſio* adductis locis, De Anal. L. III, Cap. 3. Recurrit idem verbum, in tertia Praeteriti *lavavit*, vel *lavit*, apud eundem *Terent.* in Heaut. Act. IV, 1, 5. *Atque illa ſi jam* LAVERIT, *mihi nuntia.* Ecquid quaeſo, aliud hoc LAVERIT eſt, quam Gr. ἐλούθη vel ἐλούσατο? Adde ſimiles uſus, in verbis Latinorum benemultis, a *Voſſio* recenſitis l. l. p. 8–16, in primis vero componantur Latina haec Praeterita *abscondidit*, *abſtinuit*; *appulit*, *auxit*, *movit*, *mutavit*, *praecipitavit*, *ruit*, *vertit*, *avertit*;

tit: quae quidem omnia, per ellipſin *nominis*, vel potius *pronominis*, neutralem uſum accepe-runt, atque adeo pro *Pasſivis*, vel *Mediis*, fuere uſurpata. Unde patet, vel ad literam propemodum, cuncta verti poſſe, per *Aoriſtos* iſtos Graecos, vulgo dictos Pasſivos, ſed verius Praeterita *Imperfecta* verborum in μι. Conferri velim, quae dedit cel. *Perizonius* ad Sanctii Minerv. L. III, 3. p. 291. ſſ.

Sed finiamus, in eodem illo, quod verbulo jam attigimus, ſuperius (p. 415.) VAPULAVIT. Quid *vapulare* aliud pp. eſt, quam verbum *Activum*, dein *intranſitivum* factum & mox *neutro-pasſivum?* ut adeo τὸ VAPULAVIT Graece reddi posſit ἐτύφθη. Vide hic *Perizon.* ad Sanct. Min. L. III, 3. p. 386. Quam abſonum ergo foret, dixiſſe, Latinorum Praeterita haec Activa, vel Neutra, *movit*, *vertit*, *abscondidit*, *mutavit*, *abſtinuit*, *vapulavit*, ideo eſſe *Praeterita Pasſiva*, quia ſignificationem *Pasſivi* verbi adoptarint, tam inconcinnum utique fuerit, ſtatuiſſe, Graecorum ἐκινήθη, ἐστράφη, ἐκρύφθη, ἠλλάχθη, ἀφέθη, ἘΤΥΦΘΗ, ſimili de cauſſa, eſſe *Aoriſtos*, vere *Pasſivos*; etiamſi *Pasſivae formae* nec vola nec veſtigium in illis adpareat. Vide porro infra ad Anal. p. 105.

AD

Ad Analog. cap. VII, p. 100.

De terminatione tertia Pluralis σθων, *in Imperativo Paſſivo, minus vulgo animadverſa.*

Terminatio Pluralis Imperativi Paſſivi vulgaris eſt σθωσαν: pro qua Attici tamen adhibent alteram in σθων, ſimpliciorem haud dubie, & Analogiae magis reſpondentem. Inſpice hic teſtimonia *Phavorini*, *Gazae*, *Etymologi*, *Thomae Magiſtri*, & aliorum apud *Maittair.* p. 66. exemplaque ab ipſo *Maittairio* ibidem producta. Egregia quoque addidit *Pierſon.* ad *Moerid.* Atticiſt. p. 15. laudatis ſimul *H. Stephani* & *P. Weſſelingii* obſervationibus. Conſuli vero in primis dignisſimus eſt ὁ πάνυ ad Luciani Dialog. Mort. T. I, p. 165. Legebatur ibi olim monſtrum vocis ἀπορ'ρ'ίφθων· quam tamen lectionem *Bourdelotius* ſanam affirmaverat eſſe. At T. H. „ viden', inquit, levicula menda, quas turbas dederit, dum docti viri linguae Graecae rudimentis minus attendunt. Mirari libet errantis *Bourdelotii* ſupercilium. Recte vero doctiſſ. *Jenſius* —— ἀπερ'ρ'ίφθων. —— Eſt enimvero, Grammaticis dictantibus, Atticis admodum familiare, ut χρήσθων, μαχέσθων, ponant pro χρήσθωσαν, μαχέσθωσαν. — Sed non ita proprium, quin aliis eadem quoque forma placuerit. Vide modo Foed. Hierapytn. & Prianſ. p. 120. Marmor. Oxon." Hactenus T. H.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 100.

De Praeterito Perfecto Imperativi Pasſivi.

Dubitare ſe profeſſus eſt cel. *Lennepius* ſupra p. 78. „ an *Praeteritum*, quod vocant, *Perfectum* in *Imperativo Activo*, rectius fortaſſe dici poſſit *Praeſens* formae derivatae, a *Praeterito Perfecto*, ut τέτυφε, a τετύφω, quod a τέτυφα? Dubitari fortaſſe haud ſine ratione posſit, denturne revera ejusmodi *Praeterita perfecta*, in *Modo Imperativo?* Quid enim, quaeſo, alienum magis videri queat, quam ut, praeterlapſo jam tempore, aliquid effeciſſe jubearis; ſiquidem quod ſemel factum eſt, nullo unquam pacto, infectum reddi poſſit, optandumque potius foret, ut quis aliter feciſſet, aut in poſterum aliter faceret, quam fruſtra jubendum, ut non fecerit id quod jam fecerit. Nullae certe leges ferri ſolent in tempus jam praeterlapſum: omnes ſpectant in futurum; non, ut crimina, dudum commiſſa, non-commiſſa reddantur, ſed ut ne nova committantur in poſterum, vel ut, pro commiſſis antea criminibus, legi ſatis fiat. Et eſt tamen in his, neſcio quid, quale Latini, *Clenardo* judice, exprimere ſolent (pro τέτυφε) *fac verberaveris*, ſive *hoc age ut in poſterum dicaris verberaſſe*. Frgo addit, *licet hîc forma ſit Praeteriti, tamen futuri magis ſignificatio eſt.* Confer *Voſſii* Obſervata, Anal. L. III, c. 14.

Nos

Nos promiſſi memores, quod ad eum *Analogiae Lennepianae* locum dedimus (p. 377.) unum alterumve modo exemplum Graecum ad examen revocabimus, unde fortaſſe ratio harum formarum aliquanto rectius poſſit intelligi Apud *Homerum* Il. Π, 200. Achilles hortatur:

Μυρμιδόνες, μήτις μοι ἀπειλάων ΛΕΛΑΘΈΣΘΩ,
Ἃς ἐπὶ νηυσὶ θοῇσιν ἀπειλεῖτε Τρώεσσι.

„ *Myrmidones, ne quis mihi minarum* OBLIVISCATUR,
Quas in navibus velocibus minabamini Trojanis."

Ita *Clarkius*. Eſt forma λελαθέσθω reduplicata, ſed characteriſticam Perfecti non habet. Si ad Perfectúm trahi poſſet, quis non Belgice lubenter veteret: *dat niemand mij* VERGEETEN ZIJ; Lat. *ne quis oblitus ſit!* Adfirmarent omnes, *perfectum* hoc *Imperativi* praeterito *perfecto Belgico* iſti ſatis ad amuſſim reſpondere. Nunc vero nemo negare poteſt, eſſe formam *Aoriſti ſecundi*, ſive potius *Praeſentis* & *Imperfecti*, in *Imperativo Paſſivi*, vel *Medii;* ab obſoleto Praeſenti Indicativi deductam, λελάθω, quod deſcendit a ſimpliciori λάθω, unde producta λανθάω, λανθάνω. Praeſens Imperfecti Infinitivi λελάθεσθαι, Il. Τ, 136. & Imperfectum Indicativi λελάθοντο Il. Δ, 127. haec abunde confirmant.

Adjungamus alterum, ex Homero, exemplum.

 Lao-

Laodamas, Alcinoi filius, (Od. Θ, 133.) dixerat: *hoſpitem* Ulyſſem *interrogandum eſſe*, εἴτιν' ἀέθλων Οἶδέ τε καὶ δεδάηκεν; *ſi quod certamen noviſſet ac didiciſſet?* Reſpondet Euryalus, vs. 140.

Λαοδάμα, μάλα τοῦτο ἔπος κατὰ μοῖραν ἔειπες·
Αὐτὸς νῦν προκάλεσσαι ἰὼν, καὶ ΠΕΦΡΑΔΕ μύθῳ.

„ *Laodama, ſane hunc ſermonem recte dixiſti:*
Ipſe nunc provoca profectus, & ADMONE *ſermone.*"

Verſionem iterum habes *Clarkii.* Πέφραδε autem eſt 2. Sing. *Imperativi Praeſentis*, ducti e verbo πεφράδω, reduplicata forma: quod jam obſervavit *Euſtath.* p. 1416: 46. & confirmari poteſt collatis Od. Α, 374. Il. Ξ, 333—335. Ψ, 138. Πέφραδε porro in *Imperativo* prolatum fuit, pro πεφραδέμεν, quod habetur Od. Η, 49. aut, ſi malis, pro πεφραδέειν, quod exſtat Od. Τ, 477.

Tertium exemplum ſit, formae itidem reduplicatae, κέκλυθι. Il. Κ, 284.

ΚΕΚΛΥΘΙ νῦν καὶ ἐμεῖο, Διὸς τέκος, Ἀτρυτώνη.

„ *Audi nunc & me, Iovis filia, Indomita*"!

Dicemusne, κέκλυθι hocce eſſe, „ pro κέκλυκε, *ſecunda perſona Praeteriti Perfecti*, in *Imperativo Activo*, verbi κλύω, vel κλυμι *audio*; ut placuiſſe

cuiſſe nonnullis docet *Schrevelius?* Imo vero, quemadmodum a κλῦμι *audio*, in 2. perſ. Praeſentis Imperat. eſt κλῦθι *audi*, ſic a forma reduplicata κέκλυμι, eſt κέκλυθι. Saepiſſime *Homerus* adhibuit ſimplex κλῦθι Il. Α, 37. Ε, 115. &c. uti & Plurale κλῦτε, Il. Β, 56. Σ, 52. Od. Δ, 722. &c. Nonnunquam tamen etiam reduplicatum κέκλυθι, ut Od. Ξ, 462. Ο, 306. & ſaepiſſime Plurale κέκλυτε, Il. Γ, 86. Η, 67. Θ, 5. cet.

Videri jam poſſit, omnes illas formas *Imperativorum*, etiam eas, quae *Characteriſticam* Praeteriti perfecti haberent, ductas eſſe ſimiliter a formis verborum reduplicatorum, & has quidem, ſpeciatim, a verbis productioribus, e *Praeterito perfecto* verborum ſimpliciorum derivatis: de quibus cl. *Lennepius* data opera egit, Analog. p. 184. 185. Itaque, ut ſupra conjecit (p. 78.) τέτυφε foret *Praeſens* Imperat. Activi, a τετύφω, πέφυκε, a πεφύκω, πεποίηκε, a πεποιήκω &c. neque multo aliter in *Paſſivis*, & *Mediis*, formis, (ſi quidem vir optimus ſibi ipſe conſtare vellet) πεποίητο, pro πεποίεσο, a πεποιέω, forma reduplicata verbi ποιέω, adeoque non in *Praeterito perfecto* ſed in *Praeſenti Paſſivo:* ubi, ex ipſius mente, ποιέυ, foret pro ποιέεο, ex ποιέεσο, atque ita in reduplicato πεποιέεσο, quod contractum ſit in πεποίησο, & ſimilibus longe plurimis, per univerſam, qua late patet, linguam Graecam.

Verum enim vero, quod iſti hypotheſi vehementer adverſatur, facit forma hujus (vulgo dicti *Praeteriti) Imperativi Paſſivi*, ſive *Medii*, per aphaereſin imminuta, τύψο pro τέτυψο: quae, ſi vere in lingua Graeca reperiatur, non video, quomodo aliter explicari poſſit, quam ex *Praeterito Imperativi Paſſivi*, ſive *Medii*, non vero ex ejusdem Imperativi tempore Praeſenti. Unde jam porro id mihi ſumo, ſi vere dentur formae ejusmodi, per aphaereſin imminutae, non poſſe eas ex *Praeſenti* Imperativi repeti, ſed omnino neceſſe eſſe ut dentur in lingua Graeca *Praeterita perfecta* Imperativorum, unde repetenda ſint.

Sufficiant duo exempla, ex Homero depromta. Primum eſto Il. Τ, 10.

Τύνη δ' Ἡφαίστοιο πάρα κλυτὰ τεύχεα ΔΕ´ΞΟ.

„ *Tu vero a Vulcano allata inclyta arma* ACCIPE."

Clarkius. Sed δέξο, hic loci, eſt pro δέδεξο, ſecunda *Praeteriti Imperativi*, formata a δέδεξαι. Ergo δέξο pp. non eſt *accipe*, vel *accipe tibi*, ſed *acceperis*, vel *fac tibi acceperis*.

Alterum exemplum depromatur ex Il. Ω, 650. loco admodum vexato:

Ἐκτὸς μὲν δὴ ΛΕ´ΞΟ, γέρον φίλε· μήτις Ἀχαιῶν
Ἐνθάδ' ἐπέλθῃσιν βουληφόρος.

„ *Extra*

„ *Extra jam quidem* CUBA, *ſenex optime, ne quis Achivorum*
Huc adveniat conſiliarius."

Cl. *D'Arnaud* Obſerv. Crit. p. 85. legi jubebat λέξεο. Sed optimi Codices conſtanter habent λέξο: obſervaruntque adeo rectiſſime, poſt *Euſtathium*, *Barneſius*, *Clarkius*, & *Erneſtius*, λέξο hoc noſtrum eſſe pro λέλεξο· quod proprietas linguae jam poſtulat, ut reddamus *fac decubueris*, in Praeterito Perfecto Imperativi. Conf. dicta ſuperius p. 420.

AD ANALOG. CAP. VII, p. 101.

„ *Secundam perſonam Singularem Aoriſti in Imperativo Medio*, τύψαι, *pp. eſſe Aoriſtum Infinitivi Activi.*"

Elegantiſſimam hanc *Lennepii* obſervationem juvat paullo latius explicuiſſe, ut habeant ſtudioſi, quod in multis ſimilibus ſequantur, &, ex hoc ſpecimine, vel ipſius Imperativi Paſſivi, in verbo Latino, origines clarius ſimul intelligant. Verum, ut ab hoc Imperativo Latino incipiam, quid, quaeſo, pp. eſt, apud Latinos ſecunda Imperativi Paſſ. AMARE, vel AMATOR, quod & in tertia ſimiliter perſona AMATOR? Tentemus explicare. Quemadmodum ab AMO, in Paſſiva forma, eſt *amo*R; ab *amaba*M, *amaba*R;

 ab

ab *ame*M, *ame*R; ab *amare*M, *amare*R; litera R ubivis adjecta tanquam *Paſſivi*, aut *Deponentis* verbi characteriſtica: haud aliter ab AMATO, (h. e. ab *altera* forma *perſonae* ſecundae *ſingularis*, *Imperativi Activi*) adjecta eadem characteriſtica R, fieri oportebat AMATOR. Sed, praeter hoc *amato* *, pro *ſecunda* iſta perſona Imperativi Activi, etiam adhibitum fuit AMA, per apocopen factum ex AMARE ſive *Praeſente Infinitivi Activi*: uti ſupra jam obſervavimus, p. 387, & ſatis intelligi poteſt, vel ſolo collato Graecorum *Imperativo Activo* ἄμα, pro ἄμαε, ut βόα, pro βόαε, quae brevius ita dicta ſunt, pro integris formis

* Dubitarunt doctiſſimi Grammatici Latinorum, eſſetne diſcrimen aliquod inter duas *Imperativi* formas, in perſona ſecunda, adhibitas, AMA & AMATO. Vide *Voſſium* de Analog. L. III, c. 14. p. 71. Conf. & *Perizonius* ad Sanct. Minerv. L. I, c. 13. p. 101. cui quidem viro eruditiſſimo *Virgilius*, in Eclogis, utramque hanc formam revera videtur diſtinxiſſe, ubi ait:

Phyllida MITTE *mihi, meus eſt natalis, Iola:*
Quum faciam vitulâ pro frugibus, ipſe VENITO.

Sed fortaſſe nihil aliud in his eſt diſcriminis, quam quod MITTE ſit *Infinitivus*, apocopatus, pro Imperativo *mittere* poſitus, & ſic VENI pro VENIRE: VENITO vero ſit forma compoſita ex VENI & TU, quod veteres dixerint, pro ΣΥ, Aeolice ΘΑ. Hoc pacto VENITO, cum emphaſi quadam majori prolatum, idem foret ac VENI TU, vel TU INQUAM. Similia fere ſunt in Praeterito οἴδαϑα, ἤδειϑα, παρῆϑα, de quibus quaedam jam praemiſſa ſunt p. 385.

formis Infinitivi Dorici ἀμάεν, βοάεν. Sic τίμα, *honora*, pro τιμάεν, quod contractum in τιμᾶν: unde ſervatum eſt praeceptum, in legibus antiquiſſimis Graeciae: τιμᾶν τὰς γονέας *honorare parentes!* Hebraice כַּבֵּד את אביך ואת אמך ſimiliter, in *Infinitivo Pikkeed*, pro *Imperativo* poſito. Ab iſto igitur AMA, forma apocopata *Infinitivi* Activi, (pro Imperativo poſita) de qua ſuperius p. 387. adjectione literae R, tanquam Characteriſticae Paſſivae formae, factum fuiſſe primo videtur *amar*, ut a *doce*, *docer*; a *lege*, *leger*; ab *audi*, *audir*: deinde vero (adſcito *e* a fine, eoque breviſſimo) *amare*, *docere*, *legere*, *audire*. Conferantur omnino dicta ſuperius, p. 387. quibus lectis major lux qualicumque huic conjecturae noſtrae accedet.

Sed ex eadem illa hypotheſi, ſi quidem vera ſit, ſimul luce meridiana clarius apparebit, *Imperativos Pasſivos* Latinorum, AMARE, DOCERE, LEGERE, AUDIRE, eosdem plane natales agnoſcere, atque *Infinitivos* eorumdem *Activos*, neque adeo inde eſſe diverſos. Quo minus mirum erit, ſi & Graecorum τύψαι, στῆσαι cet. in *Imperativis Mediis* easdem origines habere dixerim atque in *Infinitivis Activis*.

Majoris illuſtrationis cauſſa adſcribamus locum *Homeri*, in quo *Infinitivus* Activus διαπέρσαι, & *Aoriſtus* primus, quem vocant, *Imperativi* Medii, διαπέρσαι ita conjungi videntur, ac ſi unam

can-

eandemque vocem efficiant. Eſt locus ille Il. Δ, 51—57.

Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,
Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη·
Τὰς ΔΙΑΠΈΡΣΑΙ, ὅταν τοι ἀπέχθωνται περὶ κῆρι.
Τάων οὔ τι ἐγὼ πρόσθ' ἵσταμαι, οὐδὲ μεγαίρω.
Εἴπερ γὰρ φθονέω τε, καὶ οὐκ εἰῶ ΔΙΑΠΈΡΣΑΙ,
Οὐκ ἀνύω φθονέουσ', ἐπειὴ πολὺ φέρτερός ἐσσι.
Ἀλλὰ χρὴ, καὶ ἐμὸν ΘΈΜΕΝΑΙ πόνον οὐκ ἀτέλεστον.

„ *Certe mihi tres quidem multo dilectisſimae ſunt urbes,*
Argosque, Spartaque, & latas-vias-habens Mycene.
Has EXSCINDE, *quando tibi inviſae fuerint animo.*
Has ego non propugno, nec invideo tibi.
Quamvis enim inviderem, & non ſinerem EXSCINDERE,
Nihil profecerim invidendo: quoniam multo potentior es.
Sed OPORTET *& meum* FACERE *laborem non irritum.*"

Apparet, τὸ διαπέρσαι EXSCINDERE VS. 53. cum *imperio* poni, tanquam *Imperativum* EXSCINDE, at ſimul evidens eſt, eandem vocem, διαπέρσαι, EXSCINDERE, Infinitivi vim ſuam reti-

retinuiſſe, in vs. 55. Unde jam tandem colligi poterit, quaenam proprie copula ſit inter hanc quidem *Activam*, ſive *Mediam*, & inter *Infinitivam*, verborum, in utraque lingua, poteſtatem. Διαπέρσαι, nempe, in Activo *exſcindere*, quod habetur vs. 55. alio orationis flexu dicas pro *ſine exſcindere*, vel *permitte exſcindi*, *ab aliis*, vel & *a te ipſo.* Itaque & AMARE (Belgice WORD BEMIND) in voce *imperativi Paſſivi*, pp. idem fuerit, ac ſi dixerim, *laat u* BEMINNEN, *of*, *laat eenen anderen toe*, *dat hij u beminne.* Collatio ſupra deſcripti Infinitivi θέμεναι (in vs. 57, cum vsſ. 53. 55.) ſatis arguet propriam hanc Infinitivae formae virtutem.

Plura ſi forte cupias, comparato ibidem quoque vs. 64. σὺ δὲ θᾶσσον Ἀθηναίῃ ΕΠΙΤΕΙ͂ΛΑΙ ἘΛΘΕΙ͂Ν ἐς Τρώων, καὶ Ἀχαιῶν φύλοπιν αἰνὴν, Πειρᾶν θε κ. τ. λ. porro Il. Z, 46. Ζώγρει, Ἀτρέος υἱὲ, σὺ δ' ἄξια ΔΈΞΑΙ ἄποινα· & Il. K, 509. Νόστου δὴ ΜΝΗ͂ΣΑΙ *reditus ſane* MEMINISSE, i. e. MEMENTO, plane ut Hebraeis זָכוֹר pp. eſt MEMINISSE, at *cum imperantis voce* pronunciatum idem valet quod MEMENTO, Belg. *Laat u te binnen komen!* Ita certe Exod. XX, 8. זכור את יום השבת *Meminiſſe diei Sabbathi!* & alibi ſaepius apud Hebraeos. Vide hîc Syntax. Schroeder. R. LIV, p. 352. 355. & compone tandem Il. Ω, 592. μή μοι Πάτροκλε ΣΚΥΔΜΑΙΝΈΜΕΝ *Ne mihi Patrocle* IRASCI! quod ad proprietatem verbi ſic exprimas

primas Belgice: LAAT *u zelven* NIET TOE, TOORNIG TE WORDEN! *iraſci noli.*

AD ANALOG. CAP. VII, p. 101.

Quid pp. ſint φάγεσαι *&* πίεσαι, *in Evang. Lucae*, C. XVII, 8.

Probavimus hactenus, ni fallor, ſic ſatis manifeſto, veriſſimam eſſe cel. *Lennepii* ſententiam, ubi *Infinitivum Activum*, τύψαι, & *Aoriſtum Imperativi*, τύψαι, pro una eademque voce accipit. Juvat nunc, epimetri loco, breviter disquirere, cujusnam formae voces ſint φάγεσαι & πίεσαι, obviae apud Luc. c. XVII, 8? Contextus ſacer ſic habet: ἀλλ' ὀυχὶ ἐρεῖ αὐτῷ· (ſcil. τῷ δόυλῳ ὁ δεσπότης) ἑτοίμασον, τί δειπνήσω, καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι, ἕως ἂν φάγω, καὶ πίω· καὶ μετὰ ταῦτα ΦΑΓΕΣΑΙ, καὶ ΠΙΕΣΑΙ συ. Habentur hae voces pro *ſecundis* perſonis *Singularibus*, *Futurorum ſecundorum* Mediorum, quae vocant in verbis φάγω & πίνω, ſive πιω *bibo*. „ Sed, doctiſſimo *Verwey* (Novae Viae, p. 113.") videbantur, „ eſſe *praeſentia* tempora, quae per enallagen pronerentur pro *futuris*." Huic adſentitur & cl. *Urſinus* Gramm. Graec. p. 213. Vir ſummus *L. C. Valckenaerius*, „ Uſus voluit" inquit „ ut tria verba φάγομαι, πίομαι, ἔδομαι, eodem modo ſcriberentur in *Futuro* ac in

in *Praeſenti:* qua de re obſervationem vide in Etymologico Magno, p. 786. Ex qua illuſtrari debuerant Atticiſtae *Phrynichus*, *Moeris*, & *Thomas*, qui πῖμαι Atticis abjudicant. Trium iſtorum verborum *ſecundae* perſonae, uſitato more, ſcriberentur Graecis, contracte, φαγῇ, πιῇ, ἐδῇ. Plenae formae, vix usquam alibi obviae, apud *Lucam* duae reperiuntur, φάγεσαι & πίεσαι." Hactenus ille. Equidem tantae auctoritati vix auſim obloqui. Neſcio tamen, an φάγεσαι & πίεσαι pp. ſint *Aoriſti* formae antiquiſſimae, cum ε ſimplici (pro η recentiorum) ſcribi ſolitae, a verbis ferme obſoletis φαγέω & πινέω ductae. Recentiores ſcripſiſſent φάγησαι & πίησαι, ut ποίησαι. Ab eodem φαγέω certe ſupereſt φάγημα pp. *id quod comeditur*, φάγησις *comeſtio:* quin & ipſum φαγέειν habet *Homerus* Il. Π, 429. Porro alterum, πιέειν, ſaepiſſime in eodem occurrit, Il. Δ, 292. Η, 481. Od. Λ, 231, 583. 584. & tertium verbum ἐδέειν ſupereſt in derivatis ἔδεσμα, ἐδητὺς &c. Itaque ſecundum hanc quidem explicationem verba Domini Luc. c. XVII, 8. καὶ μετὰ ταῦτα φάγεσαι, καὶ πίεσαι συ, ad literam ſic vertenda forent, & *poſtea edere ac bibere tu*, ſc. poteris, vel, *ſenſu Medio*, & *poſtea, tibi edes, bibesque, tu.*

AD

AD ANALOG. CAP. VIII, p. 104.

De Verbo Medio.

Poſt *Lud. Kuſterum*, in vera verborum *Mediorum*, quae vulgo dicuntur, ſignificatione eruenda ac demonſtranda, egregiam operam poſuit vir eruditus *Segim. Frid. Dreſigius*, cujus doctiſſimus ,, *de Verbis Mediis Novi Teſtamenti commentarius*, a cl. *Joh. Frid. Fiſchero*, primum editus eſt, addita, praeter *Kuſteri* libellum, etiam *Joh. Clerici Diſſertatione*, e lingua Franco-Gallica in Latinam converſa, Lipſ. 1755." Apparet ex hac inſcriptione, *Dreſigium* id egiſſe, ut, quae *Kuſterus*, de verbis Mediis univerſe obſervaſſet, ad multas pericopas *Novi Teſtamenti* ſingulatim applicaret, easque pericopas inde illuſtraret. Sed praeter hunc, quem modo laudavimus, doctiſſimum *Dreſigium*, ut alios taceam, idem hoc argumentum in primis quoque tractavit longe eruditiſſimus *Homeri* editor, *Sam. Clarkius*, animadverſis paſſim poëtae locis, quae ſine hac, (quam *Kuſtero* primum ſpargere contigit) luce vix, & ne vix quidem, ſatis poſſint intelligi. Vid. ad Il. Γ, 41. Ν, 168. Ο, 397. Π, 125. Ψ, 685. & alibi.

Nos, *Kuſteri*, *Clarkii*, aliorumque praeclaris obſervatis adjuti, pro noſtra ſymbola, quaedam exempla ex *Homero*, aliisque ſcriptoribus Graecis, adſcribemus, unde commilitonibus, quibus

quibus *Kuſteri* libellus ad manum non eſt, paullo certius conſtare poſſit de interiore formarum hujus *Verbi Medii* natura; ſimulque & inde linguae Latinae verbis aliquam, haud injucundam fortaſſe, lucem conabimur adfundere.

Incipiamus a pericopis aliquot *Homeri*, quas *Clarkius* non advertit, & *Kuſteri* acumen, recenti adhuc invento, nondum ſatis videtur attigiſſe.

Verbum ἕπομαι cl. *Kuſterus*, §. XIII. ex conjectura expoſuerat „ *me agito*, vel *incito poſt alium* i. e. *ſequor*." At longe rectius *Lennepius* noſter, in Stirpibus p. 284. ἕπομαι, „ inquit" pp. *memet adjungo.* „ Nimirum vicina olim verba erant ἕπω, ſive ἕπω, & ἅπω. Proprie ambo notabant *necto, jungo*; unde in Medio ἕπομαι, i. e. *adnecto* vel *adjungo me* alteri. Hinc pendet ratio conſtructionis cum Dativo *perſonae*, *cui te adjungas*, & quaſi *adnectas*, vel *cui indivulſo nexu adhaereas.* Pulchre ad proprietatem vocis, Helena, de *copula indivulſa matrimonii*, loquens, ab Homero introducitur, Il. Γ, 173. *Utinam vero mors mihi placuiſſet mala, quando huc diſcedenti* (υἱέϊ σῷ ἑπόμην) FILIO TUO MEMET JUNXI; *thalamo cognatisque meis relictis.* Porro Ulyſſes Od. Κ, 313. *Vocabat me* dea Circe, domum ſuam: αὐτὰρ ἐγὼ ἑπόμην *ego vero* SEQUEBAR, pp. *jungebam me*, illi intro eunti, continuo quaſi & indivulſo nexu. Conf. & Λ, 167. Ξ, 298. 482. Ο, 469. & omnino *Heſiodi* Ἐργ. vs. 202. 203.

 Appa-

Apparet, ἕπομαι eſſe ab obſoleto ἕπω, quod idem ac Lat. vetus SEQUO: atque adeo ſimul elucet, eandem vim *Mediam*, quae eſt in ἕπομαι, verbo Latino SEQUOR ita ineſſe, ut nemo dubitare poſſit, quin τὸ SEQUOR idem jam plane verbum *Medium* ſit apud Latinos, a Grammaticis *Deponens* vocari ſolitum. Terminatio *Paſſivi* & *Medii* verbi, apud Latinos, eſt R; eadem eſt apud Graecos μαι, ſive potius αι. Notionem *nectendi* (quae in Hebraeorum דבר, ſimilibusque verbis, ad illam *ſermonis nexi* translata) Graeci, in eodem ſuo ἕπω, εἴπω, ad *verba* ſerie quaſi *nexa*, & *conſerta*, traduxerunt: quo minus mirandum erit, apud ipſos quoque Latinos, verbum SEQUERE in Activa forma olim idem notaſſe ac Gr. ἕπω *dico*. Hinc certe *Gellius* L. XVIII, c. 9. „ SEQUO pro *dico* olim uſurparunt, unde *inſeque*," Graece, nimirum, ἔννεπε. Vide *Voſſium* & *Forcellinum*, in voce.

Alterum exemplum uſu; hujus verbi Medii elegans admodum capiatur, e verbo ςρέφομαι, ad quod miror *Kuſterum* minus videri advertiſſe. Eſt locus Il. Ω, 4. de Achille, qui ob Patrocli ſui deſiderium ſomnum capere haud poterat: οὐδέ μιν ὕπνος ᾕρει πανδαμάτωρ ἀλλ' ἐςρέφετ' ἔνθα, καὶ ἔνθα. „ *Neque illum ſomnus capiebat cunctadomans*, *ſed* VOLVEBATUR *huc & illuc*" nempe, in lecto. Ita *Clarkius*. Opportune contulit cl. *Erneſtius* illud *Ariſtophanis*, Nub. vs. 36. Τί δυςκολαίνεις, καὶ ςρέφῃ τὴν νύχθ' ὅλην; a doctiſſimo *Berg-*

Berglero, ad proprietatem vocis, optime ſic redditam, *Quid - tota nocte* TE *huc illuc* VERSAS? Potuiſſet quoque haud inepte reddere: QUID VERSARIS? eadem forma vocis *Deponentis*, ſive *Mediae*, in Latino ſermone, ſervata. Hac enim proprietate τὸ VERSARI alicubi poſuit *Plautus*, (Aſinar. Act. I, 51.) *Quom mihi haec dicentur dicta, tum tu furcifer, Quaſi mus in medio pariete*, VERSABERE, h. e. prae ſumma impatientia & metu, *huc illuc te convertes*. Conf. porro ςρέφεσθ, eadem proprietate, & alibi, ab *Homero* adhibitum, Il. M, 42. 47. ne alia nunc conquiram, paſſim apud ſcriptores Graecos reperiunda. Hebraica חוּל & חִיל eo uſu, ſunt notiſſima.

Tertium ex *Homero* exemplum ſit ἀσπάζομαι, quod verbum ad *Medio - Activa* retulit eruditiſſ. *Dreſingius*, Sect. III, 17. p. 539. quem vide, & laudatum ab ipſo *Jenſium*, in Ferculo litter. p. 13. Haud ſiniſtre tamen ſuſpicatus jam fuerat idem *Dreſingius*, (cl. *Kuſterum* ſecutus) *eandem quoque vim ſignificationis Mediae talibus ineſſe, quamvis hodie vix demonſtrari queant, quoniam non amplius conſtet de propria ſignificatione, quam verba illorum activa olim habuerint.* Igitur, ſi propria ſignificatio, quam Activum ἀσπάζω olim habuerit, erui forte queat, haud ſane deſperandum erit, de eodem ἀσπάζομαι ad vera *Verba Media* reducendo.

Sed deſcribamus primum elegantem poëtae locum Od. Γ, 34. qui ſic ſe habet:

Οἱ δ', ὡς οὖν ξείνους ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες,
Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον.

„ *Illi vero ut hoſpites viderunt, conferti venere omnes,*
Manibusque PREHENSABANT, *& conſidere jubebant.*"

Eſt verſio *Clarkii*, quae egregie confirmari poteſt, eleganti obſervatione cel. *Valckenarii*, de verbo ἀσπάζεσθαι alicubi haec monentis, „ ἀσπάζεσθαι pp. eſſe *ita ſalutare*, ut *amice ſimul complectaris*. In hunc ſenſum ſaepe jungi, ait, a *Platone*, ἀσπάζεσθαι καὶ φιλεῖν *complecti & amare*: [ſive potius *oſculari*] unde in *Aeliani* Var. Hiſt. L. IX, 5. verbi τὸ μειράκιον Ἀνακρέοντα ἠσπάζετο, verti non debebant *puer ſalutabat Anacreontem*, ſed *tenerrimo amore* COMPLECTEBATUR. Porro conferri jubet Adnotationem in Obſervatt. Miſcell. Vol. III, p. 237. ſimulque addit, verbo ἀσπάζεσθαι, quando ſumatur ſenſu *ſalutandi*, ſemper tamen *comem & blandam* ſignificari *ſalutationem*, velut in *Ariſtophanis* Pluto, vs. 324. ad quem locum Ill. *Spanhemius* vere monuerit, illinc derivandum eſſe, cur amabile hoc verbum, in Epiſtolis ſuis, *Paullus* toties poſuerit, ſaepiſſime repetitum in Cap. XVI. Epiſtolae ad Romanos."

Ex quibus omnibus ſatis jam palpari poteſt vis illa verbi ἀσπάζεσθαι vere *Media* (non *Medio-Activa*) qua prorſus idem eſt, ac Latina AMPLECTI

PLECTI, & COMPLECTI, unde ducta ſunt AMPLEXARI, COMPLEXARI, quae & forma ſua MEDIA (vulgo *Deponenti* *) & ſignificatione, noſtro ἀσπάζεσθαι ad amuſſim reſpondent. Sed, exemplis aliquot in medium productis, res fiet clarior. *Plautus* in Poen. Act. V, Sc. 4, vs. 89.

> Ad. *Salve, inſperate nobis*
> *Pater: te* COMPLECTI *nos ſine.* Ha. *Cupitae*
> *atque exſpectatae!*
> An. *Pater, ſalve: ambae filiae ſumus,* AMPLECTAMUR *ambae.*

Quid hic aliud eſt, quaeſo, *complecti* & *amplecti*, quam Gr. ἀσπάζεσθαι idem, in loco elegantiſſimo *Homeri*, Od. x, 498—500.

> Αἱ μὲν ἄρ' ἀμφεχέοντο, καὶ ἨΣΠΑ'ΖΟΝΤ' Ὀδυσῆα,
> Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμεναι κεφαλήν τε καὶ ὤμους,
> Χεῖρας τ' αἰνύμεναι.

Ubi *quatuor* habes verba *Media* aptiſſime in unam ſeriem connexa, ἀμφιχεῖσθαι *circumfundi*, ἀσπάζεσθαι *complecti*, ἀγαπάζεσθαι *complexari*, & αἴνυσθαι *attolli.* Confer in *Plauti* Mil. Glor. Act. V, vs. 40.

* Conferri huc velim, quae accuratiſſime eadem de vi propria verborum (vulgo dictorum *deponentium*) diſputavit *Perizonius* ad Sanctii Min. L. III, c. 2. p. 280—285.

40. OSCULARI *atque* AMPLEXARI, ſimiliaque bene multa: ex quibus vis illa verbi *Medii*, non apud Graecos tantum, ſed apud ipſos Latinos latiſſime regnantis, fortius adhuc poſſet adſtrui, & ad oculum demonſtrari.

AD ANALOG. CAP. VIII, p. 107.

De Praeterito perfecto Medio, a Perfecto Activo, quantum ad formationem ſuam attinet, non diverſo.

Praeteritum perfectum Indicativi Medii in paradigmate verbi τύπτω, eſt τέτυπα, ut *Perfectum* ejusdem *Activum* eſt τέτυφα. Haec, non niſi forma verbi, diverſa olim fuiſſe exiſtimat cel. *Lennepius:* quem vide. Longe alia mens videtur fuiſſe *S. Clarkii*, viri eruditiſſimi, quem ſupra laudavimus, cujus verba ad Il. B, 314. haec ſunt: „ Notandum hic (quod Grammatici vix obſervarunt) *Praeterita Media* non *unam* habere *omnia* formandi rationem. Alia enim *Aoriſti ſecundi* ſequuntur Analogiam, ut τύπτω, ἔτυπον, τέτυπα. —— Alia autem vel ex *Aoriſto primo*, vel ex *Praeſenti*, retinent vel *diphthongum*, ut φαίνω, ἔφηνα, ἔφανον, πέφηνα — vel *ſyllabam poſitione longam*, ut δέρκω, ἔδρακον, δέδορκα — vel *vocalem longam*, ut τρίζω, ἔτριγον, τέτριγα — πράττω, ἔπραγον, πέπραγα: unde non modo πρᾶγος, ſed & πρᾶγμα, πρᾶξαι, πρᾶξις, circum-

circumflectuntur, id quod ſyllabis, *poſitione ſola* longis, nullo modo convenit; itemque ά iſtud Ionibus in ή migrat, πρῆγμα, πρῆξις, πρηκτὴρ, id quod in ά *brevi* non itidem locum habet; κρά-ζω, ἔκραγον, κέκραγα &c. Haec ille. Sed, quod vir, Graecae poëſeos doctiſſimus, de *quantitate* ſyllabarum admonuit, noſtro quidem judicio, nihil valet, ad demonſtrandum, alias eſſe *Praeteriti Medii* origines, alias *Praeteriti Activi*, vel *Intranſitivi*.

Poſſunt dari, & dantur revera, (in utraque lingua) permulta tempora *Praeterita*, quae, etſi formâ ſuâ longe a ſe invicem diverſa ſint, hoc ipſo tamen non deſinunt eſſe veri nominis *Praeterita Activa*. Quis in Latinis, ut hoc utar, negaverit, *peperci* & *parſi*, *pupugi* & *punxi*, *pexi* & *pexui*, *amicui* & *amixi*, eſſe veri nominis *Praeterita perfecta Activa*, a diverſis, licet, formis verborum ducta, ut v. gr. *peperci* ab obſoleto πεπέρκω (forma reduplicata) & *pupugi* a *pupugo*, &c. Cui porro Grammaticorum unquam in mentem venit, ſuſpicari, τὸ REVERTI eſſe *Praeteritum* verbi *Medii* REVERTOR, REVERSUS SUM, & REVERTI. Atqui tam certum tamen eſt, apud Latinos, *Praeteritum* hoc REVERTI, pp. *Activum*, vim habere *Mediam*, (qua REVERTI, in Praeterito Activo, per ellipſin pronominis perſonalis ME, idem eſt, ac *reverſus ſum*) quam certum eſt, apud Graecos, τὸ ἀναστρέψαντες eſſe REVERSOS, ſenſu eodem *Medio*. Ecquis

quis ſuſpicatus unquam fuit, *Praeteritum* hoc REVERTI eſſe, tam forma, quam ſignificatione, diverſum a *Praeterito* Activo, verbi REVERTO, *revertere?* Potuiſſet tamen hoc eodem jure dici, quo vulgo ſtatui ſolet, τέτυφα eſſe *Praeteritum Activum*, τέτυπα vero, non ſignificatione tantum, ſed & ipſa vocis formâ, *Medium*, atque a τέτυφα, naturâ ſuâ, diverſum. Sed pluribus haec perſequi nunc non licet: uſus linguae & lectio veterum ea facile ſuppeditabunt.

AD ANALOG. CAP. IX, p. III.

De Verbis in MI.

Obſervationes aliquot, ad verborum hujusmodi, in MI deſinentium, veram indolem paullo latius declarandam, ſupra jam, hic illic, a nobis praebitae fuere. Nunc pauciſſima adhuc repetenda ſunt de *terminatione* iſtorum verborum in MI, quam cel. *Lennepius*, pag. 112. (verſu penultimo) „ ALIUNDE ADSCITAM" fuiſſe conjicit.

Nimirum (quemadmodum ſupra p. 286. 287. data opera demonſtravimus) apud antiquiſſimos Graecos, in variis dialectis, adhibitae fuerunt duae pronominis, *primae perſonae*, formae, nempe, ἐγὼ vel ἐνὼ, & ἐμίς vel ἀμίς. Ab iſtis pronominibus, facta literarum reſectione, ortae ſunt binae terminationes Ω, vel MI, (*adformantium*

tium ad inſtar *primae perſonae*, quas Hebraeorum Grammatici dicunt) *ipſis* verbi *literis radicalibus adjectae*, idque ad *primam* verbi perſonam deſignandam.

Sic igitur (ut exemplis iisdem utar, quae cl. *Lennepius* p. 113. adhibuit) a στά, ſive ϛά factum eſt, aut ϛάα (Latinis contractum in STO, ϛῶ) aut ϛαμι, unde, deinceps, meo quidem judicio, pp. ortum ἵϛαμι: eadem ratione, qua a ϛέ, forma verbi priori illi ϛά cognata, factum eſt, aut ϛέω (unde non tantum ϛέαρ, forma nominis, a ϛέω deducta, ſed & ipſum ϛέωμεν, vel ϛεωμεν STEMUS, ſupereſt Il. x, 231.) aut ϛέμι, ſive ϛῆμι, unde ἵϛημι, vocali *iota* ab initio adſcita, ante duas conſonantes pronunciatu duriores: qua de re diximus, ſupra p. 359. 360.

Porro a θέ, quod *Lennepius* commemoravit p. 113, adjecta vocali ω, (ex ἐγὼ EGO reſecta) ortum eſt, in prima perſona, θέω pp. *tendo* (ſive, ut accuratius dicam, ſervata forma, p. 281. 378.) pp. TENDERE EGO, id eſt TENDO & dein *curro*, de quo verbo lege Stirpes Lennep. p. 337, & θέμι, ſive θῆμι, unde, reduplicatione facta, τίθημι, pp. *tenſa*, vel *extenta*, *manu pono*, ſive *colloco*. Vide iterum Stirpes, in Τίθημι.

Ab ἰ vero, quod tertio loco, p. 113. poſuit *Lennepius*, adjecta eadem primae perſonae adformante ω, factum eſt ἴω, notiſſimum vel ex ſolis *perſonis obliquis* verbi cognati, apud Grae-

cos Latinosque, *eo*, *is*, *it*, *imus*, *itis*, & ἴμεν, ἴτε, ἴσι, & ἴμι, addita altera adformante, in MI: a quo ἴμι dein ulterius prognatum fuit εἶμι, vocalibus I & E, vel EI, inter pronunciandum, commutatis: qua de re confer ſupra p. 304.

A δό ſimiliter, adjecto ω, efformatum eſt δόω, unde Latinis DONO, cet. & δόμι, δῶμι, reduplicatum δίδωμι, adſcita rurſus altera adformante in MI.

Denique a δύ, adjecto ω, eſt δύω, Latinis Graecisque uſitatiſſimum in compoſito ἐνδύω INDUO, & altera forma in MI, δῦμι, unde & compoſita ἀναδῦμι &c.

Ex quibus omnibus, ſecum invicem comparatis, facillime jam intelligetur, non de nihilo fuiſſe adſcitum illud MI, in verbis noſtris τίθημι, δίδωμι, ζεύγνυμι &c. ſed MI hoc eſſe *adformantem* primae perſonae, eodem plane jure, atque alterum Ω, apud *Aeolas* in primis, qui, quum *Attici* formas in ω potiſſimum frequentarent, pro iisdem, retinuerint formas in MI, longe vetuſtiores, & populis quoque Graeciae uſitatiores. Vide *Lennep.* p. 113. & confer nos in Animadverſſ. p. 281. 282. dicendaque mox inferius pag. ſequenti 443.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 113.

De formis verborum in MI *& in* Ω.

Docentem audivimus, modo, cel. *Lennepium*, „ verba in MI ceteris iſtis, per Ω inflexis, antiquiora eſſe," atque adeo, apud unum *Homerum*, poëtam longe antiquiſſimum, longe plura, hujus generis, verba, quam in reliquis ſcriptoribus, Graecis inveniri." Addi fortaſſe haud inepte poſſit, verba iſta in MI tam remotae, imo potius ultimae, antiquitatis eſſe, ut, ad unam omnes, *perſonae primae* verborum *Paſſivorum*, *Mediorum*ve, Graecorum, quin & ipſae *formae Subjunctivae*, in verbis Latinis, non a terminatis in Ω, ſive O, ſed a verbis, ultimam MI habentibus, ſint efformatae. Repete hic dicta ſuperius, p. 393. 400. 401. & confer p. 277. 284. Ceterum, ſi quis exempla ſibi praeberi cupiat, unde promiſcuus uſus verborum in μι & ω, inſecutis linguae Graecae aetatibus, ulterius poſſit adſtrui, is comparare dignetur, quae ſupra quoque a nobis jam recenſita ſunt, γελάω & γέλημι, Dorice γέλαμι, *rideo*, φιλέω & φίλημι *amo* &c. evolvatque, quae diximus, in *Rudimentis Struchtmeyerianis*, p. 77. 89. 98. 161. aut *Caninii* Hellenismum, p. 324. 325. ubi complura ſunt expoſita.

An

AD ANALOG. CAP. IX, p. 115.

De verbo φαμὶ *dico: unde obſoletum* ἔνφαμι, *Latinorum* INQUAM, *pro* INQUAMI."

Obſervat h. l. *Lennepius*, a verbo antiquiſſimo φαμὶ, in *tertia Plural. Praeſentis* Indicativi non eſſe φᾶσι, cum *vocali longa*, eaque *circumflexa*, in *penultima*, (ut ab ἵσαμι, eſt ἱσᾶσι) ſed in 3. Plur. Praeſ., eſſe φασὶ; hoc vero ortum a verbo nudo φά, &c. Juvat, hac occaſione, de compoſito, ſed obſoleto, ut opinor, verbo ἔνφαμι, quaedam adjungere. Quemadmodum autem Graeci, praepoſitionibus variis, verbo ſimili, ἔπω *dico*, & hujus derivatis εἴπω, ſive εἰπέω, praemiſſis, dixerunt ἀντειπεῖν, ἀπειπεῖν, ἐξειπεῖν, κατειπεῖν, μετειπεῖν, παρειπεῖν, προειπεῖν, προσειπεῖν, συνειπεῖν, ὑπειπεῖν, ita, iisdem praepoſitionibus, verbo noſtro φαμὶ, ſive φημὶ, praemiſſis, feccrunt verba compoſita, ἀντίφημι, ἀπόφημι, ἔκφημι, κατάφημι, μετάφημι, παράφημι, πρόφημι, πρόσφημι, σύμφημι, ὑπόφημι. Sed, praeter iſta *decem*, quae recenſuimus, verba compoſita cum verbo εἰπεῖν, iisdem Graecis in uſu admodum frequenti fuit verbum ἘΝΈΠΕΙΝ, ſive ἘΝΝΈΠΕΙΝ, metri cauſſa pro ἐνειπεῖν, adhibitum. Ecquis jam dubitet, quin, uti ab ἔπω, factum eſt ἐνέπω, ſ. ἐννέπω, ſic eadem analogia a φημὶ, ſive φαμὶ, in uſu olim fuerit compoſitum ἐνφημὶ, ſive ἔνφαμι, illudque ſignificaverit *dico in*, vel *dico inter*, hoc eſt, aliorum *ſermoni mea*, quaſi, *verba*

inſero?

inſero? Etiamſi hoc ipſum ἔνφαμι, quoad ſciam, in libris Graecis, qui quidem ad noſtram cognitionem pervenerunt, non ſit ſervatum? Analogia certe *verbi ſimilis compoſiti* ſuadet, tam vere Graecos utrumque dicere potuiſſe, ἐνέπω & ἐνφημὶ, ac formarunt ἀντίφημι & ἀντιέπω, ἀπόφημι & ἀποέπω cet.

Sed ulterius pergo, dicoque, veri ſimillimum eſſe, hoc ipſum ἔνφαμι (quod Graeci *Dorienſes* maxime in uſu habuerint) ſervatum fuiſſe a Latinis, in ſuo INQUAM, pro INQUAMI, monſtro verbi, quod ab analogia reliquorum verborum Latinorum adeo videatur abhorrere, ut Grammaticis doctiſſimis haud parum moleſtiae creaverit. Magnus noſter *Voſſius*, tam in *Etymologico* ſuo, quam in aureo illo de *Analogia* opere, L. III, c. 40. p. 150. ab INQUIO, veteri *Praeſenti*, ſuſpicabatur factum primo fuiſſe, praeteritum *Imperfectum*, INQUIEBAM, hoc vero contractum deinceps in INQUAM. „*Inquam*, utcumque nunc *Praeſentis* ſit, tamen, aut valde me judicium fallit, aut primo *Praeteriti* fuit *Imperfecti*. Puto enim, ex *inquiebam*, κατὰ συγκοπὴν, factum eſſe." Habes ipſa *Voſſii* verba, ex Analogiae l. l. deſcripta. Atqui neminem negaturum fore opinor, contractionem iſtam τῦ *inquiebam*, in *inquam*, longe eſſe difficillimam, nulloque exemplo ſimili commendatam. Accedit, quod τὸ INQUAM omnino ſit temporis *praeſentis*, non vero *imperfecti*, adeoque ab altero

tero iſto INQUIEBAM, valde diverſum. Nihil contra hoc probat, a cel. *J. M. Geſnero* laudatus, locus *Plauti*, in Captiv. Act. III, ſc. I, vs. 18—24.

Nam, ut dudum hinc abii, acceſſi ad adoleſcentes in foro:
Salvete INQUAM: *Quo imus una*, INQUAM, *ad prandium? atque illi* TACENT,
Quis ait? hoc, aut, quis profitetur, INQUAM, *quaſi muti* SILENT:
Neque me RIDENT. *Ubi coenamus?* INQUAM, *atque illi* ABNUUNT,
DICO *unum ridiculum dictum de dictis melioribus*,
Quibus ſolebam menſtruales epulas ante adipiſcier:
Nemo RIDET. ——

Satis enim demonſtrant cetera verba, in eodem hoc contextu poſita, *tacent*, *ſilent*, *rident*, *abnuunt*, *dico*; tempora *Praeſentia* hic poni pro *Praeteritis*, ad rem tanto vividius repraeſentandam, quaſi ea etiamnum coram ageretur. Qiud igitur eſt INQUAM? Meo quidem judicio, nihil aliud, quam ἔνφαμι, ultima vocali ι reſorbta, plane ut in *ſum* pro *ſumi*, *ſim*, pro *ſimi*, *amem* pro *amemi*, *legam*, *audiam*, pro *legami*, *audiami*. De quibus relege, ſis, dicta ſuperius p. 284. Ceterum probe attendi meretur cognatio, inter verba ἔνφαμι, Lat. INQUAM, & aliud INQUIO, ſive INQUIMI; ex quibus, inter ſe col-

collatis, reliqua huc pertinentia facile intelligentur. Quin & adfinitatem, quandam dari inter verba φάω, φαμὶ, ἔνφαμι, & ἔπω, unde ἐπέω, ἐπόω, ἐπάμι, quis negaverit? Sed illuc excurrere jam nobis non licet.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 117.

De verbo ʼΕΙΜΙ'.

Praeclara in medium dedit *Lennepius*, de verbo εἰμὶ, obſervata, quorum ope ad origines remotiſſimas hujus verbi Subſtantivi propius perveniri queat, quam licuit antea. Nec tamen omnia dixit. Nos, veſtigia ſuaviſſimi Praeceptoris prementes, ſtudeamus quaedam addere haud aliena.

Antiquiſſimis Graeciae populis videntur in uſu fuiſſe variae hujus verbi Subſtantivi formae, pro *diverſis* dialectis, diverſimode, brevius, longius, prolatae. Simpliciſſima haud dubie forma verbi fuit ἐμὶ, a cel. *Lennepio* propoſita. Porro pro ἐμὶ, praemiſſa vocali ε, augmenti inſtar (quale in ἐθέλω pro θέλω, ἐερσὴ pro ἐρσὴ, aliisque, obſervabitur ad Analog. p. 203. 204.) etiam dixerunt ἔεμι, quin & ἕεμι, adſpiratione adhibita, ante vocalem ipſius verbi primigeniam, &, hac adſpiratione mox reſoluta in σ, ἔσεμι.

Itaque habebimus jam tres potiſſimum formas

ἐμὶ,

ἐμὶ, ἔεμι, & ἔσεμι: quarum formarum nulla carere poterimus; uti nec forma quarta ἔαμι careri poteſt, ſiquidem hoc verbum 'EIMI', per ſingulos modos tempora, perſonasque, docte cupiamus intelligere.

Sed periculum faciamus in ipſo paradigmate verbi noſtri Εἰμὶ, illudque paullo diligentius perſequamur, quatenus in Rudimentis *Struchtmeyerianis*, p. 191—194. una cum varietate dialectorum, exhibuimus.

Habet igitur, in PRAESENTIS Indicativi *prima perſona*, SINGULARIS, 'Εἰμί, SUM, quod manifeſto contractum eſt, ex ἔεμι. Servavit autem hoc εἰμὶ ſcriptionem Atticam veterem per ει, ad differentiam, uti videtur, ab altero verbo ἦμὶ *dico*. *Aeoles* tamen, (pro ει, poſito η, ſed circumflexo) dixere ἦμι, quod etiam contractum eſſe potuit ex ἔειμι, forma pinguiori. *Dores*, e forma priſca ἐμὶ, ſervarunt ἐμμὶ: niſi forte malis, hoc ipſum olim fuiſſe ἔμεμι, in forma reduplicata.

Secunda perſona Singularis εἶς, ES, videtur facta ex eodem illo pinguiori ἔειμι, pro ἔεις: quod poſtremum integrum nobis cuſtodierunt Iones. „Frequenti tamen uſu loquentium (quod notavit *Lennepius* p. 117.) ipſam quoque literam ς amiſit: unde εἶ, pro ἔει, quod Atticum eſt." Poëtae, facta contractione, exhibent ἔῃ. Etiam, in ſecunda hac perſona, poëtis uſitatum eſt ἐσσὶ, pro ἔσεσι, ex ἔσεμι.

Tertia perſona Singularis vulgo effertur ἐςὶ,

EST,

EST, pro ἔσετι. *Dores* dixere ἐντὶ, pro ἐτὶ, ab ἐμὶ: litera ν, ut in multis aliis fieri ſolet, inſerta.

In DUALI perſonae ſunt ἐϛὸν, ἐϛὸν: utrumque pro ἔσετον, ductaque ab ἔσεμι, eadem analogia qua a τιθημι, ſive ab hujus antiqua forma τίθεμι, facta ſunt τίθετον, τίθετον.

In PLURALI *prima* perſona eſt ἐσμὲν, SUMUS, pro ἔσεμεν. Poëtae, ab ἐμὶ; & εἰμὶ, ſervarunt ἐμὲν, & εἰμὲν, Dores εἰμές. *Secunda* perſona ἐϛὲ, ESTIS, pro ἔσετε, Poëtis ἐτὲ, ab ἔσεμι, vel ἐμί. *Tertia* perſona εἰσὶ, SUNT, pro ἔεσι, ab ἔεμι. Iones dixere ἔασι, Poëtae etiam ἔασσι, ab ἔαμι. quod cognatum fuit alteri iſti ἔεμι: de quo deinceps p. 462. Aeoles ἔντι Dores, ἐντὶ, nulla diverſitate adhibita inter tertiam *Singular.* ejusdem perſonae & tertiam *Pluralis* numeri. Sed vide de hoc *Lennepium* p. 118.

Vix tempero mihi, quin, opportuniſſimo hoc loco, aliquid addam de Latinorum verbo Subſtantivo SUM, FUI, ESSE vel FORE.

Vel primo intuitu unicuivis ſatis manifeſtum ſit, magnam dari convenientiam inter Latinum ES & Graecum ἐϛὶ, vel ἐϛ: inter Lat. EST & Gr. ἐϛί. In his enim, accentu retracto, ſolummodo facta eſt ultimae vocalis apocope, qualis in περὶ & PER, in ἔτι & ET, in UTI & UT, atque ita in benemultis aliis. Sed aut nulla, aut perquam exigua, apparebit harmonia, inter Gr. εἰμὶ & Lat. SUM, inter ἐσμὲν & SUMUS,

Ee inter

inter εἰσὶ & SUNT. Multo minor adhuc erit inter εἶναι & ESSE, inter ἔσεσθαι & FORE, & ſimilia. Cui quidem diſſonantiae ut quanto ocius medeamur, res erit altius repetenda, adeoque breviter, hic loci, in transcurſu dicendum erit de fontibus verborum, ſive potius *diverſiſſimarum* unius verbi *formarum*, unde Lat. SUM, FUI, ESSE, vel FORE, per omnes verbi, vulgo dicti *Subſtantivi*, *modos*, *tempora*, & *perſonas*, profluxerunt.

Itaque, ut hoc penitius intelligamus, obſervari meretur, verbi Graeci antiquiſſimi ἔω, vel potius ἐμὶ, varias olim fuiſſe formas, ſibi mutuo cognatas, & quidem

ἐμὶ, ἰμὶ, ὀμὶ, ὑμὶ, & ὠμὶ.

Unde dein & aliae productae ἐσεμὶ &c.

Pro *quarta* harum formarum, ὑμὶ, vel pro eadem adſpirata ὑμὶ, praepoſito σ (niſi malis *ſpiritu* in σ mutato, de quo T. H. in voce Σέλλος, Stirpium Lennep. p. 873.) videntur dixiſſe SUMI, uti pro ἡμὶ SEMI, pro ὑπὲρ SUPER, pro ἕρω SERO &c. Ex SUMI autem, accentu retracto, enatum fuit SUM, ut ex ἰμὶ, SIMI, SIM. Redi ad p. 284. Unde lucrabimur ſtatim formam, ultima vocali carentem, in *prima* Singularis *Indicativi* Praeſentis perſona, SUM, in *prima* item & *tertia* Pluralis, SUMUS, SUNT: in *Subjunctivo* porro SIM, SIS, SIT, SIMUS, SITIS, SINT.

Dein, ex *prima* earundem formarum ἐμὶ, in *ſecun-*

ſecunda & *tertia* perſona Singularis, & in *ſecunda* Pluralis, habebimus (ut in Graecis ἐσὶ, ἐςὶ, ἐςὲ) ſic in Latinis, ES, EST, ESTIS, & hoc quidem ESTIS, pro ἐςὲ, terminatione adhibita pleniori; de qua vide p. 318. coll. p. 298. niſi forte malis, pro ESTIS, primum prolatum fuiſſe ESTI, pro ESTI vero ESTE; permutatis vocalibus I & E: quam permutationem & Graecis Latinisque olim familiariſſimam fuiſſe, ſupra demonſtravimus, p. 307. 308.

Tertio ex ἐμὶ, vel potius ex ἔω, & hujus quidem productiori forma ἔσω, in *Imperfecto* Indicativi, enatum olim fuit *eſam*, *eſat*, &c. in *Subjunctivo* autem *eſſem*, *eſſes*, *eſſet*, &c. pro *eſerem*, *eſeres*, *eſeret*, in *Infinitivo* ESSE, pro ESERE; niſi praeplaceat, poſteriores has formas ductas fuiſſe a verbo ἔσεμι. Pro *eſam* autem *eſas*, *eſat* &c. dixerunt dein *eram*, *eras*, *erat* &c. literis *ſ* & *r*, ut ſaepiſſime alias, inter ſe commutatis. Qualem permutationem etiam contigiſſe in Futuro ERO, ERIS, ERIT, (pro *eſo*, *eſis*, *eſit*) ad oculum demonſtrare poteſt collatio Futuri antiquiſſimi Graeci ἔσω, ἔσεις, ἔσει, pro quo, in forma verbi Media, dein uſitatum fuit ἔσομαι, ἔσῃ, ἔσεται. Comparari cum his poterunt, quae dedit *Voſſius* in Arte Gramm. L. III, p. 145. 146. Ceterum, pro ἔσω, dixere quoque ἔσκω, unde Lat. *eſco*, *eſcis*, *eſcit*; de quo *Voſſius* l. l. Conf. & ſupr. p. 342.

Quartum obſervari meretur, a formis ὀμὶ,

ſive ὄω, & ὑμὶ ſive ὕω, praepoſito *digammate* Aeolico (de quo dictum eſt p. 289.) orta fuisſe Fόω, FOO, & Fύω, FUO. A FUO vero hoc, in *Perfecto praeterito* Indicativi, olim fuit *fuvi*, in Subjunctivo *fuverim*. Voſſius & Forcellinus, inter alia, huc laudarunt illa *Ennii* apud Ciceron. de Orat. c. 42. *Nos ſumu' Romani, qui* FUVIMUS *ante Rudini*: & *Plauti* Poenul. Prol. vs. 110. *Quo genere nata, qui parentes* FUVERINT: ubi alii Codd. habent *fuerint*. Docet denique *Forcellinus*, ab eodem *fuo* ſupereſſe etiam *fueret*, apud Lucret. L. III, 849. *In dubio* FUERET, *utrorum* cet.

Reliqua, quae ad obliqua tempora verbi εἰμὶ, *ſum* pertinent, cel. *Lennepius* dedit, Anal. p. 121. 122. 123. &c. ubi ſimul vide annotata noſtra.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 118.

De verbo Ἧμαι *ſedeo,* & εἷμαι *indutus ſum.*

Verbum ἧμαι per contractionem, ortum fuisſe, pro ἕαμαι, e ſtirpe ἕω, *mitto* (unde ἐάω, ſive ἕαμι, &, Paſſiva forma, ἕαμαι cet.) docuit cel. *Lennepius*, in Stirpibus p. 320. In uno hoc, ab eruditiſſimo praeceptore noſtro, diſſentire mihi liceat, quod ille τὸ ἕαμαι acceperit, pro tempore *Praeſente*, quaſi pp. foret *mitto me deorſum*, ego vero, pro *Praeterito*, habere malim,

malim, q. d. *miſi me deorſum, ut ſederem*, &, per conſequens, *ſedeo.* Fateor equidem, terminationem in μαι aeque *Praeſentis Paſſivae* formae eſſe ac *Praeteriti:* at docet comparatio aliorum verborum, apud Graecos eandem valere regulam, quam in Hebraicis dedit cel. *Schroederus*, Syntax. R. XLVI, p. 334. „ Complura verba, per indolem ſuae ſignificationis, in *Praeterito* includunt *tempus Praeſens*, ut יָדַעְתִּי pp. *repoſui*, ſc. animo, i. e. *ſcio*, נִחַמְתִּי pp. *factus ſum ſuſpirans*, i. e. poenitet me.” Ejusdem generis apud Latinos ſunt novi, pp. *recondidi mente*, i. e. *ſcio*; memini, pp. *in mentem revocavi*, i. e. *memoria teneo:* apud Graecos autem ἀμφιβέβηκα *tueor*, ἄνωγα *jubeo*, δείδια *timeo*, δέδηα *flagro*, ἔολπα *ſpero*, de quibus omnibus conſule *Clarkium*, ad Il. Α, 37. Θ, 322. Ν, 481. 736. Χ, 216. Ita & κέκτημαι *poſſideo* pp. eſt *acquiſivi, comparavi mihi.* Similiter ἧμαι, pro ἕαμαι, pp. notaret *demiſi me*, Gallice *je me ſuis mis*, atque adeo *ſedeo.* Confer, ſis, Il. Σ, 104. Ω, 542. Il. Β, 255. Ο, 245.

Quae de ἧμαι *ſedeo*, pp. *demiſi me*, modo diximus, aliquanto magis confirmabuntur, ubi contulerimus alteram hujus verbi formam, εἷμαι, per ει ſcribi ſolitam, diverſitatis ut opinor cauſſa, quo a priori illo ἧμαι tanto ſtudioſius discerneretur. Eſſe enim ejusdem originis ambo verba ἧμαι, & εἷμαι, probat iterum dialectus

Ionica: quippe in qua *tertia Pluralis* utriusque verbi ſcribitur ἕαται, vel, paullo pinguius, εἵαται. Itaque & primaria vis eadem plane eſt: ſecundaria ſignificatio nonnihil diverſa. Comparatio Franco-Gallici verbi *mettre* (quo ſupra uſi fuimus, in propria notione τȣ͂ ἧμαι deſignanda) hic iterum nobis uſui veniet. Galli enim non tantum dicunt *ſe mettre*, Lat. *conſidere*, *ſedere*, ſed „ *mettre* ſe dit auſſi en parlant des habits," verba ſunt *Furetierii*, Lexicographi eruditiſſimi, & in *Dictionario Academico* eſt, „ *ſe mettre bien*, pour *ſe bien habiller*. Unde ſatis ſuperque jam elucere arbitror, ἧμαι pp. ſignificare potuiſſe, *demiſi me*, nempe, ſedem capturus, εἶμαι vero *je me ſuis mis* en habits, i. e. indutus ſum: ut in illo Ulyſſis Homerici, Od. T, 27. & Y, 115. κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἶμαι.

Ad Analog. cap. IX, p. 118.

De Verbo Κεῖμαι Iaceo.

Quemadmodum ſtatim vidimus, ἧμαι & εἶμαι, (utrumque pro ἕαμαι) pp. eſſe *Praeterita Paſſiva*, ſed *Medio* vel *Deponenti* ſenſu poſita, ſic dubitandum vix videtur, quin & κεῖμαι, pp. ſit *Praeteritum perfectum*, pro κέκειμαι, a verbo κείω, augmento, more Ionum, neglecto. Vide hic Stirpes Lennep. p. 399. Opem feret conjecturae com-

comparatio verbi Hebraici שָׁכַבְתִּי *jaceo*, quod pp. eſt FUDI ME, in *Praeterito* tempore, atque adeo per conſequens, tanquam in tempore *Praeſenti*, *fuſus jaceo*, *ſecure decumbo* Jobi III, 12. VII, 4. Pſalm. III, 6. Conf. dicta ſuperius, p. 453. & laudatam ibid. Syntax. Schroed. R. XLVI, p. 334. Nec reclamat uſus veterum, ipſum hoc noſtrum κεῖμαι, ut Hebr. שכבתי, de *Praeterito* potius, quam de *Praeſenti* tempore, ponentium: ut Od. Ξ, 475. ubi, poſtquam haec dixerat Ulyſſes, vs. 472. *Sed quum jam veniſſemus* (ἱκόμεσθα) *ad urbem, altumque murum;* mox ſubjungit: *Nos quidem circa urbem per virgulta denſa* . . . ΚΕΙ'ΜΕΘΑ, JACEBAMUS, pp. POSTRAVIMUS NOS, νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε κακὴ . . . αὐτὰρ ὕπερθε χιὼν γένετο. Neque aliter fere Od. I, 75. K, 143. Λ, 419. ex quibus omnibus facile apparebit, „ κεῖμαι noſtrum „ pro κέκειμαι" (ut *Lennepii* verbis utar, Etymol. p. 399.) pp. eſſe *Praeteritum*, & valere i. q. Latinorum *conjeci me*, *proſtravi me:* unde porro *Praeſentis temporis* notionem, per *metonymiam*, quam dicunt, *conſequentis* acceperit, uti Od. Τ, 515. 516. Αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ . . . ΚΕῖΜΑΙ ἐνὶ λέκτρῳ, πυκιναὶ δὲ . . μελεδῶναι . . ἐρέθουσιν *At poſteaquam nox venit* . . . JACEO, (pp. *conjeci me*) *in lecto*, in lectum, *crebraeque curae lugentem* LACESSUNT. Ita *Iobus* cap. VII. ſimiliter: אם שכבתי .... ושבעתי נדדים עדי נשף:

AD ANALOG. CAP. IX, p. 118.

„ *De verbo* ἴσημι, *cum* ἵςημι *componendo.*"

„ Verbum ἴσημι *ſcio*, cum ἵςημι, componendum eſſe" monuit cel. *Lennepius*: id quod ratione habita *conjugationis*, non vero *originis*, atque adeo *ſignificationis*, videtur ſtatuiſſe. In Etymologico enim docuit (p. 369. & 370.) verbum ἴσημι componendum eſſe cum εἴδω & ἰδῶ; prognatumque a ſtirpe ἴω, ἵςημι vero a ςάω, quod a τάω. In *Paſſiva* quidem, ſive *Media*, forma, pro ἴσαμαι, obſervarunt Grammatici dici ἵςαμαι: unde ἐπίςαμαι, ἐπίςασαι (Attice ἐπίςῃ) & in *tertia* perſona, ἐπίςαται: ſed convenientia iſta mere fortuita eſt, neque adeo probare poteſt utriusque verbi cognationem.

Vera origo prioris illius ἴσημι, (Dorice ἴσαμι) repetenda videtur ab ἴω, id quod jam docentem vidimus *Lennepium* Etymol. p. 369. Ab ἴω autem factum eſt ἴσω, & (alia verbi forma) ἰσάω, ἰσέω, vel ἴσαμι, ἴσεμι: unde porro, (inſerta, ante terminationem verbi, litera τ) ab ἴσαμι ortum eſt ἵςαμι, ab ἴσαμαι, ἵςαμαι, eadem analogia, qua a τύπω eſt τύπτω, ab ἅπω, ἅπτω, ab ἵπαμι, ἵπταμι, ἵπταμαι cet. de quibus ad Analog. p. 186. Contra a τάω, cognata forma verbi τέω, ortum eſt ςάω, a ςάω vero ἱςάω, ἵςαμι, ἵςαμαι: uti pluribus docetur Etymol. p. 370.

Ceterum rectiſſime videtur obſervaſſe *Lennepius*,

nepius, dari convenientiam inter noſtrum ἵστημι, & alterum ἴσω, ſive εἴδω. Probat hoc quam certiſſime forma vulgo dicta *Dorica* ἴδμεν (in *Praeſentis* prima Plurali perſona) paſſim obvia apud *Homerum*, ut Il. A, 124. &c. Dici quidem ſolet, ἴδμεν illud esſe pro ἴσμεν, hoc vero pro ἴσαμεν, ſed longe rectius alii ſuſpicati ſunt, ἴδμεν hocce veteres, per ſyncopen, *brevius* dixiſſe, pro *pleniore* ἴδομεν, in *prima* perſona *pluralis*, verbi ἴδω Lat. VIDO, unde *video*. Hac lege noſtrum ἴδμεν, pro ἴδομεν, pp. foret idem ac Latinum VIDEMUS, ſive CERNIMUS, *animo*, nempe, vel *mente*. Notiſſima ſunt illa *Ciceronis*, in *Nizolii Lexico Ciceroniano* laudata; quae hic deſcripta legiſſe non poenitebit. Primum eſto ex Epiſt. ad Diverſ. L. VI, 3. *Nam, etſi quotidie aliquid* AUDIMUS *earum rerum, quas ad te perferri exiſtimo, ſumma tamen eadem eſt & idem exitus, quem ego tam* VIDEO ANIMO *quam ea quae* OCULIS CERNIMUS *Nec vero quidquam* VIDEO, *quod non idem te* VIDERE *certo ſcio. Nam etſi, quem exitum res habitura ſit*, DIVINARE *nemo poteſt, tamen & belli exitum* VIDEO, *&, ſi id minus, hoc quidem certe, cum ſit neceſſe alterutrum vincere, qualis futura ſit, vel haec, vel illa victoria. Idque cum optime* PERSPEXI; *tale* VIDEO, *nihil ut mali* VIDEATUR *futurum, ſi id vel ante acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur.* Alterum e *Catone Majore*, ſive de Senectute, Cap. 23. *Nonne vobis videtur animus is,*

 qui

qui plus CERNAT *&* *longius*, VIDERE, *ſe ad meliora proficiſci: ille autem cujus* OBTUSIOR ACIES, *non* VIDERE? Quibus addamus & illa *C. Nepotis*, a *Forcellino* indicata, in Alcibiade c. 9. *Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione, ſed* VIDEBAT, *id ſine rege Perſarum non poſſe fieri.* Et in Hannibale, c. 9. VIDIT *vir, omnium callidiſſimus, magno ſe fore periculo, niſi quid* PRAEVIDISSET. Comparentur jam illa Homeri, Il. B, 301. Εὖ γὰρ δὴ τόγε ἼΔΜΕΝ ἘΝῚ ΦΡΕΣΊΝ *Probe enim hoc* VIDEMUS (ſive CERNIMUS) MENTE; h. e. *intelligimus, ſcimus. Heſych.* Ἴδμεν· οἴδαμεν. Idem Ἴδμεναι· εἰδέναι. Vide & Il. B, 485. *Vos enim deae eſtis, adeſtisque*, ἼΣΤΕ ΤΕ, *ſcitisque*, pp. VIDETISQUE, *omnia. Nos vero famam ſolum audimus*, οὐδέ τι ἼΔΜΕΝ *neque quidquam ſcimus*, pp. VIDEMUS, vel CERNIMUS *animo*. Porro Il. Θ, 32. Υ, 203. &c. atque ita alibi ſaepiſſime, in Praeſentis hac *prima* perſona Plur. quin & in *Infinitivo*, vulgo dicto *Dorico*, ἴδμεν & ἴδμεναι pro ἴδεμεν, ἰδέμεναι Il. Λ, 718. Ν, 273. Od. Δ, 200. 493. &c. quae fuſius enarrare jam non licet.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 122.

De rarioribus formis ἔον, ἦεν, ἔσκον ERAM, *prima perſona* IMPERFECTI *in verbo Subſtantivo, apud Ionas.*

Pro ἦν, vulgari forma *primae* perſonae *Praeteriti*

periti imperfecti, in verbo 'ΕΙΜΙ' (quam contractam eſſe ex ἔεν docuit *Lennepius*, Anal. p. 121: 4to vs. a fine, & p. 122: 1. ubi vitio typographi legitur ἔον pro ἔεν) Iones etiam dixerunt ἔον, εἶον, & ἔσκον. Quae, priusquam ulterius pergamus, paucis adhuc ſunt illuſtranda. Pertinet igitur ἔον illud jam manifeſto ad verbum ἜΩ, formam primitivam, (de qua jam ſuperius dictum p. 451.) ἦον vero referendum eſt ad alterum productius εἴω, unde primo factum ἔειον, dein ἔηον, ἤον: quemadmodum (ſi leges contractionis ſervare velimus) ipſum illud vulgatum ἦν, pp. non eſt pro ἔεν, (ſic enim fuiſſet ἧν non ἦν), ſed pro ἔειν, quod Ionice ſcribitur ἔην, iota neglecto, quod ſubſcribi potuiſſet. Tandem ἔσκον, pro ἔεσκον, pp. videtur eſſe a veteri forma *Praeſentis* ἔσκω, ducta a *Futuro* ἔσω: de quo ſupr. p. 440. Conf. & infra ad Analog. p. 185.

AD ANALOG. CAP. IX. p. 123.

De ſyllaba ΘΙ, *terminationem uſitatam praebente ſecundae perſonae Singul. in Imperativo Activi, verborum in* ΜΙ.

Quemadmodum ab *Infinitivo antiquiſſimo* τύπτεν, ſive τυπτέναι, (reſorbta ultima *litera* ν, vel, & *integra ſyllaba* ναι) oriri docuimus *alteram Imperativi perſonam Singularem* τύπτε, a ποίεεν, ποίεε, ποίει· a βόαεν, βόαε, βόα· ſic a τίθεν, ſ. τιθέναι, Infinitivo,

finitivo verbi τίθεμι (pro quo in uſu eſt τίθημι) efformari oportuerat τίθε· a ζεύγνυν, vel ζευγνύναι, ζεῦγνυ: cujus quidem formae *nudae* exempla ſuperſint δεῖκνυ, ὄμνυ cet. Redi ad p. 387. 426. Verum, pro τίθε, pleniori forma deinceps dixerunt τίθεθι, ſive potius (ne duae literae adſpiratae concurrerent) τίθετι, pro ζεύγνυ, ζεύγνυθι, pro ἵστα, ἵσταθι, pro δίδο, δίδοθι (ubi tamen uſitatius eſt δίδου, pro δίδοε, ductum a διδόω, ut χρύσου, pro χρύσοε, a χρυσόω:) pro ἵε porro ἵεθι, pro ἴ, ἴθι & ſimilia. Quaerit hic loci cel. *Lennepius*, unde illud θι analogice ſit repetendum? ſuſpicaturque vir elegantiſſimi ingenii, ortam eſſe hoc θι ex *ſyllaba, perſonae ſecundae addi ſolita*, σι: *literas enim* σ, θ, *&* τ, *frequentiſſime inter ſe permutari.* Haud leviter confirmari poſſe haec videntur, collato eodem illo τι in τίθετι, quomodo pro τίθεθι efferri modo vidimus. Quod ſi praeterea jam cogitemus, quanta ſit, inter vocales υ & ι, pronunciandi ſimilitudo, facillime in eam opinionem delabemur, pronomina *ſecundae* perſonae σὺ & σὶ, olim promiſcue fuiſſe pronuntiata: qua fere ratione, (ſuperius p. 200.) conjicere auſi jam fuimus, non σὺ tantum & τὺ, verum & σὶς ac τὶς, in caſu *Nominativo* hujus pronominis, dixiſſe antiquiſſimos Graecos. Quibuscum ſi ea adhuc conferre forte vacaverit, quae de ΘΑ, in οἶδασθα, ᾔδεισθα cet. praemiſſa a nobis ſunt p. 385. & 426. nullus dubitabis, quin ſyllaba haec ΘΙ, cum ΤΙ,

ΣΙ,

ΣΥ, ΘΑ, planiſſime conveniat, eosdemque adeo agnoſcat natales: ut τίθετι, δίδοθι, ζεύγνυθι &c. hac lege nihil aliud ſignificent, quam Latina *pone* TU, *da* TU, *junge* TU, Belgice *ſtel* GIJ, *geef* GIJ, *voeg* GIJ &c. Redi iterum ad notam, p. 426. ſubjectam.

Sed epimetri loco nonnulla addere liceat de ſimili quodam *pronomine tertiae perſonae*, ΤΩ, Latinis TO, quod, *adformantis* inſtar, adjectum, *tertiam* Imperativi Singularis *perſonam*, in utraque lingua, poſtea effecit; uti notiſſimum eſt ex τυπτέτΩ *verberato*, βοαέτΩ, βοάτΩ, *clamato*, ἀμάετΩ, ἀμάτΩ, *amato*. Ecquis hîc dubitet, quin ΤΩ illud, (olim TO) *tertiae* perſonae *adformans*, ortum ſit ex pronomine antiquiſſimo perſonae *tertiae* ſingularis ΤΟ'Σ, quod in αὐτὸς, & ἔτος, ſervavit lingua Graeca. Relege per otium quae ſcripſimus p. 299—311. Nullum mihi quidem dubium eſt, quin, in *pronomine* αὐτὸς, lateat illud ΤΟ'Σ, quod modo dixi, quodque in *caſibus obliquis* Articuli ὁ, ἡ, τὸ, clare deprehenditur, in τȣ̃, nempe, τῷ, τὸν, τοῖ, & τὰς: quorſum etiam referri poteſt, quod in gloſſa quadam, apud *Heſychium*, ΤΟ'Ν exponitur per τȣ̃τον. Confer ſis locum Od. Χ, 113—116. unde ratio compoſitionis facilius perſpicietur.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 124.

De forma, vulgo dicta, anomala ἴσθι, *in* 2. *perſona Imperativi verbi* εἰμὶ SUM: *de tertia item perſ.* ἔσω ESTO, cet.

Formam ἴσθι, anomalam vulgo creditam, & ſaepius obviam in N. T. ut 1 Tim. IV, 13. &c. vir cel. repetit ab ἴθι, inſerta σ, ut ſit a verbo obſoleto ἴμι, de quo ſupra p. 450. Rectius tamen, ni fallor, ſtatuas, a verbo obſoleto, ἴσεμι, in *ſecunda* hac Imperativi *perſona*, factum primo fuiſſe ἴσεθι, dein vero, per contractionem, ἴσθι, eadem fere ratione, qua pro ἔσετι, dixere ἐςὶ, pro ἔσεται, ἔςαι. Ceterum probe diſtingui oportet hoc ipſum ἴσθι, ESTO, ab altero ἴσθι, quod contractum ex ἴσαθι, SCITO, cujus Praeſens eſt ἴσαμι. Reperitur poſteriori hac forma & ſignificatione vox ἴσθι Od. Β, 356. Λ, 223. Vide plura deinceps ad p. 125.

Porro *tertiam* perſonam *Imperativi Praeſentis*, ἔςω, *Lennepius* repetit ab ἔτω, atque ita deinceps ἔςε, ἔςωσαν, ſive, Atticorum more, ἔςων, ab ἔτε, ἔτωσαν, inſerto σ. Mihi paullo aliter videtur. Malim equidem noſtrum ἔςε accipere pro ἔσετε, ab ἔσειμι, quemadmodum in *tertia* Futuri, forma *Media*, habuimus ἔςαι, contractum ex ἔσεται. Altera forma *tertiae* perſonae *Praeſentis* Imperativi ἤτω haud dubie, per contractionem vocalium, facta eſt ex ἐέτω, a Praeſenti aucto ἔεμι, unde εἰμὶ, ἦμι.

Ad Analog. cap. IX, p. 125.

De ἴσθι, *pro* ἴσαθι, scias, *in loco celebri Euang. Luc.* XIX. 17.

Pro ἴσαθι *ſcito*, vel *ſcias*, *Homerum* dixiſſe ἴσθι, ſupra jam obſervatum eſt, p. 462. &, hoc ipſo loco, perſpicue docuit *Lennepius*. Juvat nunc ſubjungere eruditiſſimam L. C. V. obſervationem ad Luc. XIX, 17. ubi verba Servatoris ſunt in Parabola, εὖ, ἀγαθὲ δοῦλε, ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου, ἼΣΘΙ ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων. „ Inſolentior ſtructura (inquit vir ſummus) omnes fefellit interpretes. Acceperunt enim τὸ ἴσθι, tanquam *Imperativum* verbi εἰμὶ sum, ut ἴσθι ἔχων eſſet *ſis habens*, atque adeo idem, quod ἔχε *habe*. Hoc, ſi forte ferendum in alio libello Novi Teſtamenti, *Lucas* tamen, Graece doctior, videtur *formulam Atticam* adhibuiſſe, qua ſignificatur *ſcias te habere poteſtatem decem civitatium*, vel, *te decem civitatibus eſſe praefectum.* A veteri verbo ἴδω Futurum fuit ἴσω, hinc ἰσάω, ἴσημι *ſcio*, *noſco*. Hinc jam *Imperativus* ἴσαθι, ἰσάτω contracte ἴσθι, ἴστω. Verbum ἴσημι *Lucas* etiam adhibuit, Act. Apoſt. XXVI, 4. ἴσασι πάντες *ſciunt omnes*. Jam vero verbis quibusvis, habentibus ſignificatum *cognoſcendi*, vel *intelligendi*, pro *Infinitivis*, cum *Pronominibus*, vel *Nominibus*, accedunt *Nominativi Participiorum.* Ἴσθι ἔχων ponitur pro ἴσθι, σὲ ἔχειν:

ut

ut apud *Sophoclem*, Ajace vs. 1177. ἴσθι πτυαγμένος SCIAS TE PUNITUM IRI. Alibi, apud eundem, finis eſt verſus καιρὸς ἴσθ' ἐληλυθὼς SCIAS, *tempori* TE VENISSE. Poëtae quoque Latini Graeciſmum hunc nonnunquam expreſſere. Apud *Horatium* alibi legitur NESCIS *Iovis eſſe conjux*, pro *neſcis*, *te Iovis eſſe conjugem.* Ex hoc Graeciſmo *Virgilii* verſus eſt interpretandus — SENSIT *medios* DELAPSUS *in hoſtes*, pro *ſe delapſum eſſe.* Legitur in *Euripidis* Hippol. vs. 304. ἴσθι προδοῦσα *ſcias te prodidiſſe*: ubi in Annotar. (p. 196.) hanc in rem alia reperientur. Attigerant hunc uſum etiam *Henr. Stephanus*, in Append. ad Theſaur. L. Gr. p. 162. & *Balthaſ. Stolbergius* ad Sophoclis Ajac. p. 239." Hactenus L. C. V. Obſervationem optimi praeceptoris ſui admiſit quoque *Lennepius*, addens ſimiliter, ἴσθι ἔχων idem h. l. eſſe, quod, minus Attice, dixeris ἴσθι σὲ ἔχειν." Pace tamen ſummorum virorum, addubitare mihi liceat, an idem hic Atticiſmus ab Evangeliſta vere admiſſus ſit, loco laudato. Comparetur uſus vocis ἴσθι, apud Matth. V, 25. ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ, & in Alexandrinis interpretibus Prov. VI, 3. ἴσθι μὴ ἐκλυόμενος ſimiliaque dicta. Quibus expenſis, neminem fore credo, qui hic facile negaverit, phraſin ἴσθι ἔχων, in pericopa Lucae, Hebraiſmum potius redolere, quam Atticiſmum.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 125.

De Imperativo ΦΑ΄Ο *apud Homerum reperiundo.*

Reſpexit vir celeb. ad Odyſſ. Π, 167. Ἤδη νῦν σῷ παιδὶ ἔπος ΦΑ΄Ο, μηδ᾽ ἐπικευθε „ *Jam nunc tuo filio verbum* DIC, *neque celato*, vel, quod Od. Σ, 170. iisdem prope verbis legitur, Ἀλλ᾽ ἴθι, καὶ σῷ παιδὶ ἔπος ΦΑ΄Ο, μηδ᾽ ἐπίκευθε. *Etymologus M.* col. 477: 52. de ἵστασο, agens, κατ᾽ ἔνδειαν τοῦ σ inquit fieri ἵσταο, ὡς — ἔπος φάο — ἀπὸ τοῦ ἐφάμην, ἔφασο· καὶ μάρναο, ἀντὶ τοῦ ἐμάρνασο, καὶ ἔσσυο ἀντὶ τοῦ ἔσυσο. Idem, alio loco, col. 788: 44. ὁ μέσος ἐφάμην, ἔφασο, καὶ ἔφαο· ὅθεν καὶ Ἰωνικῶς τὸ προςακτικὸν ΦΑ΄Ο. Itaque, noſtrum φάο *Medium* potius dicendum fuerat, quam *Paſſivum*: quod ipſum tamen haud dubie voluit *Lennepius*; licet „ *Paſſivum*," feſtinante calamo ſcripſerit. Ceterum de verbo φημὶ, ſive φαμὶ, adeantur Stirpes, ſuo loco.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 128.

De Infinitivi formis τιθέναι, ἱστάναι, διδόναι, ζευγνύναι *cet.*

„ A τίθεμι forma veteri, ablato μι, additaque verbo nudo terminatione ναι, fieri τιθέναι," ſancit vir clar., atque ita ab antiquo ἵσταμι, eſſe ἵστα, ἱστάναι, a δίδομι, δίδο, διδόναι cet. Quae leviter

viter ſic videntur eſſe refingenda, ut ſtatuamus, a τιθέναι, vel τίθεν, (forma antiquiſſima Infinitivi) factum eſſe primum τίθε, dein vero, addita *adformante*, *primae perſonae*, μι, ortum τίθεμι, atque ita in reliquis, a δίδον (vel a διδόναι) δίδο, mox δίδομι, ſive δίδωμι, in perſona *prima*. Sane *indefinitam* actionem priorem eſſe ea, quae ad *perſonam certam reſtringatur*, atque adeo *definiatur*, poſt *Schultenſium*, ſatis nobis videmur probaſſe, ſuperius p. 377. 385. & alibi.

AD ANALOG. CAP. IX, p. 130.

Spicilegium obſervationum quarundam de formis verborum in MI *poſt Lennepium.*

Obſervationibus eruditiſſimi praeceptoris, epimetri loco, quaedam adjicere liceat, fortaſſe nondum ſatis explicata.

1. In Verbi Activi *Subjunctivo Modo*, *Praeſens tempus* ultimam habere circumflexam, ut τιθῶ, τιθῇς, *ponam*, *ponas*, ibidemque, in *Aoriſto*, qui dicitur, *ſecundo* θῶ, θῇς, &c. nemo mirabitur, qui reputaverit *formas* has omnes eſſe *contractas*, pro integris τιθέω, τιθέῃς, & θέω, θέῃς &c. cujusmodi quam plurima *Iones* nobis ſervarunt. Eadem porro ratio eſt in ἱςῶ, *ſtem* pro ἱςέω, ac ςῶ, pro ςέω· δῶ *dem* pro δόω, Poëtice, δώω· ὦ *ſim*, pro ἔω· ἱῶ *mittam*, pro ἱέω· φῶ *dicam*, pro φάω.

Ne-

Neque aliter res ſe habet, in formis *Subjunctivi* Modi *Paſſivis*, ut τιθῶμαι *ponar*, ἱϛῶμαι *conſtituar*, διδῶμαι *doner*, &c. pro τιθέωμαι, ἱϛέωμαι, διδόωμαι: quorum omnium formatio diſtincte magis intelligetur, ſi levis tantum inſtituatur comparatio cum *Subjunctivis* τύπτω, τύπτῃς, τύπτωμαι, τύπτῃ & reliquis ſimilibus.

2. Pro ἐτίθην *ponebam*, ἵϛην *conſtituebam*, ἐδίδων *dabam*, in *Imperfecto* Indicativi Activi, Iones dixere τίθεσκον, ἵϛασκον, δίδοσκον· formis deſumtis ab obſoleto verbo *Praeſenti* τιθέσκω, ἱϛάσκω, διδόσκω, quae omnia repetenda ſunt a ſimplicioribus verbis τιθέω, ἱϛάω, διδόω, unde primum, in Futuro, τιθέσω, ἱϛάσω, διδόσω, mox τιθέσκω, ἱϛάσκω, διδόσκω &c. Porro a ϛάω, ϛῶ (unde ſupereſt Lat. STO, STAS) vocali *ſubſidiaria* ε adſcita, (qualem *Arabas* & *Franco-Gallos* frequentiſſime adhibere, diximus ſupr. p. 359. 360. in ſuis ابن *ebn*, pro بن *bn*, *eſtomac* pro *ſtomac* &c.) prona admodum analogia, factum eſt ἑϛάω. Hinc in *Praeterito perfecto* ἕϛακα, quod Iones, extrita litera κ, pronuntiarunt ἕϛαα.

3. Quod in *Optativo Modo*, dixerunt ἱϛαίην, τιθείην, διδοίην &c. noſtro quidem judicio, a *formis optativis* verborum in ω, non adeo longe diſtat, ac prima fronte queat videri. Viam monſtravit jam cel. *Lennepius*, Anal. p. 126. qua, nempe, inſerendo vocales ιε, omiſſoque augmento, ab ἐτίθεν, fiat τιθείεν, & mox, vocali *brevi* in *longam* mutata, τιθείην. Lege ipſum p. 126—128.

Simplicior tamen fortaſſe formandi ratio erit, ſi obſervaveris, *primas Optativi Modi perſonas*, *adformantium* loco, ubivis adſciviſſe literas εν vel μι, has autem literas *adformantes* decerptas fuiſſe ab integris pronominibus antiquiſſimis *primae* perſonae, ἐνὼ & ἐμὶ, de quibus dixi p. 285. ſſ. porro, pro *characteriſtica Modi Optativi*, ante *adformantes* has, quas diximus, εν & μι, adſumtam fuiſſe vocalem ι. Eo certe pacto, ab ἵϛα, (forma Infinitivi apocopati, pro ἵϛαι, vel pro ἱϛάναι) ac *priori* illa adformantis *forma* εν adſcita, habebimus ἱϛαίεν· a τίθε, τιθείεν, a δίδο, διδοίεν, unde deinceps, vocali ε in η producta, ἱϛαίην, τιθείην, διδοίην. Cum *poſteriori* vero *adformantis* forma in μι, lucrabimur non tantum a τύπτο, τύπτοιμι· a τύψα, τύψαιμι, atque ita deinceps: ſed rationes ſimul pervidebimus linguae Graecae, ſecundum quas *Attici*, pro τύπτοιμι, in *prima Praeſentis*, Optativi Activi, perſona, protulerint τύπτοιν. Adhibita fuit, nempe, ea in voce, loco poſterioris hujus Adformantis formae in μι, prior illa forma, in εν, ſive ν, deſinens. Visne inſuper *utriusque* formae, uno in verbi tempore, exemplum clariſſimum, en tibi *Praeſens* & *Imperfectum* Optativi, in verbo εἰμὶ *ſum*. Forma ejus vulgaris quidem eſt εἴην, εἴης, εἴη, ſed Iones dixere ἔοιμι, ἔοις, ἔοι· prius ductum ab εἰμὶ, poſterius ab ἔω veteri, de quo p. 451. & alibi.

Ad Analog. cap. X, p. 139.

De voce πᾶς, *contracta ex* πάας *ſive potius ex* πάανς.

Probare conati fuimus, in Animadverſſ. ad Stirpes *Lennep.* p. 735. vocem πᾶς *omnis* eſſe pp. formam *Participialem*, verbi obſoleti πάαμι, dictamque adeo fuiſſe pro integro πάανς. Addendum nunc eſt, literam illam ν, ſive *n*, in *Latinorum* quoque *Participiis* haud raro, per ſolam formae contractionem, deëſſe: uti in *animas*, pro *animans*, apud *Ennium*, (Fragm. p. 182. edit. Heſſelii)

Ova parire ſolet genu' penneis condecoratum,
Non ANIMAS.

Dabit ibidem plura *Heſſelius*; ut *infas*, *praegnas*, *abſes*, *advenies*, pro *infans*, *praegnans*, *abſens*, *adveniens*.

Ad Analog. cap. X, p. 151.

De formis nominum, in ωσύνη *&* οσύνη *terminatis, probe a ſe invicem diſtinguendis.*

Juvat, hic loci, praeclaram cel. *Lennepii* obſervationem inſerere, quam, de *formis nominum*, in ωσύνη, & οσύνη, deſinentibus, alibi dedit.

 „ Vox

„ Vox μεγαλωσύνη" inquit „ ter in N. T. obvia (Epiſt. ad Hebr. I, 3. VIII, 1. Epiſt. Judae vs. 25) ſaepe uſurpatur ab interpretibus V. T. Alexandrinis. Verbalis vox eſt, oriturque a *ſecunda* Praeteriti perfecti Paſſ. μεμεγάλωσαι, quod a verbo μεγαλόω. Eſt autem horum nominum ea proprie ratio, ut *rem* aliquam *effectam* notent. Probe igitur diſtinguenda ſunt, a nominibus, in σύνη deſinentibus, quae, a nominibus Adjectivis in ος orta, hanc illamve *virtutem* deſignant: quale eſt δικαιοσύνη *juſtitia*, a δίκαιος, σωφροσύνη *temperantia*, ab obſol. σῶφρος, cujus loco uſitatum eſt σώφρων, & ſimilia. Contra nomina memorata in ωσύνη *rem effectam* ſignificare, docent & alia exempla. Sic verbum eſt ἱερόω, *ſacrum facio. conſecro.* Hujus *ſecunda* Praeteriti perfecti Paſſ. ἱέρωσαι, nomen peperit ἱερωσύνη, i. e. *res ſacra facta*, *ſacrificium.* Similiter μεγαλωσύνη pp. *res* eſt *majeſtate praedita:* atque adeo in Epiſt. ad Hebr. I, 3. ubi CHRISTUS dicitur conſediſſe ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης, *Genitivum* iſtum *Adjective* accipiendum eſſe exiſtimem, ut ſignificetur CHRISTUM *conſediſſe ad dextram*, REM SUMMA MAJESTATE PRAEDITAM. Eodem ſenſu hujus Epiſtolae Cap. VIII, 1. auctoris verba ſunt accipienda." Hactenus *Lennepius.* Prioris generis ſunt inter alia εὐθημοσύνη, & κακοθημοσύνη, apud *Heſiodum* Ἔργ. vs. 471. 472. ad quem locum legendus eſt *Graevius.* De poſteriori obſervetur, apud Alexandrinos V. T. interpretes ſaepius eſſe

vocem

vocem μεγαλασύνη, ubi in Hebraico eſt גְדֻלָּה, contracta vox ex גְדוּלָּה (ſecundum Grammat. Schroederianae R. XCIII, p. 156, not. XIII.) adeoque & ipſa tam *formae*, quam *ſignificationis Paſſivae*. Quo pacto Graec. μεγαλωσύνη, & Hebr. גְדֻלָּה ſibi invicem aptiſſime reſpondebunt. Vide Pſ. LXX, 23. CXLIV, 3. 6. 2 Reg. VII, 23. 1 Chron. XVII, 19. XXIX, 11.

Ad Analog. cap. X, p. 151.

De Nominibus a Futuro ortis.

Cenſet hoc loco *Lennepius*, aeque a *Futuro*, atque a *ſecunda Praeteriti perfecti Paſſivi* perſona, repeti poſſe ea nomina, quae characteriſticam σ, ante terminationem, habent. Idem vir clarisſimus, hac de re, paullo aliter ſtatuerat, ſuperius, (p. 145.) „ad *ſecundam Praeteriti perfecti Paſſivi* ea cum plerisque Grammaticis referre ſe malle," profesſus.

Quodſi attentius paullo hîc diſpicias, mirum admodum videri queat, quum tanta nominum copia a *Praeſenti* tempore *Indicativi Activi* ducta ſit, plurimaque etiam alia deſcenderint a *Praeterito perfecto Activo*, a *Futuro* ejusdem *tempore*, aut nulla, aut pauciſſima tantum, fuiſſe prognata nomina. Mirari nonnihil forte deſines, ſi verum ſit, quod ſupra probari conati

 fui-

fuimus (p. 323. ſſ.) *Praeſens* & *Futurum*, in primis linguae Graecae originibus, *eadem tempora* fuiſſe, adſpiratione deinceps diſtincta; ex qua vero adſpiratione enatae poſtea ſint literae *Futuri* characteriſticae, in Graecis quidem σ, in Latinis vero plerumque B. Hoc enim ſemel conceſſo, quaecumque nomina a *Praeſenti* tempore oriri viſa fuerint, eadem ad *Futurum* etiam pertinere poterunt dici; ſiquidem, antiquiſſimis linguae aetatibus, nullum veri nominis diſcrimen fuerit, *Praeſens* inter & *Futurum*. Sin vero hic forte inſtes, „ *futuri* tamen temporis *certam characteriſticam*, in plerisque, deinceps factam fuiſſe σ, ante terminationem verbi, inſertam; ſive σ illud ibidem clare etiamnum appareat, ſive lateat in duplicibus literis ξ & ψ; ſive denique extritum ſit, ut in benemultis conſtat eſſe ejectum:" haud equidem diffitebor, σ illud, in multis quoque vocabulis, tanquam veram *characteriſticam Futuri*, ſpectari poſſe, atque adeo debere. Exempla quaedam jam dedit *Etymologus*, c. 287: 40. Δρῆσος, ὄνομα κύριον· παρὰ τὸν δράσω μέλλοντα Δρᾶσος, καὶ Δρῆσος, τροπῇ· ὡς κτήσω, Κτῆσος, καὶ ῥήσω, Ῥῆσος, καὶ εἴσω, Ἶσος, κύριον. Hoc eſt „ Δρῆσος DRESUS *nomen eſt proprium, derivatum a Futuro verbi* δράω. *Unde* Δρᾶσος, &, *mox permutata vocali*, Δρῆσος, *uti a* κτήσω, Κτῆσος, *a* ῥήσω, Ῥῆσος, *ab* εἴσω, Ἶσος, *nomina propria.*" Quibus plurima alia, tam *propria*,

pria, quam *adpellativa*, ejusdem formae adjungi poſſent.

Neque multum diverſa res eſt apud Latinos:– etſi nomina, a *Futuris* ducta, ad *Supina* vulgo referre ſoleamus. Ponamus, verbi gratia, vocem CURSOR, CURSORIS. Ecquis dubitaverit, quin, uti *amator* eſt ab *amatum*, *lector* a *lectum*, *auditor* ab *auditum*, pari proportione, *curſor* ſit factum a *curſum*, Supino verbi *curro cucurri?* Vel ſic tamen, modo verum ſit (quod putaverim eſſe veriſſimum) SUPINA haec omnia facta fuiſſe a *Futuris* vetuſtis, *amaſo*, *legſo*, *audiſo*, *curſo*, literis *s* & *t* pro more permutatis, ipſa illa nomina *amator*, *lector*, *auditor*, uti *curſor*, & ſexcenta ſimilia, a *Futuris* potius, quam a *Supinis*, repetenda ſunt. Patientia lectorum meorum hic abuti nolo. Unum dixiſſe liceat, ſolere Hebraeos nomina *actorum*, *qui indeſinenter*, vel *ſine intermiſſione*, aliquid *faciant*, a *Futuris* ſuis repetere, uti, exempli cauſa, יְמָרֵה *obſtrigillator* a יְמָרֶה, tertia *Futuri* verbi מָרָה, *obſtrigillavit*; יַעֲנֶה *reſponſor*, יַעֲלֶה *adſcenſor* &c. a יַעֲנֶה & יַעֲלֶה, tertiis perſonis *Futuri* verborum עָנָה *reſpondit*, עָלָה *adſcendit*. Quidni & Latini, qui a *curro*, ſive *curo* (veteres enim literas non geminabant) fecerunt Futurum ſuum antiquum *curſo*, (ut *facſo*, ſive *faxo*, & *parſo*, a *faco*, ac *paro*, &c. de quibus ſupra p. 327—330.) unde de-

denuo verbum factum eſt *curſo*, *curſavi*, *curſatum*, quidni, inquam, & ipſi Latini, ab eodem hoc *Futuro* CURSO, feciſſe putandi ſunt vocem CURSOR *curſoris*, adhibuerintque de eo qui *indeſinenter currat*; unde ſervus a pedibus, *Martiali* in primis, *curſor* dictus? Hoc ſi mihi dederis, a vero non abhorrere, idem ego facile tibi perſuaſerim, ab *amao* (unde per contractionem *amo*, uti ἀμάω a Graecis contractum eſt in ἀμῶ) factum primitus fuiſſe *amaſo*, hinc porro *amaſus*, &, literis *ſ* ac *t* permutatis, *amatus*: inde vero in Gen. *amatûs*, & Supinum *amatum*; ab eodem tandem *amaſo*, (Futuro) primum formatum fuiſſe *amaſor*, atque ita in reliquis: quae ſingulatim perſequi jam non vacat.

Sed ulterius, quaeſo, pergamus. Dico igitur, nomina illa omnia in της, τηρ, τος cet. (quae a *tertia Sing. Praeteriti perf. Paſſ.* derivare Grammatici ſolent, ipſeque *Lennepius* noſter inde derivavit, Analogiae p. 151.) a *Futuris* potius, quam a *Praeteritis Paſſivis*, videri repetenda? Si negare ſuſtineas, mi lector, cogita, quaeſo, quid tu aſſirmes. Ullone tibi pacto veriſimilis videbitur etymologia, qua πατὴρ (ut eodem hoc utar exemplo, quod *Lennepius* hic loci dedit) ſit dictus a πέπαται *paſtus fuit*, tertia Singulari Praeteriti perf. Paſſ. verbi πάω *paſco*; quaſi vero *pater* non *paſcat* ipſe familiam, ſed *paſcatur*? Nonne longe tibi veriſimilius accidet, ſi & ipſum hoc πατὴρ duxerimus, a *Futuro* Activo,

verbi

verbi πάω *paſco*, ut inde repetamus Futurum πάσω, dein nomina πάστος, παστὴρ, &, literis σ ac τ, (ut ſexcenties alibi) permutatis, πατήρ? Quo pacto πατὴρ jam non erit *qui paſcitur*, ſed qui *indeſinenter* ipſe *paſcit*, *alitque* liberos. Speciminis loco paucula haec ſufficiant, ab iis, quibus major eruditionis ingeniique copia eſt, uberius illuſtranda, & demonſtranda.

Ad Analog. cap. X, p. 154.

Utrum nomina omnia deſinentia in μα, μος, μη, μων *cet. vere orta ſint a prima Praeteriti perf. Paſſ., an vero aliunde potius repetenda?*

Veriſſime hodie Grammatici Graeci, uno propemodum omnes ore, adfirmare cenſentur, „ nomina in μα, μος, μη cet. orta eſſe a *prima* perſona *Praeteriti perfecti* Indicativi *Paſſivi*, uti illa in σις, ξις, ψις, a *ſecunda*; denique terminata in τη, τος, τυς &c. a *tertia* ejusdem temporis *perſona*:" fatemurque & nos, eadem in opinione, diutiſſime fuiſſe, adeoque in *Rudimentis Struchtmeyerianis*, p. 64—66. idem pluribus docuiſſe. Sed, quemadmodum ipſe *Lennepius* (Analog. p. 146. extrema) dubitare jam auſus fuerat, eane, quae vulgo a *ſecunda* perſona *Praeteriti perf. Paſſivi*, derivarentur, inde omnino ducenda eſſent (qua de re vide & nos p. 477.) ita, quod *Lennepio* de *ſecunda* perſona dubium eſſe

eſſe viſum fuit, de *prima* item, & *tertia*, haud immerito videtur eſſe ambigendum.

Quae hic ſcrupulum injiciant, duo potiſſimum ſunt. *Principio* mirum unicuivis, literarum non rudi, accidere debet, *nomina* ejusmodi, in quibus nulla omnino *praeteriti temporis* notio ſit, a *Praeterito* derivari: quum nihil in iis eſſe videatur, quod, ad *Praeteritum* tempus, ea potius referri jubeat, quam ad *Praeſens* aut ad *Futurum*. Talia, ni fallor, ſunt a viris doctis huc, per lancem ſaturam, congeſta. Ecquis, ut his utar, nomina ἐλεήμων *miſericors*, ἡγεμὼν *dux*, γνώμων *index*, ab ἠλέημαι, ἥγημαι, & ἔγνωσμαι (*primis perſonis Praeteriti perfecti* Paſſivi, verborum ἐλεέω *miſereor*, ἡγέομαι *duco*, γνόω *nosco*) revera ducta fuiſſe ſibi perſuadebit, qui cogitet, longe potius *praeſentis temporis* notionem, quam *perfecti praeteriti*, his nominibus ſubeſſe? idem in compluribus aliis formis, a *Praeterito* hoc *perfecto* vulgo duci ſolitis, obſervare licet: ut a *Praeſenti* rectius, quam a *Praeterito*, repeti poſſe videantur. Accedit, quod vix credibile ſit, a *Praeterito Paſſivo* tot nominum formas prognatas fuiſſe, a *Praeſenti* vero ejusdem verbi *tempore*, omnino nulla nomina deſcendiſſe: quod ipſum tanto magis demirabitur, qui recordatus fuerit, aeque a *Praeſenti* verbi *Activi*, quam ab ejusdem *Praeterito* & *Futuro*, multas nominum formas derivari. Quapropter diutius acquieſcendum haud exiſtimem vulgaribus iſtis, de *for-*

mations

matione tot nominum, ab *uno Praeterito perf Paſſ.*, Grammaticorum praeceptis; aliamque potius inſiſtendam eſſe viam opinor, quae analoga magis ſit *formationi* nominum, a *tribus* praecipuis verbi *Activi temporibus*, nimirum *Praeſenti*, *Praeterito*, & *Futuro*, factae.

Erit autem fortaſſe via illa, haud incommoda, per obſervationes ſequentes.

I. A *Praeſenti Indicativi*, (ſive *Paſſivi* verbi in μαι, ſive *Activi* in μι, qualis quidem terminatio in MI verbis *Activis*, promiſcue omnibus, olim propria videtur fuiſſe) deſcendere potuerunt nomina 1. in μων, ut γνώμων *index*, pp. *qui cognoſcitur* a γνῶμαι, ſive potius a γνῶμι, quod idem eſſe ac γνόω, *cognoſco* p. 287. jam indicatum; ἡγεμὼν *dux*, (quod nomen etiam ἡγήμων fuiſſe, apparet ex *Etymologo*, col. 418: 43.) ab ἥγημαι, forma cognata alteri iſti ἡγεόμαι 2. in μη, ut τιμὴ *honor*, pp. *qui penditur*, ab obſoleto verbo τῖμαι, quod idem fuit ac τίομαι, μνήμη *memoria* a μνῆμαι, vicina verbi forma alteri μνάω: niſi forte verior ſit *Etymologi* derivatio, c. 589: 16. παρὰ τὸ μένω, μενήμη, καὶ συγκοπῇ, μνήμη. Et fortaſſe alia quaedam, ſtudioſius colligenda.

II. A *Praeterito perfecto Paſſ.* repeti poſſunt 1. longe plurima in μα, notionem *praeteriti temporis* includentia; ut σπέρμα, *ſemen*, pp. *ſeminatum*, vel *ſparſum*, πρᾶγμα *opus* pp. *peractum*, εἷμα *veſtis*, pp. *indutum*, φάσμα *ſpectrum*, pp. *viſum*, 2. in μος, ut μολυσμὸς *contaminatio*, pp. *contaminatum*, quod &

μόλυ

μόλυσμα dicitur, ψαλμὸς *pſalmus*, pp. *pulſatus* &c. 3. Alia permulta in μα, ut χάσμα *biatus*, pp. *biatu diductum*, γραμμὴ *linea*, pp. *inciſum*, *inſculptum*, ςιγμὴ *nota*, *punctum*.

Ab eodem *praeterito Paſſivo* deſcendiſſe videntur & alia multa, a Grammaticis & *Lennepio* noſtro, commemorata: qualia hic repetere nihil attinet. De nominibus tamen in τηρ & της, addubitare me ſupra jam profeſſus fui. Quo magis in illa inquiro, tanto major mihi ſurgit veri ſpecies, eſſe ea, ſi non omnia, at pleraque ſaltem, a *Futuris Activis* orta: hac nimirum lege, ut literam σ, *Futuri characteriſticam*, converſam habeant in τ. Converſio illa literae σ, in τ, non tantum *Atticis* perpetua fuit, pro πράσσειν, dicentibus πράττω &c. ſed & ipſis Germanis adeo frequens, ut vir ſummus, *J. M. Geſnerus*, ad *Quinctiliani* Inſtit. Orat. L. I, 11. p. 59. „ *inferiorem Germaniam ea, quaſi, nota diſcerni* teſtetur, *quod ſ in t mutet.*"

III. A *Futuro* item *Paſſivi* multa nomina Graeca formata fuiſſe, ut credamus, analogia *Futuri* Activi magnopere ſuadet. Sed fefellit hic Grammaticos falſa *Futuri Paſſivi* forma, quippe quae in verbo τύπτω non fuit τυφθήσομαι, ſed τύψομαι, uti a τίω, τίσομαι, non τιθήσομαι: quemadmodum demonſtravit cel. *Lennep.* p. 84. ad quem locum & nos quaedam monuimus p. 401. 402. Hoc ipſum ſi obſervasſent doctiſſimi Grammatici, non eo delapſuros fuiſſe putem, ut tot

diver-

diverſiſſimae ſignificationis nominum origines referrent ad *Praeteritum perf. Paſſ.* iidemque ne unicum quidem deſcendiſſe ſtatuerent a *Futuro Indicativi Paſſivi.*

Sit igitur, ut ſupra diximus, veri nominis *Futurum* Indicativi *Paſſivi*, τύψομαι, ποιήσομαι, τίσομαι, & facillime ſimul apparebit, a *Futuro* hoc *Paſſivo*, Graecos vetuſtiſſimos, non aliter atque a *Futuro Activo*, nomina ſua deduxiſſe. Talia certe videntur eſſe. 1. Nomina in σις· quae characteriſticam *Futuri* σ, cum *ſignificatione Paſſiva*, repraeſentant; ſive σ illud nude appareat, ſive latitet in duplicibus literis ξ, & ψ. Huc refero voces ποίησις *poëſis*, pp. *quae fiat* vel *compingatur*, a ποιήσομαι, η, εται· τίσις *punitio*, pp. *quae rependitur*, vel *rependi ſolet*, i. e. *poena* a τίσομαι· λέξις, *dictio*, vel *oratio*, *vocabulum*, pp. quod *dici* vel *proferri ſoleat*, a λέξομαι, η, εται· τάξις, *acies*, pp. quae *inſtrui ſoleat*, a τάξομαι, η, εται. Porro μέμψις *querimonia*, a μέμψομαι, λεῖψις *penuria*, a λείψομαι &c. 2. Nomina in τος, quae, una cum ſignificatione *Paſſiva*, literam τ habeat pro σ, prouti has literas frequentiſſime permutari, jam ſupra docuimus. Sic ὁρατὸς *viſibilis* (Hebr. מַרְאֶה), pro ὁρασὸς, a Futuro ὁράσομαι, *videbor*, ἀγαπητὸς *dilectus*, pro ἀγαπησὸς ab ἀγαπήσομαι *diligar* &c. Quibus complura addi poterunt, ſedulo a ſtudioſis colligenda.

AD ANALOG. CAP. XI, p. 156.

De nominibus adjectivis, terminatis in γϱος, δρος, *&c. ex Genitivis nominum Subſtantivorum oriundis.*

Rectiſſime, noſtra quidem opinione, cel. *Lennepius*, „ nomina, in quibus litera ϱ, ante terminationem ος, ſimilemve, conſpiciatur, formata eſſe" ſtatuit „ *contractione*; eaque adeo orta fuiſſe a *derivatis verbalibus*: ut ὑγρὸς *madidus*, ab ὑγερὸς, quod ab inuſitato ὑγὸς &c." Cui obſervationi fortaſſe duae inſuper adjungi poſſint aliae. Una eſt, quod hoc ipſum ὑγϱὸς non adeo videatur factum eſſe, ab ὑγὸς, quam potius ab alia obſoleta forma ὑγὸρ, quae terminalem literam habuerit ρ, cum ς permutari ſolitam, qua ratione in Latinis permutantur *bonos* & *honor*, *arbos* & *arbor*, *labos* & *labor*, &c. Altera obſervatio eſto, terminationem illam, in ος, pp. videri eſſe terminationem antiquam *Genitivi* ſingularis; qualis cernitur in declinatione *tertia*. Quae quidem ſi vera ſint, eo pacto nomina adjectiva ὑγρὸς, ὑδρὸς &c. pp. erunt Genitivi veteres, contracti quippe ex ὑγορὸς, ὑδορὸς, notabuntque proprie idem, quod *aquae* vel *humoris plenus*, Belgice *van vocht*, of *van water voorzien*. Cum priore obſervatione conferantur, quae dabit, *Lennepius* infr. p. 159. ex quibus ſimul apparebit, ſi minus ab ὑγὸϱ & ὑδὸϱ, in *Genitivis*,

Genitivis, ὑγερὸς, ὑδορὸς, per contractionem, ſacta ſint ὑγρὸς & ὑδρὸς· at certe a *Nominat.* ὑγὲρ & ὕδορ (recentiori ſcriptura ὑγὴρ & ὑδὴρ) fieri potuiſſe ὑγερὸς & ὑδερὸς, quemadmodum ab ὑπὲρ antiquo factum ſit ὑπερὸς, ab ἄτερ, ἄτερος, cet. Vide mox dicenda ad eandem hanc Anal. pag. 156. & confer. ipſe *Lennep.* p. 157.

Ad Analog. cap. XI, p. 156.

Adjectiva in ρος, *pro* ερος, *orta eſſe a Genitivis Subſtantivorum in* ηρ, *ſive* ερ.

Ab ἄκος (Latinorum ACUS) voce ducta e Stirpe ἄκω, productiorem formam ἄκερος repetit cel. *Lennepius*; pro quo ἄκερος, per contractionem, factum eſſe docet, ἄκρος: qua lege ab ἄβος fuiſſe formata, ait, ἄβος, ἄβερος, ἄβρος. Hanc contractionem etſi equidem minime nego, commodiorem tamen viam putaverim eſſe, qua, ab ἄκω, deveniatur ab ἄκρος. Nimirum, ὑπερὸς factum eſſe ſupra docuit *Lennepius* ab ὑπὲρ, ἄτερος ab ἄτερ. Haud aliter ab obſoleto ἄκερ, ſive ἄκηρ, proxime repetendum mihi videtur ἄκερος, quod contractum ſit deinceps in ἄκρος. Ipſam vocem illam primigeniam ἄκερ, (apud Graecos licet minime hodie obviam) ſervavit nobis lingua Latina, in ſuo ACER, quod quidem nomen ſi Subſtantive accipiatur, pro *arbore*, in Genitivo caſu habet ACERIS: at cum

Adjectivi vim habet, *Genitivus* ejusdem contracte effertur ACRIS. Jam vero, ad normam Declinationis *tertiae* Graecorum, hoc ipſum ἄκηρ ſive ἄκερ, habuiſſe oportet ἄκερος: quod quin deinde contractum fuerit in ἄκρος, de eo tam parum hodie dubitari poteſt, quam certum eſt, Latinos in Genitivo ſuo dixiſſe ACRIS, pro *aceris*, uti PATER, *patris*, eſt pro *pateris*, MATER, *matris*, pro *materis*, Graece πατὴρ, πατρὸς, μητὴρ, μητρὸς, pro πατερὸς & μητερός. Simillimae contractionis aliud exemplum eſt in ὑπὲρ, ὑπερὸ, quod etiam pronunciatum fuiſſe ὑπερᾶ, argumento eſt Latinum *ſupra*, quippe haud dubie contractum ex SUPERA, Gr. ὕπερα.

Porro ab illo *Genitivo* ἄκρος, pro ἄκερος, videtur deſcendiſſe Adjectivum ἄκρος, ἄκρα, ἄκρον· eadem via, qua a *Genitivo* ὕπερος, (quem a *Nominativo* ὑπὲρ, jure repetebat *Lennepius* Anal. p. 159.) ortum eſt Adjectivum obſoletum ὕπερος, Lat. SUPERUS: unde abſolute *ſupra* pro *ſupera*. Fuiſſe enim olim ὕπερος, η, ον, vere Adjectivum Graecum, manifeſto docent, deſumta inde, & per ellipſin poſita, nomina Subſtantiva ὕπερος, ὑπέρα, & ὕπερον. Simillima denique ſimilium ratio eſt.

Maneat igitur certum, Adjectiva in ρος, pro ερος, proprie deſcendiſſe, a caſibus *Genitivis* Subſtantivorum, in ερος, quorum *Nominativi* deſierunt olim in ερ vel ηρ.

AD

AD ANALOG. CAP. XI, p. 157.

Nomina, in τρα *&* τρον, *contractam habere terminationem ex* τερα *&* τερον, *& proprie eſſe nomina Adjectiva, Subſtantive poſita.*

„ Nomina, in τρα, & τρον, deſinentia, *Subſtantive* poſita, generatim, ſignificare *inſtrumentum aliquod*, ſive *id omne*, *quo intercedente tanquam cauſſa, hoc illudve, efficiatur*," docuit, poſt alios, cel. *Lennepius*. Conſulatur hic, inſtar omnium, *Valcken.* ad Eurip. Phoen. p. 18. unde ſatis intelligi poterit, nomina ejusmodi proprie eſſe *adjectiva*, adeoque rectiſſime *Lennepium* dixiſſe, *Subſtantive* poni: nimirum, per ellipſin vocis alicujus *Subſtantivae*, quae ſit ſubaudienda. Ceterum ratio hujusmodi nominum in τρα & τρον, ea eſſe videtur, ut pp. ſint contractae terminationes, ex τερα & τερον, ortaeque a primigeniis in τηρ, ſive τερ, ſecundum ea quae *Lennepius* habet Anal. p 159. Sed illuſtremus haec uno alterove exemplo. Ab ἰάω *ſano* eſt ἰατὴρ *medicus.* Hujus *Genitivus* eſt ἰατῆρος· olim ἰατέρος· quod, contractum in ἰατρὸς, dedit ex ſeſe nomen Adjectivum ἰατρὸς, ὰ, ὸν· unde etiam ἰατρὸς, *medicus*, ſc. *vir*, tanquam Subſtantiva vox adhibita fuit, cum indole ſua eſſet *Adjectiva.* Porro ab eodem Adjectivo ἰατρὸς, pp. *medicus, a, um*, (eo ſenſu, quo *medicas manus*, *medicum digitum* dixerunt Latini)

ducta eſt forma neutra ἰατρὸν, quod accentu ad primam ſyllabam retracto, pronuntiatum fuit ἴατρον, ut notaret *medicum*, ſcil. *praemium*, ſive *mercedem medici*, quae alioquin (ſimili voce Adjectiva, ſed Subſtantive poſita) ἰατρεῖον dicitur. Altera vox, a cel. *Lennepio* p. 158. propoſita, διδακτρὸν, ac *praemium inſtitutionis* notans, pariter, ex indole ſua, pp. videtur eſſe *Adjectiva*. Nimirum a διδάσκω, ſive potius ſimpliciori forma διδάκω, (quae a διδάω, ἐδίδακα) primo factum fuit διδακτὴρ, nomen Subſtantivum, cujus Dativus, διδακτῆρι, reliquit ex ſe formam productiorem διδακτήριον. A διδακτὴρ, igitur, (quae vox pp. *doctorem*, vel *inſtitutorem* notaverit) Genitivus fluxit διδακτῆρος, vel διδακτέρος· hoc autem contractum eſt in διδακτρὸς· unde denuo Adjectivum διδακτρὸ, ή, όν, pp. *ad doctorem pertinens*, vel *doctori debitus*, &c, in neutra forma, eaque *Subſtantive* accepta, διδακτρὸν, ſive potius (cum accentu & hic retracto) δίδακτρον *doctori debitum praemium*, *minerval*. Adde λυτρὸν, pro λυτερὸν, LAVACRUM a λυτὴρ &c.

AD ANALOG. CAP. XI, p. 158.

Φέρτερος non videri eſſe a nomine verbali φέρτος, ſed contractum potius ex φερότερος, quae forma comparativa a φέρος FERUS.

Statuit vir ſummus, Anal. p. 158. φέρτερος produ-

productiorem vocem eſſe a ſimpliciori φέρτος, quod a φέρω. Equidem, etſi minime nego, a verbo φέρω, Latinis FERO, factum fuiſſe φέρτος, pro φέρετος, (eadem contractione, qua, obſervante *H. Stephano*, Il. ι, 171. φέρτε FERTE legitur pro φέρετε FERETE;) unde & in *Euripidis* Hecuba, vs. 158. δουλείας οὐ φερτᾶς *ſervitutis non* FERENDAE; putaverim tamen, longe commodius Gr. φέρτερος & φέρτατος, tanquam formas comparativas, & ſuperlativas, repeti poſſe, ab obſoleto Poſitivo φέρος, quod ipſum φέρος Latini ſervarunt, in ſuo FERUS. Notat Lat. FERUS, φέρος, ex indole ſua pp. *eum qui cum impetu quodam feratur:* unde pro *indomito*, *ſaevo*, ponitur; &, producta priori ſyllaba, foeminaque forma abſolute poſita, FERAM Latini dixerunt, de animali indomito. Ab hoc autem φέρος, *ferus*, in Comparativo eſſet φερότερος, in Superlativo, φερότατος, eadem ratione, qua a μικρὸς *parvus*, μικρότερος, μικρότατος· a φανὸς *lucidus* φανότερος, φανότατος: ſed contracte dixerunt φέρτερος, φέρτατος. Ceterum in his notio illa *feritatis*, ſive potius *vehementioris impetus*, primum ad *virtutem indomitam* applicita videtur fuiſſe, & deinceps generatim adhibita, pro omni, quod eſſet κρεῖττον & κράτιστον. Conferri velim huc loca poëtae, Iliad. A, 186. B, 201. Δ, 56. Z, 158. H, 105. Π, 780. Φ, 488. X, 40; & in primis, Il. Γ, 431. & Od. M, 246. οἳ χερσίν τε βίηφί τε φέρτατοι ἦσαν, ubi alii Codd. φέρτατοι. Porro

Il. Α, 581. & alibi, ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἐστιν. Β, 769. Θ, 144. 211. &c.

AD ANALOG. CAP. XI, p. 160.

An literae σ & ν, in fine vocabulorum, poſſint permutari?

Vir clariſſimus, Anal. p. 160. *frequentem* dicit eſſe, *in fine vocum, literarum σ & ν permutationem:* idque illuſtrat exemplo vocis πυκινὸς *denſus*, quae a πύκος deſcenderit, & alterius vocis σέληνος *ſplendidus*, quae ſit a σέλος, vel σέλα, *ſplendor.* Mihi quidem longe potior videtur ratio, ut ejuſmodi nomina in ινος vel ηνος terminata, repetantur, a *Dativis* Singularibus. Qua lege πυκινὸς proxime fuerit derivandum a πύκι ſive πυκι: uti πύρινος *igneus* manifeſto eſt a πυρὶ, Dativo vocis πῦρ *ignis.* Porro σέληνος *ſplendidus*, a Dativo σέλῃ, cujus Nominativus σέλη, pro quo, in uſu linguae, ἕλη *ſplendor* dicitur, quamvis ſpiritus aſper in σ potuerit mutari. Pro σεληνος, etiam ἕληνος dictum fuiſſe, argumento eſt nomen proprium mulieris famoſiſſimae Ἑλένη, *Helena*, inde deſumtum, in quo ſimul ſcriptio antiquiſſima, per ε, eſt ſervata. Videntur autem literae σ, & ν, nimium a ſe diſtitiſſe, quam ut invicem permutari facile potuerint. Exempla, a *Voſſio* & *Maittairio* in medium allata, mutationem hanc, me judice,

ce, minime demonſtrant, uti v. gr. quod *Voſſius* habet, πρὶν & PRIUS. Πρὶν enim manifeſto pp. eſt Accuſ. Singularis, a Nominativo πρὶς, contracte pro παρὶς· PRIUS vero eſt Adjectivum, Comparativi gradus, neutr. gen. ductum a πρὶ, Dativo, vel Ablativo veteri, ejusdem vocis πρὶς: unde & PRIDIE, compoſitum. Vide Stirpes p. 732. &c. Ceterum, quod hic loci diximus de Nominibus in ινος, & ηνος, derivandis a *Dativis* in ι & ῃ, idem quoque valebit, in bene multis aliis, qualia ſunt in αιος, ειος, ιος &c. a *Lennepio* infra, p. 161. producta. Itaque ἀκμαῖος, ſi accurate velis loqui, non eſt ab ἀκμὴ, ſed ab ἀκμαὶ, Dativo antiquo; ὑγιεινὸς, *ſalutaris*, ab ὑγιεῖ, Dativo vocis ὑγιὴς· ὅμοιος vel ὁμοῖος *ſimilis* non ab ὁμὸς, ſed ab ὁμοὶ, Dativo, formae veteris, ut οἴκοι &c. Neque aliter ſe res habet, in ſequentibus exemplis, a cel. *Lennepio* commemoratis, σωτήριος, a σωτῆρι, θυσιαστήριος, a θυσιαστῆρι, *Dativis* caſibus, non vero a *Nominativis* σωτὴρ & θυσιαστὴρ. Porro φιλημάτιον *baſiolum* a φιλήματι, &c.

Ad Analog. cap. XI, p. 162.

Nomina in όεις *&* ους *contracta, omnia eſſe adjectiva.*

Elegantem cel. *Lennepii*, de nominibus in όεις, obſervationem, amplificare licebit iis, quae ὁ

πάνυ *Valcken.* adnotavit ad *Theocr.* Eidyll. I, 58. p. 81. ubi, contra *Toupium*, virum ſummum, monuit, „ τυρόεντα non eſſe *caſeum*, ſed *placentam ex caſeo & lacte, mixtis confectam.*" Conſ. porro clar. *F. L. Abreſch*, ad Cattierii Gazophylacium, p. 43.

AD ANALOG. CAP. XI, p. 163.

Nomina multa, in ῶν *cadentia, quae* COLLECTIVA *ſint, pp. facta videri ex Genitivis Plural. nominum ſimpliciorum.*

Saepe monuerunt Grammatici, &, hos ſecutus, *Lennepius*, nomina multa in ῶν cadentia pp. eſſe *collectiva:* ut ἐλαιὼν *olivetum*, δενδρὼν *roſetum*, ῥοδὼν *roſetum* cet. Addamus obſervatiunculam (occaſione vocis Ἀγκὼν Stirpibus alioquin jam a nobis inſertam, p. 34.) „ orta videri haec nomina in ὼν, a *Genitivis* Pluralis numeri nominum ſimpliciorum, ut δενδρῶν pp. ſit *arborum* ſc. *copia*, ſive *locus.*" Sic certe exempla, a cel. *F. L. Abreſchio* praebita, ad Cattier. p. 54. ἀνδρὼν, ῶνος, pp. *virorum*, ſc. *conclave*, γυναικὼν, ῶνος, *mulierum*, ſc. *conclave.* Obſervavit *Abreſchius*, iſta quoque olim deſiiſſe in εων, ut ἱστεὼν *textrinum.* Cui tamen viro eruditiſſimo vix adſentior, eſſe ἱστεὼν pro ἱστών. Contra ἱστὼν, meo quidem judicio, eſt contracta vox ex ἱστεὼν, pp. *Genitivo Plurali Jonico*, id eſt, *ſimpli-*

ſimplicioris formae ; cujus exempla dabit *Maittaire* p. 108. Sit igitur ἱςὸς *tela.* Hujus *Pluralis Genitivus*, Ionice, eſt ἱςέων, & contracta forma ἱςῶν. Inde orta nova vox ἱςεών. Paria ſunt κεγχρεών &c. Vide *Abreſch.* l. l. qui ſimul admonuit, „ ex hac forma in ὼν aliam produci in ια ; ſignificationis ejusdem." Nimirum, ſi quid video, oriuntur *ſecundaria* haec a *Dativo* priorum iſtorum nominum in ι ut a ῥοδὼν, ῶνος, ῶνι, fiat ῥοδωνιά, ab ἰῶνι, ἰωνία &c.

Ad Analog. cap. XII, p. 174.

De verbis a ſono formatis.

„ Sunt autem praeterea verba, a sono formata, quam plurima." Ita veriſſime h. l. cel. *Lennepius*, de quibus conſuli poſſunt, quae (ſupra p. 256. 257.) ex Latinorum copiis, verbo commemoravimus. In primis vero hic legi debet *Valkenaerii* Diatribe in Chryſippi, Dramatis Euripidei, fragmenta, p. 20. ubi complura producta ſunt verba, a ſono formata, εἰάζειν *eja dicere*, ab εἶα· εὐάζειν *euan clamare*, ab εὖα· αἰάζειν *lugere*, a voce αἴ, αἰ· ἄζειν *gemere*, a ſono ἄ· φεύζειν, a φεῦ· ab οἴ, lamentantis, οἴζειν, ut ab οἴμοι, οἰμοῖζειν, οἰμώζειν· ab ὤ, admirantis, ὤζειν &c. Conf. ejusdem viri ſummi Adnot. in Adoniaz. Theocr. p. 403. Inter facta a *ſono* verba, *Lennepius*, p. 175. refert etiam verbum λάω,

(unde λάλω & λαλέω *loquor*,) quod quidem promitivum λάω, ab alio verbo λάω, *capio*, ſollicite ſit diſtinguendum. Simillima ratio eſt verbi πτύω SPUO, quod dubitari vix poteſt, quin ſit a ſono πτὺ efformatum, eoque nomine, ab altero πτύω, pro πετύω, unde πτύσσω *plico*, probe ſecernendum. Vide, ſi tanti eſt, quae de hujusmodi duplicis ſignificationis verbis, alibi disputavimus, in Schediasmatibus Philolog. ad Vet. Teſt. p. 10. 11. quin potius ipſum *Lennep.* Anal. p. 183.

AD ANALOG. CAP. XIII, p. 177.

De verbis derivatis proximis, quae, vocalem inſerendo ante terminationem verbi ſimplicioris, ſint formata.

Difficillima hic oritur quaeſtio, qua via, nempe, a verbis ſimpliciſſimis, in ω, vel μι, terminatis, uti ἄω, ἕω, ἴω, ὄω, ὕω, aut ἄμι, ἕμι, &c. itemque ab aliis ἕλω, ἄκω &c. fuerint derivata verba productiora, ἀέω, αἴω, ἐλάω, ἐλέω, cet. a cel. *Lenn.*, p. 177. memorata, factane ſit haec derivatio, ſimpliciter, inſerendo aliquam *vocalem* ante terminationem verbi *Praeſentis* in ω, vel μι, ut ab ἄω ſit formatum ἀέω· ab ὄω, οἴω· ab ἕμι, porro ἵεμι· ab ἕλω, ἐλάω· ab ἄκω, ἀκέω, atque ita deinceps; an vero alia quadam ratio-

ratione hic proceſſus, a ſimpliciſſimis verbis ad productiora, ſit concipiendus?

Equidem fateor, ſubtilem nimis mihi ſaepe viſam fuiſſe iſtam, quam diximus, derivandi rationem, quaſi vero antiquiſſimi Graeci normam hanc de communi conſilio, in ſermonis ſui amplificatione, ſibi legiſſent, ut ab ἄκω, inſerta aliqua vocali, de *quinque* vocalibus, efformarent ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω ab ἔλω, ἐλάω, ἐλέω, ἐλίω, ἐλόω, ἐλύω. Rudibus mortalibus, (ſi vel maxime linguas humanum opus eſſe exiſtimes, quod nunquam ego crediderim) antequam lingua jam conſtituta eſſet, eam tribuere ἀκρίβειαν, quae vix a Philoſophis, novam forte linguam condituris, exſpectari poſſit, id vero nimium mihi videtur eſſe, in hoc antiquitatis ſtudio: neque id voluiſſe *Lennepium*, ſummosque ipſius praeceptores, *Hemſterhuſium* & *Valckenarium*, facile inducor, ut credam.

Alia igitur via inſiſtenda videtur, quae & conditoris linguarum ſapientiae, & rei ſimplicitati, linguaeque veteris indoli, magis conveniat, & magnorum virorum obſervationibus decus ſuum conſervet. Haec autem via, quo uno verbo dixerim omnia, illuc ducit, ut formas iſtas in αω, έω, ιω, όω, ύω, vel in αμι, εμι, &c. terminatas, non immediate repetamus a verbis primitivis in ω cadentibus, ſed inde ſenſim propagatas eſſe ſtatuamus, intercedente ubivis aliquo nomine derivato, ex cujus caſibus *obliquis*, *Dativo*,

Dativo in primis, omnia iſta ſint producta.

Utamur hic aliquot exemplis, e numero derivatorum verbi ἄκω, quae *Valckenarius*, tanta cum laude adhibuit. Dedit vir ille ſummus, Obſervationum ad Origines Graecas p. 58. 59. eximium hunc derivatorum, verbi ἄκω, catalogum: Ἀκὰ, ἄκαινα, &c Jam vero, ſecundum hypotheſin quidem noſtram, eorum omnium, & ſimilium verborum, quae, analogia duce, linguae Graecae reſtitui poſſunt & debent, formatio ſic proceſſit.

Ab ἄκω eſt ἄκος, ſive potius ἀκὸς, forma haud dubie olim *adjectiva*, cujus *foemininum* ἀκὴ vel ἀκὰ (uti Dores pronuntiabant) *Subſtantive* fuit poſitum, atque a cel. *Valckenario* demonſtratum eſt, Obſervatt. p. 63. 64. Hujus ἀκὴ, ſive ἀκαὶ, Dorice, *Dativus* antiquus ἀκεὶ, vel ἀκαὶ, dedit formam Adjectivam productiorem ἀκεινὸς vel ἄκεινος. Poſterioris foemininum, ἄκαινα, Subſtantivo uſu frequentatur, qua lege & ἀκεινὰ, ſimili in ſignificatione, ſupereſt apud *Heſychium* redditumque κέντρον βοῶν ἀρότρου. Porro ab eodem Dativo ἀκεὶ, reſorbto iota, factum videtur ἀκέω, quod Latini ſervarunt in ſuo ACEO: Conf. ſupr. p. 345. Vocalem enim *e* productam quoque fuiſſe, probat vox ACETUM. Inde & verbum ἀκεῖσθαι, quod a *Valckenario* egregie explicitum, Obſerv. p. 74. uti & fortaſſe vox ἄκινος, Lat. ACINUS, propius cum ἀκεινὸς conferenda. Ab eodem porro ἀκεὶ, pronunciato ἀκὶ, videtur eſſe ver-

verbum ἀκίω, unde ἀκίσω; ἀκίζω, niſi placeat haec, & alia ſimilia a *Dativis tertiae* declinationis, in ι, repetere.

Ceterum a vocis ἀκὸς, Maſculina *Dativi* vel *Ablativi* forma ἀκοὶ, reſorbto iterum ι, deſcendiſſe putem formam verbi obſoletam ἀκόω, unde ἀκόνη cos, *Valck.* p. 77. Idem ἀκόω, ut λόγȣ dicitur & λόγο, pinguius paullo pronunciatum ἀκȣ́ω, vel ἀκύω, (ut ſolent paſſim literae ο & υ permutari) ſupereſt in verbo ἀκȣ́ω, & Lat. ACUO; niſi forte malis, formam vicinam ἀκὺς, (Lat. ACUS) huc in ſubſidium vocare: ex cujus Dativo ἀκοὶ, ſive ἀκυὶ, ACUI, ACU, verbum ἀκȣ́ω, ἀκύω, prono alveo fluere potuerit. Similis ratio eſt in compluribus aliis: de quibus ipſe *Valckenarius* adeundus eſt. Ex ſpecimine hoc conſtare jam aliquatenus poſſe arbitror, verba in έω, άω, ίω, όω & ύω, non caſu fortuito, aut immediate, a terminatis in ω originem repetere debuiſſe, ſed intercedere potuiſſe olim nomina Subſtantiva, ex quorum obliquis caſibus variae ejuſmodi formae ſint productae. Conferri debent quae *Lennepius* infra monuit, Cap. XV. de *Verbis, a nominibus ortis.*

AD

AD ANALOG. CAP. XIV, p. 184.

„ De verbis derivatis, quae diverſis verborum primitivorum temporibus originem debeant "

Intricatiſſima oritur quaeſtio, ubi dicendum eſt, de *verbis derivatis*, quae *verborum primitivorum temporibus* originem ſuam debent. Haec enim ſi recte tractabuntur, in anteceſſum quam accuratiſſime inquirendum erit, quaenam verba ſint ſe e *primitiva*, ſive *originalia*, (ut clar. *Lennepius* Capite XII. vocat) *ſimpliciſſima?* id quod longe majoris operae eſſe deprehendetur, quam fortaſſe prima fronte videri queat.

Originalia vero ſimpliciſſima, p. 165. ſtatuit vir eruditiſſimus, *Primum* quidem, *quinque* illa, per vocales formata, ἄω, ἔω, ἴω, ὄω, ὕω, ſive ἄμι, ἔμι, ἴμι, ὄμι, ὕμι, *Deinde* (p. 167.) adjunxit *quinquaginta quinque*, quae a conſonante aliqua, de numero XI antiquiſſimarum, incipiant, βάω, βέω &c. γάω, γέω &c. vel βάμι, βέμι &c. γάμι, γέμι &c. *Tertio* (p. 168.) commemorat *quinquaginta quinque* alia, quae conſonanten ejusmodi aliquam in *medio* habeant, inter duas vocales, collocatam, ἄβω, ἔβω &c. ἄγω, ἔγω &c.

Sed in *tertia* hac claſſe, obſervante ipſo *Lennepio*, (p. 201. ſeqq.) iſtud jam principio dubium eſt, ſintne haec omnia veri nominis *primitiva*

mitiva verba, an potius, ope alicujus vocalis *ab initio* adjectae, e primitivis aliis, formata: uti, verbi gratia, ἄβω, a βῶ· γάω, a γῶ· ἄδω, a δῶ &c. Sane, quo minus omnia haec *quinquaginta quinque*, pro veri nominis *primitivis*, habeamus, impedire videntur 1. formae *quinque*, per σ in medio factae, ἄσω, ἕσω, ἴσω, ὄσω, ὕσω, quae a primis iſtis, ἄω, ἕω &c. derivata paene dixeris, ope literae σ, mediis verbis inſertae; ſive literam hanc pro *characteriſtica* Futuri habeas, ſive σ iſtud *adſpirationis*, in *media* voce, locum malis tenere. Hoc certum eſt, verbum Subſtantivum ἕω, ſive ἐμὶ, (unde εἰμὶ fluxit) ab altero ἐσμὶ, quod ab ἕσω, ἐσέω, deſcendit, origine ſua adeo nihil differre, ut ἐσσὶ & ἐστὶ (ex ἐσεὶ & ἐσετὶ contracta) ad tempus *Praeſens* verbi εἰμὶ, in ipſo ſermonis uſu referantur. Deinde 2. quis neget, verbum ἕδω (unde ἕδσω, ἕζω, & Lat. SEDO, SEDEO) cum primitivo ἕω, *mitto*, maximam colere adfinitatem; ut hac lege ἕζομαι, pro ἕδσομαι, pp. ſit idem ac *mitto*, vel *demitto me*, deorſum, Gallice *je me mets*. Redi ad pag. 342. & 452. 453. ubi cognatam formam reperies ἧμαι, pro ἕαμαι, ex eadem origine explicatam. Quae quidem ſi vera ſint, facile apparet, noſtrum quoque ἕδω, vel ἕδω, ad *primitiva* verba referri non poſſe, niſi forte placeat, verbi ἕδω, ſive ἕδω, geminam ſtatuendam eſſe etymologiam, alteram quidem ab ἕω *mitto*, unde ἧμαι &c. alteram vero praedi-

praeditam notione *edendi*, quam Latini habeant, in ſuo EDERE, quaeque proxime conveniat cum notione alterius verbi ἄδω, pp. *ſtipo*, *conſtipo*, vel *infarcio*, uti v. gr. *cibos ori*, atque adeo *cibis repleo.*

Quodſi jam deinceps pergeremus, ad examinandam *quartam* claſſem verborum, vulgo dictorum, *primitivorum*, quae omnia tamen *Lennepius* (p. 170.) male pro *primitivis* accipi, perſpicue docuit, etſi idem vir ſummus (p. 171.) concedat, „ multa eorum pro *veris primitivis* haberi poſſe:" facile inde appareret, ingentem illorum numerum longe rectius, in *derivatorum* ejusmodi cenſum rejici, quae *diverſis verborum primitivorum temporibus* originem debeant: de quibus nunc adjicere quaedam malim, quam difficillimae inquiſitionis diſcrimini ulterius me committere.

Addamus igitur & nos obſervatiunculam de *verbis productioribus* formatis a tempore *Praeterito perfecto* verborum ſimpliciorum. Retulit huc cel. *Lennepius* verba ὀλέκω, ἑςήκω, πεφύκω &c. Unum alterumve exemplum hujus formae adjiciamus. Verbum eſt ἐρύω pp. *trabo.* Hujus *Perfectum praeter.* ἤρυκα, augmento abjecto, dedit derivatum verbum ἐρύκω, pp. *retrabo*, *inhibeo*, *contineo:* unde Il. Ω, 658. Ὄφρα τέως αὐτός τε μένω, καὶ λαὸν ΈΡΥ΄ΚΩ h. e. *Ut tamdiu ipſeque quieſcam, & copias* CONTINEAM, pp. *retractos contineam;* in quo ipſo „ *retractos*, poſtquam jam conati esſent,

ſent diſcedere, *contineam*, latet notio quaedam temporis *praeteriti*. Pariter legimus Od. Δ, 699. Σὺ δέ με χρόνον ἐνθάδ' ἐρύκεις *Tu vero me longum tempus hic* DETINES, nempe, *retractum* quaſi, aut *cohibitum*, quum jam jam abiturus fuiſſem: & *Paſſivo* uſu ibidem vs. 466. ὡς δὴ δῆθ' ἐνὶ νήσῳ ἐρύκομαι *Quod jam diu in inſula* DETINEOR, nempe, quaſi *retractus*, a diſceſſu.

Aliud ſpecimen verbi, a *Praeterito perfecto* formati, nobis praebeat productior forma ἐρυκάκω· cujus genealogia videtur hujusmodi eſſe. Ab ἔρω, ſive potius a forma vocis Subſtantiva ἐρὺς, in Dativo veteri ἐρυΐ, eſt ἐρύω· ab ἐρύω porro ἐρύκω· ab ἐρύκω, vox adjectiva ἔρυκος, η, ον. Ab ἐρύκᾳ, Dativo ejusdem, ἐρυκάω· hujus *Praeteritum perfectum*, ἠρύκακα, dediſſe potuit novam formam ἐρυκάκω, de qua hic loquimur. Occurrit Il. Ε, 321. de Diomede Ἀλλ' ὅγε τοὺς μὲν ἑοὺς ἨΡΥΚΑΚΕ μώνυχας ἵππους *Sed hic quidem ſuos* VALIDE INHIBUIT (pp. *retractos fortiter inhibuit*) *ſolidis-ungulis equos*. Evolve etiam Il. Ν, 751. Ο, 450. Od. Φ, 227. cet. & adverte ſimul ad incredibilem ſermonis Graeci foecunditatem, ſuas formas identidem multiplicantis. Ab ἐρυκάκω enim nova forma Adjectivi videtur fluxiſſe ἐρυκακὸς, quae vox in Dativo foeminino habuerit ἐρυκάκῃ, pro ἐρυκάκει. Hinc iterum nova forma verbi ἐρυκακέω. Unde Odyſſ. Υ, 313. χαλεπὸν γὰρ ἐρυκακέειν ἕνα πολλοὺς *Difficile enim eſt unum*

COHIBERE, pp. *retractos coërcere, multos.* Vide & Il. E, 262. Od. Γ, 144. Λ, 104.

Tertium exemplum verbi, a *Praeterito perfecto* ducti, eſto Gr. δίκω *jacio*, & cognatum ejusdem διώκω *perſequor*, pp. *pello*, *fugo:* de quo verbo lege obſervatt. cl. *D'Arnaud* Animadv. Critic. p. 37. 38. & Stirpes Lenn. p. 240. Primitivum utriusque haud dubie fuit δίω, a *Lennepio* explicatum in verbo Δαίω p. 221. A δίω hocce (pp. *pello*, *impello*) ſive potius a *Praeterito* ejusdem *perfecto* δέδικα, factum eſt δίκω Lat. DICO *dicere*, quod diſtinctam habet originem a DICO, *dicare*, quatenus, nempe, poſterius hoc, a δικη (in Dativo δικᾳ) dicitur pro δικάω. Eſt enim Lat. DICERE pp. nihil aliud quam Gr. δίκειν, notans quaſi *pellere*, vel *impellere*, *expellere*, *ejicere*, ore verba. Ab eodem hoc δίκω, *Futurum* oportebat fieri δίκσω, ſed (trajectis literis) inde factum eſt aliud verbum δίσκω, ſuperſtes apud *Heſych.* Δίσκειν· δίκειν, ὑπερβάλλειν. apud Latinos quoque in DISCERE. Conf. & *Heſych.* Δίκειν· βάλλειν, ῥίπτειν· ὅθεν καὶ δίκον, καὶ δίσκον (Lat. DISCUS) καὶ δίκελλον. Porro a δίω deſcendit quoque obſoletum διὸς, diſtinguendum probe ab alio δῖος, pro δίιος, quod (a Genitivo vocis Δὶς ortum) idem eſt ac Lat. DIUS. Itaque ab obſoleto iſto διὸς, in Dativo διοὶ, διῷ, novum verbum originem habuit διόω, a cujus *Perfecto* δεδίωκα, factum eſt διώκω.

Com-

Complura ejuſmodi adjici poſſent, ſi locus pateretur, v. gr. δέρκω *video*, pp. *acie* oculorum *penetro*, a δέρω· πλέκω, a πλέω, pro πελέω· πέρκω, obſoletum, (Gallice PERCER) a πέρω· νύκω, obſoletum, itemque νόκω & νέκω, unde Lat. NOCEO, NEX &c. a νύω, νόω, νέω· ἄρκω, unde ἄρκος, & ARCUS, ἀρκέω, ab ἄρω· σῶκ☉, ex quo σωκέω, a σόω, unde & σώζω· ὠκὺς, ab ὤκω, quod ab ὄω cet.

Sed illud minime hic praetermittendum eſt, quemadmodum pro *Praeteriti* characteriſtica κ, in verbis bene multis, per contractionem quandam & adjunctam adſpirationem, exiſtunt φ, vel χ, ita &, in formatione verborum, a *Praeterito* hoc *perfecto*, ortorum, easdem literas, φ & χ, retineri.

Adſcribamus quaedam exempla. A verbo κάρω (forma cognata aliis κέρω, κείρω cet.) deſcendit derivatum κάρπω, quod Latini ſervarunt in ſuo CARPO: unde Perfectum κέκαρφα, pro κέκαρπκα, qua analogia a τέρπω, quod a τέρω, pro τέτερπκα, dixere τέτερφα. Jam vero, ex illo κέκαρφα, reſecta prima ſyllaba, factum eſt κάρφω, pp. *frango*, & per metonymiam *debilito*, *attenuo:* ut ſentiri poteſt in illo *Heſiodi* Ἐργ. vs. 7. ῥεῖα δὲ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα ΚΑΡΦΕΙ *Facileque corrigit pravum, & ſuperbum* ATTENUAT, pp. *frangit*. Eadem porro proportione a τέτερφα Graeci videntur dixiſſe τέρφ☉ (quod deinceps, σ praemiſſo, prolatum fuit ςέρφ☉) &, forma

foeminina, τέρφη, quam vocem *Heſychius* reddidit λέπυρα, unde ſimul origo verbi τέρπω, a τέρω, *rado*, ducti, tanto clarius eluceſcit.

Aliud exemplum ſit verbum ἐρέφω *obtego:* de cujus origine multum dubitaſſe Grammaticos, argumento ſunt quae habet *Etymologus*, col. 371: 55. Stirps ejus verbi, judice *Lennepio*, eſt ἔρω, unde ἐρέω, ἐρέπω, ἐρέφω. Sed formationem ejusdem paullo contemplemur propius. Ab ἔρω igitur fit ἔρος, unde ἐρέω· ab ἐρέω, vero ἐρέβω, & ἐρέπω, litera β inſerta, eademque deinceps paullo fortius pronuntiata, tanquam π. Porro, pro ἐρέπω, dictum eſt ἐρέπτω, ut pro τύπω, τύπτω· τ iſta, uti videtur adhibita, loco σ Futuri: de qua tamen, literae σ in τ, converſione hic dicendi locus non eſt. Jam vero verba ambo ἐρέφω & ἐρέπτω, in *eandem* conveniſſe *ſignificandi virtutem*, qua idem notarent ac καλύπτειν *tegere*, *obtegere*, ſatis apparet vel ex illis *Etymologi*, col. 374. ubi de voce 'Ερέπνη agens ἢ ἀπὸ τοῦ ἐρέφω, ἢ ἐρέπτω, „ inquit" τὸ καλύπτω, σκέπτει γὰρ, καὶ καλύπτουσι, καὶ σκιάζουσι τὰ ἀκρωτήρια. Neque tamen vel ſic ſatis certo adhuc conſtabit de forma verbi ἐρέφω: quae in oculos incurret, ſimulatque obſervaveris, quemadmodum a modo commemorato κέκαρφα (h. e. Praeterito perfecto verbi κάρπτω) formatum eſt κάρφω, & a τέτυφα, Praeterito perf. verbi τύπτω, vel τύπω, τύφω· eadem analogia ab ἤρεφα, pro ἤρεπκα, Praeterito perf. verbi ἐρέπτω, ſive ἐρέπω, deſcendiſſe noſtrum ἐρέφω. In tranſitu hic inſuper obſervari mere-

meretur, verbum ἐρέβω hac lege olim idem ſignificare potuiſſe atque alterum ἐρέπω, h. e *tego*, *obtego:* unde quoque aptiſſimum lucrabimur etymon vocabulo ἔρεβος, quod *tartarum caliginoſum*, & quaſi *tectum tenebris* deſignat. Corrige hinc Stirpes, p. 285. 286.

Denique accedat his verbum ἀλείφω *ungo*, quod docente *Lennepio*, in Stirpibus, p. 105. 106. praefixa α, deſcendit ab obſoleto λείφω. Hoc autem λειφω oportet fuiſſe a *Praeterito perf.* λέλειφα, pro λέλειβκα, vel λέλειπκα, ortis a ſimplicioribus λείβω vel λείπω. Viguiſſe vero olim, in lingua Graeca, formam ejusmodi derivatam λειφω, manifeſto docet vox, inde deſumta, λείφητες, ab *Heſychio* expoſita per λείψανα. Adde his & alia, in φω deſinentia, ſimiliter formata a Praeterito perfecto, ut νήφω, a νήπω· νίφω, a νίπω· τρέφω (unde dein, σ praefixa, στρέφω) a τρέπω. Vide *Lennepii* Stirpes in Στρέφω.

Deſinentium porro in χω, qualia a *Praeterito Activo*, verborum in γω & κω, formata eſſe diximus, magna etiamnum copia ſupereſt. Unum alterumve in medium proferamus. Quemadmodum a κλάγω (Dorico) factum eſt κλάγγω, ab obſoleto πάγω, PAGO, πάγγω, PANGO, ſic dubibitari nequit, quin ab ἄγω, AGO, frequentiſſimi uſus verbo, fluxerit ἄγγω, ANGO, pp. *adduco*, unde ἄγγος pp. *vas adductum* vinculis, Stirp. p. 24. Jam vero hujus ἄγγω Praeteritum perf. analogice foret ἔαγγκα· ſed γκ in χ verſis, di-

xerunt ἔαγχα· unde denuo, augmento abjecto, verbum formatum eſt ἄγχω, pp. *adductum comprimo, elido, ſtrangulo.* Similiter a verbo λέγω LEGO (pp. *conjungo*) in Praeterito perf. fuit olim λέλεγκα, & pro hoc λέλεχα. A λέλεχα fluxit derivatum verbum λέχω, per χ, notans *decumbo*, pp. in *ſtragula colligata*, (Latinis LECTUS pro LEGTUS & hoc, contracte, pro LEGITUS, dicta) & mox *cubo* univerſe. Conf. Stirp. p. 489. Similiter ἄρχω, pp. *priores partes occupo*, mox *incipio*, verbum eſt, *Lennepio* indice, formatum ab ἄρκω, quod ipſum ἄρκω, ſecundum easdem leges, oportet fluxiſſe ab ἔαρκα, Praeterito perfecto veteri verbi ἄρω. Igitur ab ἄρω, quidem fuerit ἄρκω· cujus Praeteritum perf. quum debuiſſet efferri ἐάρκκα, facilioris pronunciationis ergo, pro eodem dixere ἔαρχα, ἦρχα: verum & hinc novum iterum verbum effloruit ἄρχω, de quo hic loquimur: cujus verbi *Praeteritum* eſſe oportuerat ἔαρχκα, ἦρχκα· ſed, difficultatis evitandae gratia, idem quoque dixerunt ἦρχα. Adde ejusdem formae verba σπέρχω *urgeo*, τρέχω *curro*, κέρχω *exaſpero*, λείχω *lingo*, ψύχω *ſpiro* &c. &c.

Quibus tamen obſervatis unum hoc inſuper adjungendum eſt, pro κ & χ, in permultis eſſe γ, tenuiori, ut videtur, pronunciatione adhibita: unde ſequeretur, quam plurima verba, in γω deſinentia, non aliter, quam illa in κω & χω, facta eſſe a *Praeteritis perfectis* ſimpliciorum verborum. Huc refero verbum ὀρέγω *porrigo*, quod

cogna-

cognationem habere cum obſoleto ὀρέκω, ſive potius dictum fuiſſe pro eodem ὀρέκω, nato ex Praeterito perf. ἔορεκα, verbi ὀρέω (quod ὀρέω cognatum fuit alteri ὀρίω, unde Lat. ORIOR) nemo dubitare poteſt, qui contulerit ὀρέγνυμι, & ὀρέγμα cum ὀρεκτὸς, ὀρεγνὺς cum ὀρεκτὺς, apud *Heſychium*, aliaque longe plurima. Itaque & ἀρήγω (cognatum modo commemorato verbo ὀρέγω) dictum fuerit ex Perfecto ἐάρεκω, verbi ἀρέω. Confirmabitur eadem ſuſpicio, „ de verbis in γω, aeque a Perfectis praeteritis repetendis, atque illa in κω & χω „ collatione facta inter λεγω, ſive λέγομαι, *cubo* & λέκτρον, λέχος, λεγαίνειν & λεχαίνειν &c. inter φεύγειν & φευκτὸς, δέχομαι & δέκομαι, aliaque innumera ejuſdem generis. Conf. etiam dicta ſuper. p. 335. ſſ.

AD ANALOG. CAP. XIV, p. 185—188.

De Verbis a Futuro formatis.

Plurima, huc referenda, jam occupavimus, ſupra p. 338—352., & alibi: quae hic relegi velim. De verbis *deſiderativis*, ſive *meditativis*, quae vocant Grammatici, apud Graecos in είω, apud Latinos in *urio*, deſinentibus, legi digniſſima ſunt, quae dederunt *Valckenaer*. ad Eurípid. Phoeniſſ. vs. 1214. p. 412. 413. & *Bentlejus* ad Horat. Art. Poët. vs. 139, p. 677.

AD ANALOG. CAP. XV, p. 189—199.

De verbis a nominibus ortis.

Repeti hic velim, quae ſuperius, de formatione plurimorum verborum, a *Dativo Singulari* nominum Subſtantivorum, obſervavimus, p 492. 493. Ad eandem enim normam complura, hoc capite, a cel. *Lennepio* exhibita, revocari poterunt. Sane ὁρίζω *terminum pono*, non adeo repetendum eſt a *Nominativo* ὅρος *terminus*, quam potius a *Dativo* ὅρει· ὁρκόω, *caveo jurejurando* non ab ὅρκος, ſed ab ὅρκῳ, Dativo: δουλόω *in ſervitutem redigo*, a δούλῳ· atque ita in ceteris. Ipſe *Lennepius* hic legatur Analog. p. 197.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 200. ſſ.

De vocali A, *ab initio verborum, aliunde adſcita.*

„ *Vocalem* α, *multis verbis*, *ab initio*, *praefixam fuiſſe*, *ſine ulla ſignificandi diverſitate*," praeceptor ſuaviſſimus docet, Analog. p. 202. Prolatis ab ipſo exemplis alia nonnulla addi poſſent: ex quibus perquam veriſimile videri queat, praefixionem hujus *vocalis* α revera nihil quidquam, in verborum ſignificatione, immutaſſe. Quodſi tamen paullo attentius diſpicias, *primum*

mum quidem in oculos incurret, magnam partem iſtiusmodi verborum, quae α illud praefixum habeant, a duplici conſonante inchoari, uti ſunt σπαίρω & ἀσπαίρω &c. quibus α iſtud praefigi potuerit tanquam facilioris pronuntiationis ſubſidium: qua fere ratione ſimiliter, *ab initio*, praefigi potuit vocalis ο, alteri α cognata. *Arabas*, & *Syros*, quin & ipſos *Franco-Gallos*, in initio vocabulorum pariter, *vocalem*, ante *duas conſonantes*, praemittere, ſupra jam ſemel iterumque diximus. Redi ad pag. 360. & confer, ſis, *Erpenii* Gram. Arab. p. 28. 29. Deinde & illud longe certiſſimum eſt, vocalem α, hoc pacto, verbis praemiſſam, haud raro *vim* exſerere *intenſivam*, qua vehementius augeat ſignificationem. Hac de re abunde conſtare potest, ex Diſſertatiuncula, a *Valckenaerio* Adnotationibus ſuis in Adoniazuſ. Theocrit. inſerta p. 214—234. Ex quibus illud efficere fortaſſe liceat, in iſtiusmodi vocabulis omnibus, quibus α, pronuntiationis facilioris ergo, praefixum non eſt, idem iſtud α, ex origine ſua, *vim* quandam ἐπιτατικὴν, ſive *intenſivam*, habuiſſe, quae deinceps evanuerit propter uſus frequentiam, aut ſaltem non valde attendi ſoleat: in aliis vero α iſtud eſſe στερητικόν. Dictis ſidem facere poterunt, quae paſſim in Stirpibus, a litera A incipientibus, obſervavit *Lennepius*, & nos ibidem adnotavimus.

Adſcribamus animadverſiunculas quasdam, ad

exempla a cel. *Lennepio* h. l. prolata. Μέρδω & ἀμέρδω utrumque idem notaſſe ac Lat. PRIVO, (p. 202.) auctor eſt vir ſummus: cui tamen eo usque tantum adſentiendum videtur, quatenus ſtirps utriusque verbi eſt μέω. A μέω enim eſt μέρω, hinc μέρδω, pp. *ſeco*, *ſecando divido*, *ſeparo*. Vide Stirp. p. 550. Jam vero ἀμέρδω (cum praefixo α, *privativo* vulgo dicto) nihil aliud videtur eſſe, quam quod Latini dixere RESECO, ſive *abſcindo*. *Heſychius* Ἄμερσεν· ἄμοιρον ἐποίησεν, ἐστέρησεν. Conf. ſis Od. Θ, 64. Φ, 290. &, in primis, Il. Π, 55. ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλησιν ἈΜΕΡΣΑΙ, Καὶ γέρας ἂψ ἀφέλεσθαι, quae verba a *Clarkio*, ad literam, ſunt reddita: *Quando aequalem quis voluerit* PRIVARE PORTIONE SUA, *Et praemium rurſus* AUFERRE.

Alterum exemplum, a *Lennepio* propoſitum, eſt μέργειν & ἀμέργειν, quorum prius a Latinis ſervatum eſſe in MERGERE, adnotavit Stirp. p. 131. Μέργιζε etiam ſupereſt in *Heſychio*, declaratum per ἀθρόως ἔσθιε. Quin & ſimplex μέργω commemorat *Euſtathius* ad Od. Θ, 526. occaſione vocis ἀσπαίροντα, ubi σπαίρειν dici, ait, &, per pleonasmum ἀσπαίρειν, ut στάχυς, ἄσταχυς· σταφὶς, ἀσταφὶς· σφόδελος, ἀσφόδελος· ἀμέργειν, μέργειν· incertumque adeo eſſe, addit, utrum ἀμέργειν hoc dicatur, per pleonasmum, an vero μέργειν, per aphaereſin literae α? unde & ἀμοργοὶ audiant πόλεως ὄλεθροι, iidemque μοργοὶ, οἱ ἀμέλγοντες δηλαδὴ τὸ κοινὸν καὶ ἐκμυζῶντες. Quae ultima

ſatis

ſatis demonſtrant, ab *Euſtathio* verba ἀμέργειν & ἀμέλγειν (pp. *emulgere) exſugere*, pro iisdem accepta fuiſſe, ob literarum λ & ρ, vicinitatem. Mihi quidem vix dubitandum videtur, quin vera ſtirps ſit idem μέω pp. *premo*: unde & μέρω· & ab hujus *Praeterito* μέμεργα, μέργω, & μέλγω, quibus praefixum α *intenſivum* dederit ἀμέργω & ἀμέλγω. Ceterum confer. de μέλγω Notata noſtra ad Gen. IV, p. 88. 89.

Porro idem α *intenſivum* adhiberi videtur in ἀσπαίρω, & ἀσκαίρω· Conf. & μύσσω, ἀμύσσω· θέλγω & ἀθέλγω· σπάζω & ἀσπάζω. Sed alia res eſt in LEGO, λέγω, & ἀλέγω. Poſterius enim hoc palam deſcendit a verbo ἀλέω, quod ab ἄλω. Vide Stirp. p. 104. 105.

In nominibus barbaris *ſaepe* literam A initio *praeponi*, *interdum omitti* ſolere, obſervaverat jam *H. Valeſius* in Not. poſt Harpocrat. p. 216. 217. Sed illa huc non pertinent.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 203.

De vocali E, *vocibus ab initio praemiſſa.*

Vocalem ε (haud aliter atque α) verbis nominibusque nonnullis praemitti, praecepit *Lennepius*, p. 203. exemplumque ejus rei eſſe voluit, inter alia, verbum ἕκω, cui plane aliud reſpondeat κίω *vado*. Addidit tamen vir eruditiſſimus, verbum ἕκω repeti etiam poſſe ab ἕω *mitto*;

mitto: id quod, in Stirpibus, monuerat, p. 262. Poſterius hoc, meo quidem judicio, unice verum eſt. Ab ἕω enim, cui cognatum eſt alterum ἵω, in *Praeterito perfecto*, analogice exiſteret ἕεκα, quod contraxerunt in ἧκα, ſive ἕικα, εἷκα. Tribuerunt Grammatici eas formas (tanquam formas *Aoriſti*) verbo cognato ἵημι: ſed id nihil detrahere poteſt analogicae earundem derivationi, inſtituendae utique ab ἕω, ſive ἵω. Itaque a Praeterito εἶκα, ſive ἧκα, ſecundum normam ſuperius praebitam, p. 496. 497. orta ſunt verba εἵκω, & ἥκω: de quibus conſule Stirpes, ſuo loco. Ceterum de ε conferri velim, quae ſupra adnotavimus p. 360. Verbum σχέω mea ſententia contractum eſt ex σεχέω: quod ſtirpem agnoſcit ἔχω, unde ἐχέω, σεχέω. Simile eſt huic alterum σπέω, pro σεπέω, unde σπέο & σπεῖο *ſequere*, pp. *adjunge*, ſive *adnecte te.* Hujus ſtirps utique eſt ἕπω, unde ἕπομαι. Pro ἕπω, dixerunt σέπω SEQUO; porro σεπέω, & contracte, σπέω &c. ex qua analogia forma Imperativi σπεῖο Il. Κ, 285. citra anomaliam, reſolvi poteſt. Vide de σ hoc, ab initio praemiſſo, ſupr. p. 450. & infra ad p. 212.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 205.

De vocali I, *verbis ab initio praemiſſa.*

Exemplis, a viro celeb. hic loci productis,

alia adjecit in Etymologico, Stirpes nempe Ἰάω, Ἰαύω, Ἰάχω, &c. In primis vero, ut ἵϛημαι, ita huc pertinet quoque verbum ἵπταμαι, de quo lege obſervationem T. H. in Stirpibus p. 367. 368.

Ad Analog. cap. XVI, pag. 205.

De vocali o, *vocibus ab initio praefixa.*

Dictum eſt ſupra p. 499. de α *intenſivo* vocibus quibusdam praemiſſo. Verbulo addendum eſt, eadem lege vocabulis praefigi ο, quod non, niſi pronunciatione, leviter inde diverſum fuisſe, ex multis conſtat. Vide exempla apud *Voſſium* de Literarum permutatione, & *Maittaire*, p. 399. 412. Itaque huc referri velim vocem ὄμβρημος, quam alii ſcribunt ὄβριμος, quippe haud dubie, praefixo ο *intenſivo*, ortam a βάρα, unde βαρὺς & βάρος, βρὸς &c. vide Stirp. p. 635. 662. Adde ὄβρυζον, Stirp. p. 635. ὀλίγος, p. 655. ὄλιϑος, p. 656. ὀλόπτω, p. 658. &c. De Ὄνομα vero legi poterunt, quae ſcripſimus Stirp. p. 670. 671. Ceterum praefixae vocalis ο latet fortaſſe quoddam veſtigium in verbo Ὠδίνω, ſive ὠδινέω, *partus doloribus laboro*, quod cognationem quandam colere videatur cum δινέω & δινεύω *verſor, volvo me quaqua verſum*, Hebr. חולל. Conf. Il. Λ, 269. 270. Od. ι, 415.

AD

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 206.

De vocali Υ, *vocibus ab initio praefixa.*

Veriſimile eſſe, ait vir celeb., *ſi quae ſint verba, non derivata a ſimpliciſſimo* ὕω, *origine Graeca, ea orta eſſe, praefixa vocali* υ, *ab initio, verbis ſimpliciſſimus a conſonante incipientibus.* An huc referri poteſt vox ὕβρις *injuria*, quaſi ὕβαρις, ut ejus ſtirps ſit βάρω, unde ὄβριος, ὄβρις, ὄβριμος? Quo pacto a *gravitate* & *mole incumbente* ſignificationem potuiſſet accipere: eadem fere metaphora, qua ὄνειδος de *probro* adhibetur. Vide Stirpes in voce Ὄνειδος p. 668.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 206. 207.

De literis B & Π, *vocabulis ab initio praemiſſis.*

Literam B vocibus *ab initio* praefigi, aut *mediis* vocabulis inſeri, abunde docuerunt viri doctiſſimi. Inſtar omnium hic conſulantur *T. Hemſterhuſ.*, ad Heſychium, in voce Θαβακὸν, & ibid. *Albertius* T. I, c. 1670. *Voſſius* de Literar. Permutat. ſuo loco, & *Lennepius* noſter in Animadv. ad Coluth. L. I, c. XV, p. 70. Vide eundem in Stirpibus vocc. Βάκηλος, Βασκαίνω, Βάτραχος, Βάλομαι cet. unde ſatis apparebit, pp. integram ſyllabam βα praefigi, ex qua β illa for-

fortaſſe enata ſit. Conf. ſimile inferius in Δ, ex Δα enato.

Ceteroquin literae Π, ſimiliter praemiſſae, exemplum admodum luculentum deſumi poteſt e voce Πτίλος, ſive Πτίλλος, de qua legatur *Etymologus* laudatus in Stirpibus, p. 821. 822.

Quin & *adſpiratam* literam Φ praefixam fuisſe, in voce Φοξὸς *acutus vertice*, pro ὀξὸς, ſive ὀξὺς, & in verbo Φύω FUO, ab ὕω orto, cui vicina ſunt ὄω, FOO, &c. opportune ſubmonuit *Menagius* Amoen. Jur. Civ. p. 10.

Literam B, a Latinis exprimi per V, ſive per *digamma Aeolicum*, certatim docuerunt Grammatici. Vide *Voſſium* de Arte Gramm. L. I, c. 15. 16. 29. eundemque de Literarum permutatione, *Sanct.* Minerv. L. IV, 16. 13. p. 838. 839. Ill. *de Villoiſon* in Diatribe, Anecdot. Graec. T. II, paſſim. *Gatacker.* de Novi Inſtrum. ſtylo, Cap. II. *S. Bochart.* Hieroz. P. II, 4, 20. p. 588. &c.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 208.

De litera M, *in initio vocabulorum, ſaepe mere ſervili, atque a literis radicalibus probe ſecernenda.*

Maximam utilitatem habet haec clar. *Lennepii* obſervatio, in multarum vocum originibus indagandis. Vide ejusdem Stirpes, vocc. Ἡμεκτέω, Μαργαίνω, Μάργαρον, Μειδάω, Μιμέομαι, Μίσχος.

χε, Μόσχος &c. Adde & *Iſaac. Voſſium*, de verbo Lat. MITTO, ab ἵω Graecorum repetendo, in Etymolog. parentis ſui, p. 376.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 208.

De litera Δ, *vocabulis praefixa.*

Literam Δ nonnunquam, *ab initio* vocabulorum, *ſervilem* eſſe, inter alia probat, producta a *Lennepio*, vox δρόσος, quam, non aliter ac Lat. ROS, de *aqua* poni demonſtravit *L. C. Valcken.* Adnot. Euripid. Hippol. p. 180. Vide porro Stirpes, in vocc. Δρόσος, Δρῦς, &c. Ceterum, uti β praefixum verbis ex βα ortum ſuum videbatur habere, ſupra p. 510. ſic δ noſtrum ex δα, ſive δαι, repetendum eſſe propemodum ſuadet vox δασπλῆς. Vide Stirp. p. 223. & cel. *Ruhnkenii* Epiſt. Crit. I, p. 86. *Voſſ.* de Permutat. Liter. loco ſuo, collata etiam voce Δαίδαλος, Stirp. p. 220.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 209.

De Τ, *initio vocabulorum praepoſita.*

Literae Τ, ab initio praefixae, exempla quaedam Latina dedit *Voſſius*, de Permutat. Literarum, loco ſuo. Graeca exempla vix alia habet clar. *Lennep.* praeter ea, quae ex articuli ὁ &

ὁς

δς obliquis caſibus deſumi poſſint. Adeundus de his omnino eſt *Maittaire*, p. 172. Videri tamen poſſit eſſe cognatio quaedam inter ſtirpes ἐρύω, ξύω, & τερύω, τρύω: qua lege litera τ, hoc modo praepoſita, eandem efficere queat *intenſionem ſignificationis*, quam inferre diximus praefixam Δ, ex Τ oriundam, quippe a qua pronuntiatione ſua tam parum differt, ut ſaepe audias, δ & τ inter ſe permutari. Sed ampliare hic malim, quam nimis temere conjicere.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 210.

De Θ ab initio vocibus praefixa.

An & litera Θ, ab initio, vocibus praefigatur, ambigere nonnihil videtur cel. *Lennepius*, neque quidquam huc contulere, quod uſum habeat, *Voſſius*, aut *Maittaire*. Tentemus tamen & hic loci aliquid. Verbum Lat. VOLO, VIS, VULT, ab ὄλω formatum fuiſſe, *digammate Aeolico* praefixo, vix eſt, quod dubites. Vide Stirpes in Ὀλέω, Θέλγω &c. Jam vero, uti ab ὄλω eſt Lat. VOLO, pp. VOLVO animo, &c. ſic ab ἕλω, forma iſti cognata, eſt VELO, unde ſupereſt in Subjunctivo Latinorum VELIM, in Infinitivo VELLE, contractum, pro *velere*, ut VELLEM pro *velerem*, *velrem*, *vellem*. Cum his attente jam componatur Gr. θέλω, & maxime veriſimile eſſe deprehendes, verbum θέλω non aliter factum eſſe ab

ἕλω, praepoſita θ, ac Lat. VELIM, reſpondet noſtro ἕλω, ſive ἕλω, praemiſſo, nempe, F, ſive eodem *digammate Aeolico*, factum. Quod quidem ſi rectum ſit, ſimili ratione fortaſſe θόλος *ſordes*, ab eadem ſtirpe ὅλω fuerit repetendum, notione ducta a *volvendo*, *provolvendo*, atque ita *ejiciendo* foras. Aliud fortasſe hujus θ praefixae veſtigium deprehendetur, in voce θὴρ, Aeolice φὴρ, unde θῆρες, & Lat. FERA. Communis ſtirps vocis utriusque olim eſſe potuit ἕω, unde & θέω, & Fέω. Sed haec quoque nimium urguere nolim. Longe certior videtur eſſe etymologia *Boſſiana*, qua θάλασσα contulit vir ille eruditiſſimus cum ἅλς, ἅλας, ἅλασσα. Vide ejus Diſſertat. de Etymol. Graeca p. 25. & Stirpes Lenn. in Θάλασσα, Θέλγω &c.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 210.

De litera N *ab initio vocibus praemiſſa.*

N ab initio praefigi, ſentire videtur etiam vir ſummus *D. Ruhnkenius* Epiſt. Crit. I, p. 92. ubi laudat voces νήδυμος, νητοεκὴς, &c. Vide porro *Lennepii* Stirpes, in Νέηλυς, Νήπιος, Νῆσις, Νώγαλα, Νωδὸς &c.

AD ANALOG. CAP. XVI. p. 211.

De Λ *initio vocabulorum praemiſſa.*

Neque initio vocabulorum praefixam fuiſſe Λ negavit idem vir ſummus, quem modo laudavi, *D. Ruhnkenius*, Epiſt. Critic. I. p. 86. 87. etſi ibidem refutaverit, quod hic loci etiam ſtatuebat *Lennepius*, ſyllabam Λα vocibus benemultis praemitti olim conſueviſſe, ut *ſignificationem* earum *intenderent*. Praemiſſae Λ exempla, p. 86. praebuit cel. *Ruhnkenius*, Λατύσσω & Λαφύσσω, quae, prima & origine & notione, nihil magnopere discrepare, docet, ab ἀτύσσω & ἀφύσσω. Porro p. 87., in aliis vocibus, praefixam ſyllabam λαι *turpitudinem* indicare demonſtravit, ut in Λαίγυος, Λαῖπος, Λαισίτος &c. Pace viri ſummi, ejusdemque praeceptoris mei humaniſſimi, *D. Ruhnkenii*, liceat mihi conjecturam proponere. Verumne eſt, quemadmodum Δ, pro δα, (& hoc pro δαι) praefigi vocibus ſupra vidimus (p. 512.) eadem analogia Λ, pro λα, & hoc pro λαι, praefixam olim vocibus fuiſſe? quod, ea fortaſſe adhibita diſtinctione, concedi poſſit, ut, ab una parte, largiamur, multa exempla a Grammaticis huc collata fuiſſe, quae nihil omnino probarent, imo potius craſſam Grammaticorum demonſtrarent ignorantiam (v. gr. Λαδρέοντι, pro ἄλαδε ῥέοντι· Λάφωνοι, pro Δαφοινοὶ, &c. apud *Ruhnk*. p. 86. ſſ.) at, ab al-

tera tamen parte, etiam concedamus, particulas λαι, & λα (forma breviori, ut δα pro [illegible]) revera olim *ſignificationem vocabulorum intendiſſe*, quemadmodum docuit *Lennepius*, Analog p. 211. extrema. Hoc pacto, priſca aetate, dictum fuiſſe oporteret λάσιος *valde hirſutus*, λαίσιτος *vorax*, λαισποδίας *valde libidinoſus*, & alia, apud L. C. V., in Stirp. ad voc. Λαίλαψ, p. 478. 479. Deinde, *iota* reſorbto, pro λαι, brevius videntur pronunciaſſe λα· ut pro λαίθαργος, λάθαργος. Tandem, & ipſa vocali α extrita, pro λα, exſtitit λ· unde pro λαάχνη, λάχνη, cujus ſimplex forma fuit ἄχνη, docente *Bocharto*, Hieroz, P. I, 2, 19. col. 227. ubi etiam λείβω praebetur, pro εἴβω. Ceterum, de Praefixa ΛΙ, legatur laud. *Ruhnken.* Ep. I, p. 88. & adeantur Stirpes *Lennep.* in vocc. Λὰ, Λάγνης, Λαφύσσω cet.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 212.

De litera P, *ſive* R, *vocibus ab initio praemiſſa.*

Literam ρ, ab initio, quoque vocabulis praemiſſam fuiſſe, cenſebat *Voſſius* de Literar. permutatione, vocem Lat. RARUS componens cum Gr. ἀραιός. In Etymologico ipſo tamen vocem RARUS, κατ' ἀφαίρεσιν, factam ſtatuit ex ἀραιός. Mihi quidem nullum dubium eſt, quin utriusque vocis ſtirps ſit ῥάω, unde Latinum productius RADO. A *radendo* notio *tenuitatis* & *paucitatis*,

citatis, per eandem metaphoram, adſciſci potuit, qua Hebraei ſuum מְעַט dixere, a מעט, (Arab. معط) *raſit*, *radendo trivit*, *attenuavit*. Conf. *A. Schultens* Commentar. in Proverb. Salom. c. X, 20. p. 96. & *G. R. Nanningae* Animadv. Philol. ad Ezech. XXI, 20. p. 34—37.

Ab illo igitur primigenio ῥάω, ſive *Futuro* ejusdem ῥάσω, deſcendiſſe putem vocem obſol. ῥάσος pp. RASUS, unde, permutatis σ ac ρ, (ut in QUAESO ac QUAERO &c.) extiterit ῥάρος RARUS, quod Graeci etiam, paullum licet diverſa translatione, pro ἰσχνῷ, uſurpant, anſa fortaſſe arrepta a *radendo*, uti in ῥαίω i. e. φθείρω, de quo mox. Porro a ῥάω deſcendit forma ῥαΐ· hinc ῥαίω, quod *Heſychius* exponit φθείρω, ut ῥαίει, πορθεῖ, φθείρει· ῥαίοιτο, φθείρειτο &c. Notio haec manifeſto ducta eſt ab illa *radendi*, ſive *terendi*, eadem adhibita translatione, quae cernitur in τείρω, τρίβω, ἐπιτρίβω & Lat. TERO, ATTERO &c. A ῥαίω autem factum fuit ῥαῖος, unde mox contractius ῥᾷος, in neutra forma ῥᾷον, niſi forte praeplaceat, ῥᾷον dici, pro ῥᾴδιον, a ῥᾴδιος, quod pro ῥαΐδιος, Poëtice ῥηΐδιος, facto e ῥαΐδι, Dativo obſoletae vocis ῥαΐ, quam ſuperius diximus deſcendiſſe a ſtirpe ῥάω. In ῥᾷον & ῥᾴδιος vero, notio *facilitatis* ducta videtur fuiſſe ab illa *laevitatis*. Denique, ut e diverticulo in viam redeamus, a voce ῥαῖος, pp. *raſus*, *attenuatus*, praefixa α, dixere Graeci ἀραιός. Redi

ad p. 506. 507. & corrige hinc Stirpes, p. 155. Ceterum nullas mihi voces Graecas adhuc occurriſſe, fateor, cujus literis radicalibus ρ *ſervilis* videretur fuiſſe praefixa. Inquirant alii.

AD ANALOG. CAP. XVI, p. 212.

De litera Σ vocabulis ab initio praemiſſa.

Nulla fortaſſe litera eſt, quae pluribus vocabulis Graecis praefixa fuerit, quam Σ, a Latinis olim etiam C (vulgo S) ſcribi ſolita. Hoc ipſum vero s Graecos etiam antiquiores, pro Σ, ſcripſiſſe, ad oculum demonſtravit Ill. *Villoiſon*, Anecdot. Graec. T. II, p. 167. 168. ubi ſimul docuit vir ille eruditiſſimus, „ s hocce, quod Latini praepoſuerint vocibus, a Graeca lingua derivatis (ut in SEX, SUS, SUPER &c. ab ἓξ, ὗ, ὑπερ &c.) nihil aliud eſſe, quam *Digamma Aeolicum*, quod in Heracleenſibus Tabulis, & alibi, ita prorſus depictum apparet ut Σ quadratum, ſic Σ, uti in Σεικατι, Σεξ, pro εἴκατι ἕξ." Hactenus *Villoiſonius*. Addi debent, quae idem vir illuſtris nuperrime admonuit in Prolegomenis ad luculentiſſimam Iliadis editionem, p. II.

De eadem vero hac litera Σ, ſive s, Graecis Latinisque vocabulis bene multis, *ſervilis* inſtar *literae*, praefixa, adeundi in primis ſunt ὁ πάνυ T. H. in voce Σέλλος, & *Voſſius*, De Liter. permutatione, aliique viri doctiſſimi, quos enumerare

merare longum foret. Vide *Heſych.* in Σμίκρον· μικρὸν &c. Adde *Euſtath.* ad Homer. Il. Α, 459. &c. & quae larga manu de *Digammate Aeolico* praebuerunt *Ric. Daweſius* Miſcell. Crit. p. 113. ſſ. & ibid. *Th. Burgeſſius* p. 396. ſſ.

Ad Analog. cap. XVI, p. 213.

De literis κ & γ, *vocabulorum initio praefixis.*

Literas κ, & γ, initio verborum, ſaepiſſime eſſe *ſerviles*, quis negaverit, qui conferat κλυπέω & τυπέω, κτείνω & τείνω, κτίλος & obſolet. τίλος, quod a τίλω, ſive τίλλω &c. Ceterum adi Stirpes in vocc. Καυχάομαι, Κνέφας &c. Κνώδαλον, Κόγχη, Κόχλω, Κεύθος, Κρύπτω, Κτείνω, Κτίλος, Κτυπέω, Κώδιον· Γνόφος, Γράφω, Γράω, Γρίπος, Γρώνη.

FINIS.

I N D E X.

L. C. Valckenaerii Obſervationes ad Origines Graecas inveſtigandas cet. Prioris partis p. 78.
I. D. a Lennep De Analogia Linguae Graecae Prooemium. Poſterioris partis. p. 1—21.
Cap. I. De *Analogia* in genere p. 23—27.
—— II. De Literis *Alphabeti antiqui.* p. 28—37.
—— III. De eo quod, in *primis* Linguae Graecae ſimpliciſſimisque *originibus* indagandis, obſervari debeat. p. 38—43.
—— IV. De Verbis *in genere*, & diverſorum *temporum*, inprimis *Futuri*, *formatione.* p. 44—57.
—— V. De *Praeteritis* temporibus & *Augmento.* p. 58—65.
—— VI. De *terminatione* temporis *Praeteriti perfecti* aliorumque *Praeteritorum.* p. 66-80.
—— VII. De Verbo *Paſſivo* & diverſorum in eo tempore formatione. p. 81—103.
—— VIII. De Verbo *Medio.* p. 104—110.
—— IX. De *Verbis* in MI eorumque formatione. p. 111—130.
—— X. De *proximis* verborum *Derivatis.* p. 131—154.
—— XI. De *Derivatis* quibusdam *ſecundariis.* p. 155—163.
—— XII. De *Verbis originalibus* ſimpliciſſimis. p. 164—176.
—— XIII. De *Verbis derivatis proximis.* p. 177—181.
—— XIV. De *Productioribus verbis derivatis*, ab aliis verbis ortis. p. 182—188.
—— XV. De Verbis, a *Nominibus* ortis. p. 189—199.
—— XVI. De *Literis ab initio* verborum aliunde *adſcitis.* p. 200—214.

INDEX IN ANIMADVERSIONES

A D

ANALOGIAM LINGUAE GRAECAE.

De *lingua Latina*, ſubſidio Analogiae Linguae Graecae externo. p. 217.
— Lexico *Apollonii* Homerico. 218.
— *Euſtathii* Commentariis in Homerum. 219.
— *Alb. Schultenſio* & *Tib. Hemſterhuſio.* 221.
— *G. J. Voſſii Etymologico* L. Lat. & *aliis libris*, ad ſtudia Analogica utiliſſimis. 225.
— *tertia* Analogiae *parte* cet. 229.
— *antiquo* Graecorum *Alphabeto.* 231.
— literis *labialibus*, *palatinis* cet. 232.
— *tribus* orationis *partibus.* 246.
— *nominibus ſimplicisſimis*, a verbis repetendis. 252.
— *propriis* verborum *ſignificationibus.* 253.
— verbis *a ſono* factis, ſ. ὀνοματοπεποιημένοις. 257.
— *infinitivis ſimplicisſimis*, verborum primas origines in ſe continentibus. 257.
— vocibus *honor*, *anus*, *onus*, *abdomen*, *abies*, *paries*, *aries*, *ars*, *ablegmen*, *abolla*, *accipiter*, *arbiter.* 261.
— *tribus* in verbo *perſonis* & *tribus temporibus.* 275.
— pronominibus antiquiſſimis perſonae *primae*, *ſecundae* & *tertiae.* 285.

De

De *Adformantibus perſonarum* in verbi temporibus. p. 311.
— *Characteriſtica* temporis *Futuri* σ, & Latinorum Futuris in BO. 322.
— *Futuris*, *in* ξω deſinentibus. 334.
— *Verbis in* ζω, σδω, σσω, ττω, δδω, πίω. 338.
— Futuris *Atticis*, ut δρῶ, ἐξελῶ, κρεμῶ, ἐξιλῶ. 352.
— Significatione temporis *Aoriſti*. 354.
— *Augmento* in verbis univerſe. 358.
— ——— *temporali*. 361.
— terminatione *Praeteritorum*. 363.
— *Aoriſtis* verborum in λω, μω, νω, ρω. 369.
— *Aoriſto*, quem vocant, *ſecundo*. 372.
— *Veris*, in verbo Graeco, *temporibus*. 375.
— Modi *Imperativi* formatione. 377.
— Modo *Optativo*. 382.
— ——— *Subjunctivo*. 383.
— ——— *Infinitivo Activo*. 385.
— *Participiis* verbi Activi. 388.
— Verbi *Paſſivi* Characteriſticis. 390.
— terminatione *ſecundae* perſonae in ῃ, Atticis in ει. 397–398.
— *Futuro* Indicativi *Paſſivi*. 399.
— ——— Verbi *Medii*. 401.
— *Paullo-poſt-Futuro* 403.
— Praeterito *Perfecto* Paſſivi. 408–409.
— ——— *Plusquamperfecto*. 410.
— *Vocalium* ο & ε *permutatione* in verbi perſonis. 411.

De *Aoriſto* I, & II, *Paſſivo.* p. 413.
— —— II, vulgo dicto. 415.
— *terminatione* 3 *plur. Imperativi* Paſſ. in σθων. 419.
— *Praeterito perfecto* Imperativi Paſſ. 420.
— *Secunda* perſona *Imperativi Medii* τύψαι. 425.
— φάγεσαι & πίεσαι. 430.
— Verbo *Medio.* 432.
— Praeterito *perfecto Medii.* 438.
— Verbis *in* MI & Ω. 440. 443.
— Verbo ΦΑΜΙ' & Lat. INQUAM. 444.
— —— 'ΕΙΜΙ'. 447.
— —— ῞ΗΜΑΙ & ῞ΕΙΜΑΙ.
— —— ῎ΙΣΗΜΙ. 456.
— rarioribus formis ἔον, ἦον, ἔσκον. 456.
— Syllaba ΘΙ, in *Imperativo Activo.* 459.
— forma ἴσθι, pro ἴτεθι, & ἔσω. 461.
— ἴσθι altero, pro ἴσαθι, & loco Evang. Luc. XIX, 17. 463.
— Imperativi forma ΦΑ'Ο. 465.
— *Infinitivi formis* τιθέναι &c. 465.
Spicilegium de formis verborum in MI. 466.
De voce πᾶς, pro πάας, ſive πάανς. 469.
— formis *nominum in* ωσύνη & οσύνη. 469.
— *Nominibus a Futuro* ortis. 471.
— ———— in μα, μος, μη, μων. 475.
— ———— *adjectivis* in γρος, δρος. 480.
— ———— ——— ρος pro ερος. 481.
— ———— in τρα & τρον, pro τερα & τερον. 483.

De

De Nomine φέρτερος, *Comparativi* forma, pro φερτέρος, a φέρος. p. 484.
An *literae* σ *&* ν poſſint *permutari?* 486.
De *Nominibus in* όεις & ȣς. 487.
— ——— in ων *collectivis.* 488.
— Verbis, *a ſono* formatis. 489.
— ——— derivatis *proximis.* 490.
— ——— ——— a *temporibus* verbi ductis. 494.
— ——— a *Futuro* formatis. 503.
— vocali A in verbis, *ab initio, adſcita.* 504.
— ——— E ——— ——— 507.
— ——— I ——— ——— 508.
— ——— O ——— ——— 509.
— ——— Υ ——— ——— 510.
— literis B & Π ——— ——— 510.
— litera M ——— ——— 511.
— ——— Δ ——— ——— 512.
— ——— T ——— ——— 512.
— ——— Θ ——— ——— 513.
— ——— N ——— ——— 514.
— ——— Λ ——— ——— 515.
— ——— P, Lat. R ——— ——— 516.
— ——— Σ ——— ——— 518.
— ——— K & Γ ——— ——— 519.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
253
V34

Valckenaer, Ludovicus C
L.C. Valckenaerii Observationes academicae

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 26 02 12 009 2